10.3.79

INJUSTÆ SECESSIONIS
AB ECCLESIÆ ROMANÆ SINU
JAM DAMNATI IN EPISTOLIS DOGMATICIS

ANGELI M.Æ CARDINALIS QUIRINI

SANCTÆ ROMANÆ SEDIS BIBLIOTHECARII

INDICIQUE LIBRORUM VETITORUM PRÆFECTI

HORUM TEMPORUM SECTARII
LUTHERANI PRÆSERTIM

Nunc EJUSDEM CARDINALIS *cura edito earum Epistolarum delectu*, AD OVILE CHRISTI *revocantur*


EXCURRENTE ANNO JUBILÆI

PER SS. D. N. BENEDICTUM XIV.

CELEBRATI.

PRÆMITTITUR

Confutatio sceleſtiſsimi libelli adverſus ejuſdem Jubilæi ſanctitatem Germanica lingua nuperrime evulgati.





ROMÆ MDCCL.

Ex Typographia Antonii de Rubeis apud Pantheon.

SUPERIORUM PERMISSU.



PRÆFATIO

AD LECTOREM.



Iu, multumque cogitavi, quænam ineunda foret a me ratio pro exequenda, quam pollicitus sum in fronte hujus Operis, confutatione sceleſtiſſimi libelli Helmſtadii lingua Germanica adverſus Jubilæum a BENEDICTO XIV. indictum superiori proximo anno evulgati. At poſt mentem meam varias in partes verſatam, tandem arriſit conſilium, huic loco reſervandi unam ex dogmaticis meis Epiſtolis, quæ cæteroquin reliquis hoc Opere comprehenſis jure ſuo adjungi poſtulabat. Ea eſt, quam ante biennium Clariſs. Goettingenſis Academiæ Profeſſori inſcripſi. Valet quippe ipſa vel ex ſe ſola ad refellenda quæcumque, convicia potius quam argumenta, libelli illius Author Erneſtus Auguſtus Bethings in Romanam Eccleſiam, ejuſque Præſidem BENEDICTUM evomuit, ut aſſeclas ſuos ad contemnendam, odioque habendam

Jubilæi religionem excitaret. Improbus Scriptoris illius furor totus eo tendit, ut eidem Ecclesiæ labem impingat, bonorum operum merita adeo extollendi, ut vel ipsis meritis Christi exæquentur. Iniquissimam hanc calumniam an apertissime, & funditus evertat Epistola, quam dixi, satis superque Tibi, Lector, constabit, dummodo æquum animum afferas in iis perlegendis, quæ statim oculis tuis subjicio. Auditores suos in hunc modum alloqui cœpit perfidus ille calumniator.

„ Publicè vos alloquor, Auditores colendissimi, „ cùm Publicus error totam Europam à Deo jam pace donatam occupet, totosque vos attentos desidero. De Religione agitur, de solemni Indulgentiarum dispensatione, quarum abusus Protoparentes nostros, ut à Papæ Communione discederent, impulerunt. Placuit Divinæ Providentiæ, vestrum me constituere Doctorem, oportet ergo, ut vos de hoc abusu rite edoceam. Præcipua hæc Doctoribus Evangelicæ doctrinæ, & Custodibus Sion Christianæ provincia imposita est, ut pro doctrina vigilent, curentque, ne pretiosa Margarita, doctrina de Justificatione, quæ ex sola fide in Christum venit, infirmetur. Nunquam non diabolus Petram invincibilem aggredi conatus est, falsique semper extitere Doctores, qui hominibus persuadere conati sunt, ut salutem suam quærerent, si non ex sola propria justitia, saltem ut opera sua in se nulla, propriamque justitiam meritis Jesu Christi coæquarent. Sanè his temporibus valde negligentes deprehendimur in reddendis gratiis pro

„ ac-

„ acceptis beneficiis à misericordiarum Patre, quæ „ nobis ante ducentos annos per servum suum fidelem Martinum Lutherum præstitit. Consuetudo „ invaluit, ut nos Lutheranos vocitemus, hinc fervor tepet, pietasque refrigescit. Convertimus arma contra inimicos domesticos, Papam, ejusque „ asseclas amicis intuemur oculis. Nunquam Papa, „ ejusque regnum ita periculosum nobis extiterunt, „ ac hoc tempore; tunc enim, dum tota Europa „ Pontificum scandala deploraret, quæ tam publica „ fuere, ut simplicissimis essent obvia: tunc, cùm „ Leo X, Hadrianus VI, Clemens VII, & Paulus III. de excelso Solio gloriæ suæ ne quidquam „ sibi detrahi paterentur, nec à Luthero doctrinam „ assumere vellent: tunc, cùm dogmata Deo, & „ Christo summè injuriosa traderentur, difficile haud „ erat, Pontifici sese opponere. Fœdissimus ejus affectus cunctis horrori erat. At, postquam Jesuitæ arte sua falsas doctrinas obtegere cœpere, verbo tenus tantùm saniori dogmati accedentes, summum nobis objicitur periculum, ne fraude & astutia illecti thesaurum perdamus, quem pro totius „ mundi gloria permutare nunquam debemus, pro „ cujus pretio, dum gratis à Deo Protoparentes nostri acceperunt, sanguinem etiam profundere parati erant. Transfigurat se Sathan in Angelum „ lucis. Hinc Christus ait: Attendite à falsis prophetis, qui in vestimentis ovium veniunt, intrinsecus „ autem sunt lupi rapaces. Hoc tempus periculis „ plenum censendum est. Papistæ extrinsecus quiescunt, non libenter viderent, si denuo jurgia, &

„ dis-

„ diffidia excitarentur, & ex parte securè quiescunt; „ credunt enim, Theologos nostros esse fatigatos. „ Consideremus elapsa per ducentos annos tempora, „ & simul præsens attentè perpendamus. Illis con- „ tinuæ sibi succedebant lites authoribus Jesuitis, „ qui studiosè modo ista, modo illa ratione fideles „ compescere satagebant. Hoc vero tempore pauca „ admodum, vel nulla scripta fuere, ita, ut Ro- „ mana & Lutherana Ecclesia amica necessitudine „ quadam conjuncta quasi videatur. Sub prætex- „ tu justæ tolerantiæ religionis Romanæ Ecclesiæ „ asseclæ in terras, & ditiones statuum Evangeli- „ corum admittuntur. Papistæ Romani lætantur, „ facilem se invenire viam, ut pristinam recupe- „ rare valeant potestatem, &, dum sors eis fa- „ vebit, si non moderni Principes, vel Domini „ Acatholici, saltem subsecuturi Papatum reverebun- „ tur: obvia erunt quæque: Ecclesiæ eisdem catholi- „ cis conceduntur: arma cuncta parata: & Evange- „ lici (heterodoxi,) qui forte tunc etiam veteris suæ „ religionis tædio afficientur, facile se vinci patien- „ tur. Adeo astuti facti jam sunt Papistæ, perpen- „ dentes, quod primum Medium, quo usi sunt, Com- „ pelle intrare, irritum cesserit.

„ Non tantùm hoc astutiæ illorum testimonium „ est. Omnem à se removent suspicionis occasionem, „ in libris, & operibus suis doctrinam suam adeò „ honestant, ut videri posset, eandem longe aliam „ esse ab illa, quam Lutherus ab ipsis adeò fœdatam „ fuisse demonstravit. Sed unde hæc modo ratio „ agendi apud Romanos? an Romani spem omnem

„ de-

„ deposuere, Evangelicos: (Lutheranos) pacifican-
„ di, vel denuò sibi uniendi? Minimè. Laborant,
„ sudant, omnes adhibent vires. Præteritis Sæculis
„ tantam stragem religioni nostræ neutiquam intulē-
„ re, qualem his ultimis annis. Congregatio de propa-
„ ganda Fide otium non amat. Nunquid non omnia
„ remedia suppeditabit Congregatio illa, quæ ex cal-
„ lidissimis & astutissimis consociata est homini-
„ bus, qui per tot annos unita consilia congesserunt,
„ dum pusillus Grex Evangelicorum contra illos
„ accingere se minimè potens absque armis, &
„ externè supplices, absque visibili Capite & Pasto-
„ re incedat? Prima horum hominum (Romano-
„ rum) media erant vis & Potestas: his succede-
„ bant libri & scripta. Tandem methodum indagan-
„ tes nunc astutia adversum nos utuntur, qua nobis
„ soporem inducant, ut, dum nulla jurgia & diffi-
„ dia fervent, Doctores Protestantes suos Auditores
„ de doctrina Romanorum admonere negligant, ipsi
„ verò Romani Magnatum & Principum favores au-
„ cupentur, sensimque ad Religionem Romanam
„ pertrahant, &, dum inter Evangelicos vivere
„ oportet, doctrinam suam benigniorem & saniorem,
„ quam qualis est, vendant. In hoc, Auditores cha-
„ rissimi, modò versamur, periculo. Nunc maxi-
„ mè Papa furore agitur, ejusdemque Cooperarii
„ (Auxiliatores) festinant ædificium illud construere,
„ quod Lutherus feliciter Divina opitulante gratia
„ destruxit. O! utinam Pastores nostri vigilent,
„ perpendantque, ipsam Dei rem agi. Tot animas
„ æternæ salutis periculo nunc exponi deprehendi-
„ mus,

„ mus, his inimici Jeſu laborant abripere Juſtitiam,
„ quam Chriſtus pretioſo ſuo ſanguine emit, ut illa
„ per Fidem veniret. An in vanum gratiam Dei
„ accepimus? an fruſtra evangelizatum ſit nobis
„ Verbum Dei? an ſuavis doctrina de fide fruſtra,
„ & inanis nobis annuntiata ſit? Non licet nobis ſi-
„ lere, dum noſtri tacent adverſarii. Nocent nobis
„ ſilentio ſuo, oviculaſque minus cautas nobis eri-
„ piunt. Benedictus hunc Jubilæum annum nunquam
„ annuntiaſset, ſi id evitare ei licuiſſet. Cùm id ef-
„ fugere nequeat, ſplendidis verbis ſuperſtitionem
„ ſuam annuntiat. At tenebræ erunt tenebræ, ſu-
„ perſtitio ſemper manebit ſuperſtitio. Periculoſiſsi-
„ ma nunc prædicantur dogmata, ipſeque Papa contra
„ ſe teſtimonium perhibet. Benedictus eaſdem pro-
„ mulgat Indulgentias, quas Leo X. per Texelium
„ annuntiari juſsit. Laborat, ſudat, enititur huic
„ Jubilæo Feſto omnem conciliare authoritatem,
„ verbis ſuavibus, ſplendidis, piis. Sed adeo pia non
„ ſunt, quin apertè venenum prodant, quod illicita
„ arte Romanæ Eccleſiæ remiſsionem peccatorum
„ Papa indulgere ſtatuerit. Excitemus omnes Chri-
„ ſtianos e ſomno, convocemus fratres, ut hoc anno
„ Papatus pudenda aſpiciant, quomodo Papa fallaci-
„ bus verbis homines Romam convocet, in teſtimo-
„ nium contra ſemetipſum. Verè hic dici poteſt: in
„ vanum mihi ſerviunt, cum doceant doctrinas, quæ
„ nihil ſunt, niſi præcepta hominum. Nos autem flexis
„ genibus Divinam imploremus Miſericordiam, quæ
„ ſalvos nos fecit à ſervitute Papatus, noſque ſan-
„ cto ſuo Evangelio docuit, quod vim habet ſal-
van-

„ vandi eos, qui illi credunt, in quo annuntiatur
„ nobis effusus Christi Sanguis, in quo est remissio
„ peccatorum.

„ Docui vos, Auditores charissimi, quomodo
„ oporteat cavere ab inimicis Justitiæ fidei. Ostendi
„ vobis in historia Ecclesiastica futilem, & profligatam
„ eorum doctrinam, qui operibus Deo satisfacere
„ cupiunt. Instruxi vos, quod hominum perditio
„ ex talibus consequatur doctrinis. In collegiis,
„ ubi de veteri testamento agebam, vobis eos
„ exhibui, qui ex operibus suis Justitiam sibi vindicare
„ volebant. Eadem fiducia Pharisæi Christo sese
„ objiciebant, quali fiducia suos nunc desiderat
„ fideles munitos Pontifex Romanus. Ostendi vobis,
„ quo zelo Salvator noster contra hanc Justitiam accensus
„ fuerit. Vidistis, intellexistis, quod sacrificium
„ ille pro Divina Majestate à nobis exigat,
„ tale enim, quod cor Hominis offerre debet: percepistis,
„ quomodo Pharisæorum justitiam, simillimam
„ Romanis, reprehenderit, ita ut sæpius
„ hac de re sermonem habuerit, dicens: nisi abundaverit
„ justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum,
„ non intrabitis in regnum cœlorum. Audivistis,
„ quomodo filius perditionis statim initio
„ Ecclesiæ comparuerit, quemque in Virum per mille
„ quingentos annos excreverit. Didicistis, quanti
„ fuerint populorum gemitus, ut a jugo isto liberi
„ evaderent &c.

At satis, & plusquam satis, Lector audisti furori suo habenas laxantem nequissimum calumniatorem; accipe nunc ex mea ad Feverlinum Epistola Diplo-

ploma Pauli III, quo nihil profecto efficacius ad tantam illam insaniam reprimendam. Documentum istud nemini antea compertum, cujusque indicium tantum aliquod mutuæ Cardinalium Contareni, & Poli literæ, e Vaticanis pluteis erutæ, mihi monstraverant, debeo Ambrosianæ Bibliothecæ, ejusque præstantissimo Præfecto Antonio Saxio. Hic quippe, ut studiis meis more suo humanissime faveret, curam dum sumeret in suo illo veterum Chartarum ditissimo penu diligenter perquirendi, si quæ laterent margaritæ studiis illis juvandis opportunæ; forte fortuna illi occurrit Pauli III. Diploma de modo Concionandi, quod tamen quum existimaret nihil ad mea illa studia facere, primo quidem sat habuit mihi illud indicare, at postea conscius mei desiderii eo potiundi, Brixiam statim liberaliter ejusdem exemplum transmisit. Navabam tunc operam scribendæ ad Feverlinum epistolæ, qua scilicet repellere susceperam criminationem adversus Orthodoxam Ecclesiam a Doctore illo Goettingensi intentatam in libro suarum Observationum in Augustanam Confessionem, in quarum Articulo XX, qui inscribitur de Fide, & bonis operibus ista affirmat, *Nostros doctrinæ Evangelicæ instauratores indolem bonorum operum recte explicasse, quod nimirum a Deo præcepta esse, & maxime in internis, in amore Dei, & proximi, in patientia, in non concupiscendo, consistere debeant; Concionatores autem Pontificios olim de his parum docuisse, tantum puerilia & non necessaria opera, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, rosaria, monachatum, & similia ursisse*. Maculis istis abstergendis,

dis, ſeu atroci ei accuſationi profligandæ velut ancile cœlo delapſum, millies tunc exoſculatus fui Diploma illud, rurſuſque millies ipſum modo deoſculor, quod totum factum eſſe apertiſſime conſtet ad os obſtruendum homini, cum quo mihi in præſens res eſt, blaſphemo, ſiquis alius. En ſanctiſſimæ & ſapientiſsimæ Pauli III. literæ, unde meridiana luce clarius evincetur, Romanam Eccleſiam, etiam jam jam inſtante Concilii Tridentini convocandi tempore maximopere abſuiſſe ab edocendis Fidelibus, ut eam in bonis operibus conſtituerent fiduciam, quam nobis improperat Doctor Helmſtadienſis, quæ ſcilicet efficeret, ut inimici juſtitiæ fidei dici mereremur; nam exhibebunt eæ literæ ſummum ejuſdem Eccleſiæ Præſidem, Romanum Pontificem, Apoſtolico Senatu probante, ea de Juſtitia Chriſti, de bonis operibus tradentem, ac præſcribentem, quibus nihil ſanctius. Quid enim ſanctius verbis iſtis? „ Locus hic „ de bonis operibus maxime eſt amplificandus coram populo a Chriſtiani Verbi Prædicatore, utpote qui ſummopere ſit illi neceſsarius, atque ad ea, quantum fieri poteſt, eſt populus hortandus; dummodo ſemper primum fiduciam habeat in meritis Chriſti, quibus omnia noſtra opera nituntur. Ita ergo pio & prudenti Chriſtianæ pietatis Prædicatori cum populo, quem docet, agendum, ut nunquam fidem in Chriſtum prædicet, quin etiam in eodem ſermone, & de pœnitentia, & de bonis operibus diſſerat: itemque e contra nunquam de operibus, & de pœnitentia ſermonem habeat: quin etiam de fide, & meritis

 „ Chri-

„ Christi, in quo est salus, vita, & redemptio no-
„ stra, qui factus est pro nobis a Deo justitia & sa-
„ pientia, ut inquit Apostolus Paulus. Quod si quis
„ potuerit ad eam in Christo perfectionem perveni-
„ re, ut sui ipsius oblitus, ex amplitudine fidei &
„ caritatis omnia etiam bona opera sua (in quibus ta-
„ men semper versari eum oportet, si fuerit talis ut
„ diximus) contemnat, & nihil faciat, sed vivat tan-
„ tum in Christo, hic præ omnibus admiratione di-
„ gnus est habendus. Hunc, iterum dicimus, &
„ monemus, falso, quisque ille fuerit, sibi polliceri
„ hanc, quam meminimus, perfectionem, nisi quam-
„ vis diligentissime ab ipso bona opera, & omnia offi-
„ cia præstentur, contemnat tamen, & parvi faciat
„ omnia, ac solum Christo innitatur, in quem trans-
„ formatus est.„ At integrum afferendum Diploma,
quod hujusmodi est.

„ Nihil magis putamus ad officium Pastorale
„ Summi Pontificis pertinere, quem Christus Do-
„ minus noster Universali Ecclesiæ præfecit, quam
„ impensam operam dare, ut mature tollantur om-
„ nia ea, quæ videntur posse perturbare pacem, &
„ hujus Ecclesiæ unitatem, quam in primis in ea
„ Deus voluit conservari, in his præsertim rebus,
„ quæ spectant ad doctrinam & dogmata, quibus
„ populus Christianus imbui debet ab his, qui con-
„ stituti sunt ut coadjutores Episcoporum ad prædi-
„ candum populo Dei verbum. Idcirco cum hac
„ tempestate, in quam incidit Pontificatus noster,
„ nonulla schismata orta sint, quæ mirifice pertur-
„ bant quasdam Christianas Nationes, maximasque
„ se-

„ ſeditiones pepererint, quibus ſperamus mederi poſ-
„ ſe, Domino bene juvante, Concilii Generalis ce-
„ lebratione, quod jam indiximus, cavendum no-
„ bis in primis ducimus, ne novus quiſpiam hujuſ-
„ modi morbus reliquum Eccleſiæ corpus, quod ad-
„ huc ſanum eſt, aliqua ratione adverſarii noſtri in-
„ ſidiis invadat. Quamobrem cum intellexerimus,
„ Prædicatores verbi Divini piis ſtudiis accenſos,
„ non tamen ſecundum ſcientiam, inter ſe diſſidere
„ in tradenda populis Chriſtiana diſciplina, ac ob eam
„ rem populum rudem, nec ſatis capacem ſubtilio-
„ rum diſputationum, plerumque etiam bene dicta
„ in pravum ſenſum interpretari, aliquando etiam
„ incertum reddi, quorumnam ſententiam potiſſi-
„ mum ſequi debeat; ideo oportunum putamus fo-
„ re, ſi certa quædam regula ſtatuatur (nullis inte-
„ rim Orthodoxis dogmatibus improbatis) qua om-
„ nes Concionatores uti debeant, ut omne idem di-
„ cant, ac populus idem audiat dici ab omnibus.
„ Quamobrem nonnullis Viris gravibus, piis, &
„ Sacrarum Literarum peritis injunximus, ut in hanc
„ curam incumberent, qui omnibus bene diſcuſſis,
„ in ſcriptis nobis tradiderunt ea, quæ excogitave-
„ re. Nos autem iterum cum Venerabilibus Fratri-
„ bus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus
„ re diſcuſſa, de eorum conſilio decrevimus, hanc
„ ab omnibus formam doctrinæ ſervari debere in
„ Concionibus ad populum, ſine ullo, ut diximus,
„ præjudicio Orrhodoxi cujuſpiam dogmatis; ſed ra-
„ tionem tantum habendam arbitrantes populi ru-
„ dioris: quem doctrinæ modum notavimus ſerva-
„ tum

„ tum fuiſſe ab omnibus piis, & Sanctis Viris, ac
„ præſertim a Sancto Sanctorum Domino Noſtro
„ Jeſu Chriſto, qui eſt Deus benedictus in ſecula.
„ Juſſit Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, ut refert
„ Lucas Evangeliſta, prædicari in nomine ejus pœni-
„ tentiam & remiſſionem peccatorum. Idcirco ve-
„ ritatis præcepto inſiſtente, injungimus omnibus
„ verbi Divini Prædicatoribus, ut primum populo
„ prædicent pœnitentiam, ſine qua impoſſibile eſt
„ ſperare per Dominum Noſtrum Jeſum, & fidem
„ in ſanguine ejus, ullam a Deo remiſſionem pec-
„ catorum. Inſiſtendum ſummopere eſt hoc in loco,
„ quoniam populus implicitus cujuſcumque generis
„ vitiis & peccatis, ſummopere eget, ut ad pœniten-
„ tiam provocetur; nemo enim poteſt novam vi-
„ tam inchoare, niſi eum veteris pœnituerit, nec
„ per Chriſtum & ejus fidem ad Deum accedere,
„ niſi prius cum Chriſto mortuus fuerit peccato.
„ Ampliſſimus eſt hic locus, & maxime a Prædica-
„ toribus ampliandus. Declaranda ſunt etiam, & ex-
„ ponenda Legis præcepta, contra quæ ſunt peccata,
„ peccatorum genera explicanda, eorumque quam
„ magna ſit deformitas populo exponendum: propo-
„ nendæ ex Evangelii textu ſunt & pœnæ paratæ
„ peccatoribus, & virtutibus, ac benefactis propo-
„ ſita præmia; ſicque Auditorum animus ad juſti-
„ tiam accendendus, & a ſordibus peccatorum abdu-
„ cendus. Innumera ſunt exempla Sanctorum &
„ piorum Hominum, quibus Auditor accendi po-
„ teſt ad probitatem, & ab improbitate retrahi.
„ Hunc prædicandi morem ſervatum fuiſſe a Domi-
„ no

„ no Noſtro Jeſu Chriſto in Evangeliis legimus,
„ quot Parabolas retulit Præceptor bonus, ut ſe po-
„ pulo accommodaret, & interim, ut Auditorum
„ ſtudia excitaret! Quodnam exemplar nobis propo-
„ nemus imitandum, ſi rejicimus Domini exemplar!
„ Jactis pœnitentiæ fundamentis, commode poteri-
„ mus tranſire ad remiſſionem peccatorum, alteram
„ inquam partem, quam præcipit prædicari debere
„ in ejus nomine. Hic docendus populus ad remiſ-
„ ſionem peccatorum poſt veram pœnitentiam vi-
„ tæ veteris, in qua obedivimus peccato, nullo alio
„ mediatore, qui nobis hoc meruerit, impetrari
„ poſſe, quam per Dominum noſtrum Jeſum Chri-
„ ſtum, & per fidem paſſionis, & reſurrectionis ejus,
„ ut Apoſtolus Paulus apertiſſime declarat: nam &
„ unum mediatorem Dei & hominum, inquit, eſſe
„ Chriſtum Jeſum, & quod Deus ipſum propitiato-
„ rem poſuit per fidem in ſanguine ejus. Hoc in
„ loco doceri poterit populus omnia beneficia, quæ
„ conſecutum eſt humanum genus per Chriſtum Do-
„ minum noſtrum, quorum quædam jam ſunt aſſe-
„ cuti qui ſunt in Chriſto; alii vero qui in Chriſto
„ non ſunt, vel a Chriſto exciderunt, certiſſime con-
„ ſequentur, ſi poſt veram pœnitentiam ei inhæſerint
„ per veram fidem & caritatem: nam & remiſſio-
„ nem peccatorum ſic per eum adipiſcimur, & San-
„ ctum Spiritum, per quem caritas diffunditur in
„ cordibus noſtris, & adoptionem in filio Dei, quæ
„ omnia initio adepti ſumus per Baptiſma, poſtmo-
„ dum autem perdita, inertia & malitia noſtra ob
„ peccata mortalia, recuperare poſſumus per Sacra-

„ men-

„ mentum Pœnitentiæ, & ex vi abſolutionis Sacer-
„ dotis, & fidei noſtræ in ſanguine Jeſu Chriſti poſt
„ Confeſſionem rite peractam. Quædam vero alia
„ beneficia ex meritis Chriſti abſque dubio conſe-
„ quemur re ipſa, ſicuti nunc ſpe certa poſſumus vi-
„ deri adepti jam fuiſſe: hæc autem ſunt felicitas
„ æterna poſt hanc vitam, & reſurrectio corporum
„ in die judicii. Urerque locus ampliſſimus eſt; nam
„ de miſeria hominis, in quam ceciderat poſt pec-
„ catum primi Parentis, & de ſervitute, qua pecca-
„ to ſerviebat, & de reatu, quem contraxerat, &
„ miſeria, in quam deciderat, copioſe doceri popu-
„ lus poteſt, ut magis intelligat, quantum omnes
„ debeamus Chriſto, cujus paſſione, & meritis li-
„ berati ſumus, & gratiam adepti in ſpem vitæ æter-
„ næ obtinendæ, ſi in Chriſto manſerimus, & ſpi-
„ ritu ambulaverimus. Hic pius Divini Verbi Præ-
„ dicator commode poterit populum docere Sacra-
„ menta, quibus tamquam ſignis quibuſdam viſi-
„ bilibus inviſibilis gratia a Deo per Chriſtum no-
„ bis confertur; quo in loco docendus populus, quod
„ quemadmodum Baptiſmus & Pœnitentia ſunt di-
„ verſa inter ſe Sacramenta, ita non eodem modo
„ paſſio Chriſti applicatur nobis in Baptiſmate, & in
„ reparatione poſt lapſum, qua in re multi nunc er-
„ rant; nam in Baptiſmo applicatur per modum re-
„ generationis, qua homo novus naſcitur: in Pœni-
„ tentia vero per modum revivificationis, ſeu reſur-
„ rectionis, qua mortuus reviviſcat, cujus cadaver
„ etiam in morte per conſecrationem Baptiſmatis
„ pertinet ad Chriſtum; & ideo indiget ſatisfactio-
„ ne

„ ne aliqua ex judicio Sacerdotis, & Dei, qua Chri-
„ ſtum imitemur, & quo reliquiæ morbi contracti
„ ex peccato ſanentur gratis, remiſſa culpa, & poe-
„ næ æternæ reatu per Chriſtum. Omnia etiam my-
„ ſteria, quæ Eccleſia Catholica, & Orthodoxa fi-
„ des de Chriſto Domino noſtro credit certiſſima
„ fide, poterit populus doceri, ex quibus magnam
„ conſolationem, & fiduciam quivis peccator perci-
„ pere poteſt, dummodo ſit inſertus Chriſto per fi-
„ dem & caritatem. Ad hunc locum pertinebit do-
„ cere populum, abſtinendo tamen a difficilioribus
„ perſcrutationibus, & capacitati populi ſe ſe accom-
„ dando, de fide, ſpe, & caritate, quæ ſentit Or-
„ thodoxa Eccleſia, & quæ etiam Chriſtianum ho-
„ minem noſſe operæ pretium eſt; ad caritatem Dei
„ & proximi omnia bona opera referuntur, quibus
„ & pietas erga Deum exercetur, & erga proximum
„ omne officii genus, & puritas animi, & ſimplici-
„ tas Chriſtiana in unoquoque conſervatur, & au-
„ getur, quibus propoſita ſunt proemia omnium am-
„ pliſſima, vita ſcilicet æterna, ceteraque omnia ve-
„ ra bona. Verum quoniam non omnes, ſed pau-
„ ci hujus perfectionis capaces ſunt, præſertim in
„ frequenti populo, & ea, quæ bene fuerint dicta,
„ in pravum ſenſum interpretari ſoleant, & a parum
„ idoneis in libertatem carnis verti; idcirco horta-
„ mur, & præcipimus Prædicatoribus, ut cum ver-
„ ba fecerint coram frequenti populo, magis verſen-
„ tur in prædicandis bonis operibus, in prædicando
„ poenitentiam, & deteſtationem peccatorum: nullo
„ interim pacto, omiſſa fide in Chriſto, & ejus me-

„ ritis, quæ Deus nobis donavit cum Chriſto, ſi
„ fuerimus in Chriſto; quam ut in ea docendi ratio-
„ ne frequenter ingeramus auribus populi perfectio-
„ nem illam de contemptu noſtri, & operum noſtro-
„ rum. Nam non omnes huic verbo capiendo ido-
„ nei ſunt, ſed bene dicta, quæ non capiunt, de-
„ torquent in libertatem carnis, ut experientia om-
„ nes nos docet. Hanc rationem prædicandi in Evan-
„ geliis legimus ſervatam fuiſſe a Chriſto Domino
„ noſtro, cujus veſtigiis in primis niti debemus. Et
„ quoniam ſperamus per Jeſum Chriſtum, ſi in eo
„ manſerimus, ſi in bonis operibus verſati fuerimus,
„ adepturos nos eſſe felicitatem, ac certo credimus,
„ malos homines, qui non fuerint in Chriſto, ju-
„ dicium gehennæ ſubituros, & de vita æterna, ac
„ felicitate, quam expectamus, de pœnis inferni, &
„ de purgatorio, de reſurrectione corporum, de ex-
„ tremo judicio poterit populus inſtrui, & doceri
„ ea, quæ Catholica & Orthodoxa Eccleſia ad hanc
„ diem ſemper prædicavit. Docendus præterea po-
„ pulus eſt, qualis debeatur Sanctis veneratio, quæ
„ ſcilicet non conferatur cum adoratione, qua Deus,
„ & Chriſtus Dei Verbum adoratur, quæ eſt ado-
„ ratio latriæ, qua Deum primam omnium cauſam
„ profitemur, & ei tamquam ſummo bono inhæ-
„ remus. Sancti vero adorandi, ſeu venerandi ſunt,
„ ut membra Chriſti præcipua, & ut amici Dei,
„ jam cum Deo viventes, quos vult Deus honorari,
„ eorumque precibus multa nobis tribui, ut tot San-
„ ctorum Doctorum teſtimoniis nobis proditum eſt;
„ nam laudari vult Deus in Sanctis ſuis, & mem-

„ bra

,, bra Christi in veneratione haberi, quos secum ,, etiam sedentes super duodecim sedes judicaturos ,, Mundum, apertissime ab Evangelio Lucæ doce- ,, mur. Observantias etiam, jejunia scilicet, & ce- ,, teras ceremonias ab Ecclesia institutas, docendus ,, erit populus, religiose servandas esse, non super- ,, stitiose, ut in eis spes & fiducia nostra ponatur; ,, sed ut exteriores cultus, qui & per se sint boni, ,, & mirifice faciant ad cultum interiorem animi ,, conservandum, & promovendum, qui sunt in- ,, stituti a majoribus nostris sanctissimis Viris, & tot ,, seculis ab omnibus Christianis recepti, quibus nol- ,, le parere magna est injustitia, & gravissimum pec- ,, catum, præter peccatum schismatis, quo pauca ,, sunt graviora; nam eo tollitur unitas Ecclesiæ, quæ ,, a Spiritu Sancto in unum corpus continetur. Et ,, ideo (ut inquit Augustinus) sperare remissionem ,, peccatorum extra unitatem Ecclesiæ, est peccare ,, in Spiritum Sanctum.

Pontificias literas hasce quum recitassem in Epistola ad Goettingensem Professorem exarata, eundem rogavi ut in illis tanquam in speculo, quo nullum fidelius, contemplari vellet nitidam, ac sinceram imaginem dogmatis, quod de meritis Christi, & bonorum operum fructu Orthodoxi homines profitemur, nosque proinde dignos hujuscemodi nuncupatione fateatur, siquidem de eo dogmate fassus est ipse ad Artic. IV. Aug. Confess. *Articulus hic Fidei est primarius, & per hanc doctrinam distinguitur Ecclesia vere Christiana, & Evangelica a Coetibus corruptis plerisque*. Helmstadiensem autem Doctorem modo rogo,

ut ingenue dicat, an dogmatis illius tradita in Pauli III. literis explicatio habenda sit pro Jesuitarum fraude *falsas doctrinas arte sua obtegentium, & verbo tenus tantum sancto dogmati accedentium*. Eum pariter rogo, ut Epistolam perlegat Clariss. Kieslingii Professoris Lipsiensis ad me ante paucos menses publice datam, cui scilicet hoc statuit argumentum, *De Contareno purioris doctrinæ de Justificatione in Conventu Ratisbonensi teste, & confessore*; ac perlegat tandem Cardinalis Reginaldi Poli ad eundem Contarenum Epistolam, quam evulgavi in literis mense Julio hujusce anni MDCCL. ad Illustrem Senatorem, Virumque doctissimum Fridericum Ottonem Menchenium scriptis; in qua hæc haberi reperiet, *Unum illud* (laudaverat antea quæcumque a Contareno gesta fuerant in Ratisbonensi Legatione) *multorum res gestas magnas meo judicio superat, quod Ecclesiam Romanam ea apud omnes illas Nationes liberasti infamia, qua illam, qui ab ejus obedientia deficiunt, aspersferunt, cum objicerent nobis primum articulum Redemptionis nostræ nos non intelligere, eum qui rationem nostræ apud Deum justificationis complectitur; quem nobis deinceps ut impingant, post auditum eundem Legati Sedis Apostolicæ voce sic explicatum, neminem tam impudentem fore spero*.

Quoniam vero toto eo libello suo Doctor idem Helmstadiensis ita persequitur Notitiam, Originem, Historiam de Indulgentiis, & Jubilæo, ut clare pateat, nihil illi gratius accidere, quam quum sententiis, seu dictis suis pondus addit Ludovici Antonii Muratorii authoritate in medium adducta, noverit

ip-

ipſe, & cum eo quotquot ipſum e ſuggeſtu declamantem audierunt, imo Heterodoxorum natio omnis, non eam eſſe apud nos Scriptoris illius authoritatem, quam autumant ejus nomini deberi iidem Heterodoxi, ac præſertim Genevates, ut compertum mihi fecerunt literæ aliquot poſt illius obitum ad me ex iis regionibus perlatæ, quas dolenter admodum perlegi. Magni utique facimus Muratorii eruditionem, ingenteſque, quos pro augenda re literaria ſuſcepit, labores nos quoque prædicamus; at de ejus lucubrationibus ſacra argumenta tractantibus quid ſentiendum ſit, ii tantum ignorant, quibus in more eſt jurare in verba Magiſtri. Fruſtra itaque adeo ſibi plauſit de Muratorii nomine, atque ſententiis Declamator, quem ſatis confutaſſe jam mihi videor, quin opus habuerim, integrum ejus libellum recitare.

Tandem, etiam me tacente, facile, Lector, intelligis, quidnam cauſæ habuerim, ut Delectus hujuſce conficiendi, & hac tempeſtate evulgandi conſilium ſuſciperem. Clare omnino cauſam eam declaravi in literis publice datis die 23. Aprilis 1749. ad Sanctiſſimum D. N. BENEDICTUM XIV. verbis uſus Auguſtini Cardinalis Valerii, in Commentario de Jubilæo, quod Clemens VIII. celebravit, affirmantis, Eccleſiæ Principes ampliſſimo, quem obtinent, loco ſplendorem addere non mediocrem, *Si libros ſcribant, populo Dei utiles, quibus hæreſes confutentur*; nec aliud lucrifaciendis Hæreticis opportunius eſſe tempus oſtendentis, quam Anni Sancti, nam de Provinciis, quæ a Sanctæ Matris uberibus divulſæ in varias hæreſes ſunt prolapſæ ita loquitur idem Cardinalis in eodem Commen-

mentario, *Cum ſuperet Divina Clementia mortalium omnium iniquitates, non videtur deſperandum, aliquando fore, rationibus quibuſdam occultis, ut Provinciæ reſipiſcant, & ad ſanitatem Fidei mortales quamplurimi redeant*. At nihil magis animum meum permovit ad offerendum Anni, quem agimus, ſanctitati meum iſtum Delectum, quam factum per BENEDICTUM XIV. ad meas quaſdam literas Reſponſum, quod in alia ad eundem Epiſtola recitavi; rurſus autem hoc loco recitabo, quoniam ad Dei gloriam, & S. Sedis honorem maximopere conferet, ſi Reſponſi illius ſonus ad omnes terræ fines perveniat. Rogaveram enixe Pontificem, ut inter pias Anni Sancti exercitationes locum nanciſceretur parænetica ejus Epiſtola, qua Heterodoxæ nationes amantiſſime invitarentur ad repetendum Chriſti ovile, quod Magiſtrorum ſuorum culpa deſeruerant, moxque ille ita repoſuit, *L'idea dello Scritto Ortatorio è ſantiſſima. Noi l'approviamo, e infinitamente la ringraziamo del ſuggerimento. Ci raccomandaremo di vero cuore a Dio, in cui unicamente confidiamo. Siamo riſoluti, ſe Iddio ci farà campare di paſſar l'Anno Santo in continue preghiere per eſſer illuminati, ed ajutati da quello, di cui ſoſtenghiamo benche indegnamente le veci. Vorreſſimo, che una buona morte, ed una buona Ortatoria foſſero il premio di quanto faremo l'Anno Santo. Ella non ci abbandoni, e preghi Dio per Noi.* Sanctiſſimum ergo iſtud Summi Pontificis propoſitum non alia magis ratione pro virium mearum tenuitate juvare me poſſe judicavi, quam edito iſtiuſmodi libro, quem modo Tibi, benevole Lector, exhibeo. Vale.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſsimo P. Mag. Sacri Pal. Apoſtolici.

F. M. De Rubeis Archiep. Tarſi Viceſg.

DElectum Epiſtolarum Dogmaticarum Eminentiſsimi Cardinalis Angeli Mariæ Quirini, quo horum temporum Sectarii, Lutherani præſertim ad *Ovile Chriſti revocantur* &c. mandante Reverendiſsimo P. Joſepho Auguſtino Urſio Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, attente legi, & non modo nihil offendi, quod Fidei dogmatibus adverſetur; imo vero nihil, quod ad Fidei dignitatem defendendam adjumento eſse non poſsit. Quod ſi ceteras harum Epiſtolarum prærogativas, percenſere hic vellem; vix multas paginas, ampliſsimis, quas merentur, laudibus ſatis futuras crediderim. Id unum ſolummodo dicam, me, præter ſummam ingenii vim, & purgatiſsimum judicium, quo res alioqui abſtruſiſsimas verſat Eminentiſsimus Auctor, ubique miratum eſſe ſingularem ejus diligentiam, & induſtriam in pretioſa rerum eccleſiaſticarum ſupellectile e tenebris, quibus ferme obruta erat, in lucem aſſerenda. Quamobrem publico Eccleſiæ Catholicæ bono optime conſultum putavero, ſi quam citiſsime typis committantur.

Fr. Joh. Baptiſta Audiffredi Ord. Præd. Bibliothec. Caſanat.

NOn mediocriter gratulandum Romanæ Eccleſiæ, quod noſtris hiſce temporibus in Eminentiſsimo Principe, Sanctæ Sedis Eruditiſsimo Bibliothecario, atque Brixienſis Eccleſiæ Vigilantiſsimo Epiſcopo Angelo Maria Quirino adeo ſtrenuum ſacræ Doctrinæ nacta ſit Defenſorem, ut exercitatiorem vix optent Catholici, revereri certe ac ſe-

ſequi debeant Sectarii, ſi ejuſdem doctiſsimis ac ſuaviſſimis monitis animum velint advertere. Injuſtæ ſeceſsionis ab Eccleſiæ Romanæ ſinu pluribus jam Epiſtolis dogmaticis eoſdem damnaverat Eruditiſsimus Scriptor; novo nunc Spicilegio ex earum Epiſtolarum *Delectu* Heterodoxos quoslibet, præſertim Lutheranos, iterum vehementiſsime urgere proſequitur; atque errantibus amantiſsimè æquè ac ſolidiſsimè viam ſternit, qua tandem meliora ſapientes ad Chriſti Ovile revertantur. Operis tam egregii utilitas, ſcribentis ſincera Charitas, ardens Zelus, mira Eruditio, ac Doctrina commendatione à longe petita non indigent. Clariſsimus Auctor ſua luce ſe ſignat; cæteriſque doctiſsimis Opuſculis ſimillimum Opus adeo Parentis ſui præclaram indolem imitatur, ut meritò geſtiat Frater inter Fratres, omnium oculis aſpici, legi, diurna, ac nocturna verſari manu. Id optimi omnes, id Eruditi quique optant, ac ſibi depoſcunt; id poſtremò non ſolum cenſet, ſed enixiſsimè rogat, qui juſsus a Reverendiſsimo Patre Joſepho Auguſtino Urſio Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro, hunc *Delectum* recenſere, nihil in eo quod non probet, ſuſpiciat, diligat, invenit.


Ex Domo Probat. S. Andreæ 10. Octobris 1750.

Fabius Danzetta Sacerdos Soc. Jeſu.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ord. Præd. S. Pal. Ap. Mag.

EX



EX EPISTOLA

Ad Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum

D. BERNARDUM DE FRANCHENBERGH

ABBATEM MONASTERII DESERTINENSIS, SACRIQUE R. I. PRINCIPEM.



Uid causæ fuerit, cur, postquam vegetus, hilarisque binas amplas, populosasque Valles, provincias quodammodo appellandas, valliumque reginas, equitando superiore mense peragrassem, Camunicam scilicet, Diœcesis meæ tractum, variis ibidem Pastoralis ministerii officiis perfunctus, deinde Telinam, consilium illico abjecerim subeundæ Rhetiæ, pervadendique ad Desertinense Monasterium, Illustrissime ac R.me Præsul, Te certo credo ex tuorum apud Portalesium (nam eo usque pervectus fueram) degentium Cœnobitarum literis intellexisse &c.

Habes ergo, Illustrissime Domine, tam causam, quæ me adegit, ut Rhetis a limine tantum salutatis ad Cenomanos meos regrederer, quam propositum, quod modo suscipio, revera adeundi alia vice Desertinenses tuos, postquam ipse Brixiam adveniens, hoc facto edocueris, non adeo magnum inter nos, & vos chaos esse firmatum, ut mutuis hisce commigrationibus aditus, sicuti quidam sibi fingunt, non pateat. Ne autem Epistola mea ista ab aliarum, quas quinque Decades dono Tibi transmissæ

complectuntur, forma, ac ſtylo diſſentiat, ſtatui hoc loco ſubjungere literariæ occupationis, qua nuperrimum meum iter de more oblectavi, notitiam. Quum in eo eſſem, ut ipſum ſuſciperem, ab Albritio Veneto Bibliopola accepi Volumen ante quinque annos Tiguri impreſſum, cui titulus: *Epiſtolæ ab Eccleſiæ Helveticæ Reformatoribus, vel ad eos ſcriptæ. Centuria Prima. Ex Autographis recenſuit ac edidit Johannes Conradus Fueslinus.* Idoneum hoc mihi viſum eſt, cui vacuas ejuſdem itineris, ſi non ad Helvetios ipſos, ad populos tamen iiſdem finitimos, ac fœderatos converſi, horas impenderem. Ipſum ergo meæ viatoriæ ſupellectili adjunxi, ut mihi ex equo deſcendenti ad manus eſſet, feſſoque ſolamen dulce largiretur. Eo autem avidius, atque attentius oculos identidem in illud figebam, quod earundem Epiſtolarum Editor initio Præfationis, collaudato Epiſtolico ſcribendi genere, quod *in præſentiarum* (ait ipſe) *quibuſdam adeo placuit, ut mos invaluerit, libros hac forma vulgare, eſt enim Epiſtolaris ſermo ſuavis, & ad animos inſtruendos aptus*, operæ ſuæ pretium in coacervandis Epiſtolis, quas publica luce donabat, his verbis mihi commendaſſet: *Reforformatorum Epiſtolæ dotem ſingularem habent, ob quam mereant, ut ex tenebris, quibus hactenus oppreſſæ fuerunt, liberentur. Cordatiſſimi illi Viri res maximas geſſerunt &c.*, quodque ad eum ipſum finem his ille verbis in calce ejuſdem Præfationis uſus fuiſſet: *Gratum erit igitur Hiſtoriæ cultoribus, hunc theſaurum omnium uſui committi, quia ita confirmabuntur in multis, quæ excellentiſſimi hi viri* (memoraverat paulo ante Hottingerum, Patrem, & Filium, & Johannem Henricum Ottium) *prodiderunt. Præterea videbunt, plurima ex eo expiſcanda eſſe, quæ illi, aut præterierunt, aut ſuo propoſito non convenientia eſſe duxerunt. Addo, quod ſexcentas Epiſtolas collegerim, quarum illi non meminerint. Quod ſi quis ad novam Hiſtoriam Reformationis Eccleſiaſticæ condendam animum appulerit, is demum pretium operæ meæ ſenſerit.*

Referam modo quidnam ſit quod ex eo *theſauro* potiſſimum *expiſcari* mihi contigerit, quænam res illæ *maximæ*, quas geſtas comperi ab iis *cordatiſſimis* Viris. Utramque,

que, ut dici solet, paginam facere in ea Collectione deprehendi discordias inter Viros illos subortas, & quidem acerbissimas, atrocissimasque, dum singuli eo suapte natura inclinarent, ut summa pervicacia propugnare contenderent quascumque comminiscerentur novas loquendi, & explicandi formulas, quascumque fingerent chimæras. Tam insanæ altercandi, & sese lacerandi libidinis specimen præbebunt, quæ statim subdo. Ad Huldricum Zwinglium ita scribit Valentinus Tschudius Epist. XIV. Claronæ 15. Mart. 1530. *Video .... irrepere neglectum Dei, despectum Magistratuum, violationem judiciorum, vitam quoque licentiosam, nam tanto odio exacerbatis animis perit æquitas, charitas extinguitur, & cum quisque suæ voluntati satisfacere studet, ut quod ipsi visum fuerit extollatur, damnum quod incurrimus non sentit. Quid vero populo tam hostiliter diviso ultra expectandum, quam desolatio?* In Epistola autem LIII. quæ est Jacobi Bedroti ad Johannem Gastium, hæc habentur: *Paradoxis, assertionibus, criminationibus, recriminationibus, apologiis, antapologiis mundus impletur, veritatis tum inquirendæ, tum asserendæ prætextu, atque interim nulla re alia gravius hæc naufragium facit, quam hujusmodi contentiosis, & fermento monstrosorum affectuum vitiatis scriptis. Tantum enim abest, ut hinc elucescat clarius, ut magis, ac magis fiat dubia, atque adeo, juxta Mimum, altercando tandem amittatur.* Quam grave autem detrimentum in ipsam morum disciplinam importarent dissidia ista, fidem facit Epist. LIV. in qua Rud. Gualterus ad Bullingerum Marpurgæ: *Disciplina* (ait) *morum hic talis est, qualem Bacchadibus suis Lyæus, & Cupidinibus Venus præscripsit. Inebriari, vomere, hinc inde per plateas vacillantem conspici, non pudere, imo laus, risus, jocusque est. Si studiosum videas, militem ne, an Musis initiatum dubitabis. Sed cur non his uterentur moribus discipuli, cum maxima Professorum pars hæc soleat? Membrorum languorem capitis vertigo parit.*

Fanaticum furorem, qui *cordatissimos* eos Viros agebat, abnormia, & dictu horrenda sibi invicem docere exprobrantes, unde tota Religio Christi risui infidelium exponeretur,

nulla ratione dissimulare valens earum Epistolarum Editor, turpi eo crimine Zwinglianos, Lutheranos, Calvinianosque absque fuco condemnat, quin calumniarum, & blasphemiarum mult rum eos omnes reos facit in Præfatione illa sua; imo ad ejusdem pag. XVI. & XVII. ex libro Johannis Jezleri Theologi Schaffhusiani, qui prodiit Tiguri anno 1584. verba quædam eidem exscribere libuit, unde intelligimus, immoderationem illam ingeniorum eo processisse, ut qui se Reformatos, & Evangelicos dicerent, se se dicere invicem non dubitarent *omnium mortalium, quos unquam terra sustinuerit, longe deterrimos, nec non in sempiternum damnatos*. Hæc omnia ingenue Editor fassus, non ideo Magistros illos suos fraudandos reputavit encomiis, eos scilicet egregiam laudem, & spolia ampla tulisse ratus, quod *ignorantiam* (ait ipse) *&, quæ ipsi facile conjuncta est, superstitionem, totum orbem libere pervagantes, omniaque tyrannice subvertentes, extirparunt, & suavissimam veritatis lucem protraxerunt*. Et paulo post: *Lutherus, & Zwinglius singulari Dei beneficio ad magnum hoc opus perficiendum excitati sunt, quorum ille in Saxonia, hic vero in Helvetia Ecclesiam Dei perpurgare nisus est. Horum exemplo commoti plurimi pii & eruditi Viri in Germania, Gallia, Italia, Polonia, Holandia, Angliaque, contra inveteratam superstitionem insurrexerunt, & eam sociatis viribus impugnaverunt*. Quis unquam credat, singulari Dei beneficio ad magnum reformandæ Ecclesiæ opus excitatos fuisse hujusmodi homines, postquam Editor, de quo loquimur, nos ita edocuit? *Quid in his omnibus quivis habuerit consilii, quibusve rationibus moti fuerint, non alio modo facilius discendum est, quam ex illorum Epistolis*. Sui autem hujusce dicti hanc ille rationem reddit: *Has Epistolas perlecturi ad arcana quæque penetrabunt, in iis enim Reformatores interioris notæ amicis, apud quos nec fuco, nec fallaciis opus est, mentis suæ cogitata explicarunt, & in sinum quasi effuderunt*. Quis, iterum dico, illud unquam credat? quum eæ ipsæ Epistolæ, teste earundem Editore, iis convitiis, & deliriis scateant, ad quæ secum invicem dilapsi Reformatos, & Evangelicos se

se jactantes, *omnia mandatis Christi contraria faciebant*. Quæ omnia quum ex eo libro inter Vallem Telinam perrerrandam adnotarem, frequens animo meo occurrebat imago Epistolarum, quarum non unam, sed plures Centurias jam evulgaveram, pluresque adhuc evulgaturus forem in Editione, cui modo incumbo, qua nempe seu conscriptas a Cardinali Polo, seu ad ipsum exaratas complecti aggressus sum. Cogitabam nimirum, quam dispar hisce color foret ab eo, quem editæ a Fueslino Tiguri Epistolæ præferunt, atque adeo dispar, ut quas ipse collegi, propterea quod nihil nisi ex Christianæ virtutis norma contineant, quotquot eas perlegerint & admirationem, & suavissimos pietatis sensus insinuari sibi sentiant, necesse sit; Fueslini vero pleræque illæ, ceu fanaticorum ingeniorum fœtus, commiserationem unice, ac stomachum promereantur &c.

Adest in Fueslini Centuria num. LXXXI. Epistola, quæ statum Religionis ea ætate in Valle Telina misere deperditæ describit. Scripta ea visitur ab Julio Mediolanense ex Pesclavio IV. Non. Novemb. 1555. ad Henricum Bullingerum, atque ita incipit: *Superiore mense Junii cum essem Sondrii, quod est primarium Vallis Telinæ oppidum, accepi tuas suavissimas literas, mi Frater colende, ac Domine plurimum suspiciende, quæ mirifice sublevarunt animum innumeris molestiis propter nonnullos seditiosos, & contumaces perculsum, & consternatum. Ea enim est, ut scis, pastorum conditio, ne dicam fatalis quædam sors, ut in dies, & horas multos cogantur subire labores &c.* Ei deinde gratias agit, quod Tigurini, Locarnenses propter Christum exules excepissent. Moxque subdit: *Cum postea Sondrio reversus essem Tiranum, hoc mense Octobri allatæ mihi fuerunt secundæ tuæ literæ refertæ quidem & fraterna dilectione, & Ecclesiastica disciplina, quibus significabas, Lælium Senensem jampridem a nobis suspectum, & a multis bonis fratribus habitum pro manifesto Anabaptista, coram te non tantum professum fuisse bonam confessionem, sed & propria manu subscripsisse sanæ doctrinæ, quæ semper fuit in Catholica Ecclesia*. Monet tamen Bullingerum, Lælium Camil-

lo

lo Renato dedisse manus, ita ut non erubuerit, Genevæ, Clavenæ, & alibi stare a parte Anabaptistarum, *quæ res* (inquit) *apud nos tanti est momenti*, *ut nullus relinquatur excusationi prætextus*; *arbitror enim*, *te non ignorare callidi*, *& tortuosi Camilli ingenium*, *& mores*. Tandem Epistolam his verbis absolvit: *Cæterum Ecclesiæ nostræ Vallis Telinæ*, *quæ sunt Peslavii*, *Tirani*, *Tilii*, *& Sondrii pergunt concordes in veteri*, *& simplicissima doctrina*, *quæ ab ætate Apostolorum apud omnes Ecclesias recepta fuit*, *& hodie Dei gratia sine controversia docetur in vestræ Helvetiæ*, *& nostræ Rhetiæ Ecclesiis*. Imo misere defecerat in Ecclesiis illis Apostolica doctrina.

His ipsis diebus, quibus hæc scribo, perlata ad me est Epistola, typis impressa, Johannis Rudolphi Kieslingii, Publici Professoris Lipsiensis, qua librum meum, ut antea pollicitus fuerat, de Gestis Pauli III. Pont. Max. ad examen revocat; in illius autem Procemio quandam (nescio unde sibi compertam) vitæ traducendæ rationem, *ejuratis*, *quibus alii litant*, *mundi deliciis*, mihi honorificis admodum verbis gratulatur. Quin prolixo animo accipiam officium istud a famoso hisce temporibus Romanæ Sedis obtrectatore, facere non possum &c. Kieslingianam eam lucubrationem jam animo meo constitui Tomo tertio Collectionis Epistolarum Reginaldi Poli propediem edendo præmittere, interpositis meis Animadversionibus; qua ratione in fronte Tomi primi evulgavi Epistolam ad me conscriptam ab Johanne Georgio Schelhornio, Memingensi Bibliothecario. In istis autem diligenter curabo, ut suffragio, quod de meo libro illo tulit Vir doctissimus, sapientissimusque Jo. Antonius Saxius, Ambrosianæ Bibliothecarius, sua maneat authoritas. Probavit ille curam a me ibi susceptam propugnandi ejus Pontificis Gesta, *quæ nemo hactenus æqua lance expendere*, *ac vindicare susceperit*; idque proferendo e tenebris, ut feci, *testimonia adeo clara*, *& sincera Cardinalium integerrimæ authoritatis*, *ut nullus contraire in posterum valeat*, *nisi qui contra impetum fluminis niti velit*, *atque in meridie cæcutire &c.*

Brixiæ XXVI. Maji MDCCXLVII.

EX

EX EPISTOLA

Adversus Clariss. Lipsiensem Professorem Jo. Rodulphum Kieslingium *conscripta*.

PRÆFATIO.



Oncertationem, quam inii in causa gravissimi momenti cum famoso Romanæ Sedis obtrectatore, qui veterum Magistrorum suorum scrinia cuncta compilavit, adhibuitque præterea ad Catholicam veritatem oppugnandam præsidii genus omne, seu a dicendi arte, seu ab ingenii acumine, seu a vafritie, seu tandem ab audacia, & maledicentia sibi comparatum, oculis tuis, Lector æque, & Catholice, subjicio. Id vero dum ago, ingenue profiteor, hujuscemodi Adversarium mihi multo cariorem fuisse, quam si præsidiis illis destitutus certamini se se dedisset; nam bello adversus ipsum, cui nihil deerat ad fortiter pugnandum, feliciter peracto, fateri omnes oporteat, cumulatiorem gloriæ segetem victori exoriri.

An vero decus istud mihi manus conferenti cum publico illo linguæ Sanctæ in Academia Lipsiensi Professore, cum Joanne, inquam, Rudolpho Kieslingio, obtigerit, vix in dubium revocari posse video, postquam ille documenta a me primum detecta, & in medium allata ad vindicandam Romanæ Ecclesiæ Procerum (quibus nempe administris in eadem regenda usus est Paulus III. Pontifex vere Maximus) non innocentiam tantum, sed admirandam bonitatem, doctrinam, atque sapientiam, iis laudibus honestare adactum se sensit, quarum fasciculum statim subjungam.

P. 13. „ Præter ea, quæ Sleidanus, Thuanus, & Sarpius
„ nobis adservarunt documenta, quæ tamen *Romanensibus*
„ fide laborare videntur, pauca ad nos pervenerunt. Im-
„ mortalem igitur promeritus es laudem, quod nobis horum
„ monumentorum, quæ atra nox hactenus pressit, copiam
„ facere, & veram hujus negotii (*emendandæ Ecclesiæ*)
„ for-

„ formam uberius explicare voluisti. Dulcius enim ex ipsis „ fontibus bibitur aqua.

P. *16.* „ Tantum abest, ut hujus Præsulis (*Pauli III.*) „ in Ecclesia Romana Maximi, & Sanctissimi manes turbare „ audeam, ut potius illum optimis, qui hoc Sæculo XVI. „ Sedem Romanam occuparunt, annumerem Episcopis.

P. *ead.* „ Quæ siquis recta reputaverit via, offendet stupendos, quos in hoc negotio (*emendandæ Ecclesiæ*) Paulus III. subiit, labores prorsus inanes fuisse, quia media „ huic operi perficiendo sufficientia non sunt adhibita.

P. 18. „ Non negaverim hunc Romanæ Ecclesiæ Præsulem (*Paullum III.*) naturam in tribuendis animi dotibus „ habuisse fautricem, adornatumque fuisse ingenio ad disciplinas quasvis addiscendas bene composito, judiciique „ acie, & prudentia in re gerenda, ultra suam dignitatem „ forti, & alacri.

P. 30. „ Bene omnino egit, & sapienter Paullus III. quod „ consessum Virorum sui sæculi, eruditione, pietate, & prudentia, illustrissimorum convocavit, ut sententiam de „ emendanda Ecclesia, & Curia Romana indicarent.

P. 54. „ Laudamus Paulli Tertii consilium de repurganda Ecclesia susceptum, quod hunc potissimum habuit finem, ut Patres hujus Consilii anno MDXXXVII. instituti conscripti, in morbos Ecclesiæ adcurate inquirerent, „ eosdemque circumspicerent. Ea porro provincia his Præsidibus erat demandata, ut remedia contra hæc vulnera „ Ecclesiæ inflicta explorarent, eademque litteris consignata „ ipsi Pontifici exponerent. Nemo hoc pium Paulli institutum cum veritatis firmamento sub censuram vocabit, sed „ illud merito collaudabit. Ecquid enim Episcopo magis est „ dignum, quam videre, ne quid detrimenti Respublica „ Ecclesiastica capiat, &, si jam collapsa est, curare, ut „ emendetur, & novis firmamentis adaugeatur? Designavit „ Pontifex huic officio perficiendo Viros pietate, & eruditione illustres.

P. 57. „ Eminent ex Patribus purpuratis hujus Consilii „ senioribus Contarenus, & Polus, quorum Vitas, & Epi-

„ sto-

„ ftolas in Volumina congeftas a Tua, VIR EMINENTISSIME, „ liberalitate nuper admodum accepi, & quæ huic emendationi infignem omnino affundunt lucem. Nec diffimulo „ hos duumviros, quorum ftudium in Ecclefia a fordibus „ liberanda, tefte Seckendorffio, ipfi Proteftantes laudant, „ fuiffe judicio graves, & ingenio mites, & eruditione in„ fignes, ut bene omnino de ipforum confiliis fperare po„ tuerit Germania; fed fuis omnino privati funt illi Patres „ conatibus, & confiliis, quod ipfe hujus Conventus fan„ ctioris comprobat eventus.

P. 124. „ Quam magnopere intentus fuerit emendationi „ laudatiffimus Pontifex ulterius ex Poli demonftras Epi„ ftola, quæ teftatur, Papam, non obftante triftiffima re„ rum, ob varia bella & motus, facie, nihilominus de „ Concilio convocando laboraffe.

P. 125. „ Operæ pretium eft invicta fane teftimonia de „ Paulli Tertii cura, & providentia de Concilio celebrando „ prolixius adducere, quum illa, quæ in nitido hoc Ope„ re (*Geftorum Paulli III.*) leguntur, documenta, rara „ fint, & concertationi noftræ oppido confentanea.

Adverfarium hæc omnia de indubiis illis documentis, inclytifque iis Proceribus confitentem, facile quifquam intelligat, palmam mihi ultro quodammodo adjudicaffe, antequam etiam certamen cum illo fubiturus in campum defcendiffem. Quam ipfam tamen certiorem, ac illuftriorem ut redderem, ea confeffione minime contentus animum appuli ad fortiter impetenda pleraque omnia, quæ ille feu ex fcriniis alienis deprompta, feu Marte fuo excogitata, ad caufæ fuæ patrocinium in lucem protulit. Itaque ejus Epiftolam mihi infcriptam in Articulos XXXVI. partitus fum, totidemque Animadverfiones opponendas cenfui. Comperies autem, ut fpero, bone Lector, earundem fingulis eam ineffe virtutem, ut vel feorfim fumptæ veritatis Catholicæ triumpho mirifice inferviant. Dixi *pleraque omnia*; nam omnia prorfus Adverfarii dicta, per eundem mihi minime licuit, ut ad examen revocarem. Scilicet ifte huc, atque illuc fine lege vagando, perque calles tortuofos, præruptofque,

B fa-

facultatem mihi ſuſtulit ejus calcem mea calce ubique premendi; præterquam quod ſua illa frequens admodum curſitatio extra oleas, nimirum extra argumenti concertationi noſtræ propoſiti limites, præeuntis veſtigia quaquaverſum inſequendi me ab omni onere vel ex ſe ſola liberare debuiſſet.

Fruere igitur, Lector Catholice, Opuſculo iſto, habeaſque Kieslingio gratias, quoniam dum in Epiſtola ſua Sleidani, Seckendorfii, Thuani, Sarpii, Curayeri, aliorumque hujus furfuris, cellas exhauſit, aditum mihi præbuit non ab ipſius tantum, ſed a virulentis horum omnium Scriptis tutandi ſanctum Pauli Pontificis, ejuſque Adminiſtrorum in gubernanda Chriſtiana Rep. propoſitum, proba, ac ſapientia conſilia. Inde autem factum confido, Catholicis omnibus Opuſculum hoc enchiridii loco futurum & ad tutamentum illud, & inſuper ad Heterodoxos convicendos Catholicæ Communionis per ſummam injuriam eo tempore deſertæ, perinde ac ſi Contarenus, Polus, Sadoletus, Caraffa, Cervinus, aliique præclariſſimi Viri, quos, vocatos, rogatos, Pontifex ille in ampliſſimum Ordinem adſcivit, ii eſſent, de quibus Chriſtus in Evangelio, *Attendite a falſis Prophetis*.

Tandem, ut aliquid dicam de ſcribendi manſuetudine, a qua curam cepi ne vix, aut ne vix quidem diſcederem, etſi ſæpius ab Adverſarii acerbitate provocatus; noveris eorum Virorum, quos modo nominavi, exemplum ea in re ante oculos mihi fuiſſe. *Decet nos* (ita Sadoletus de ſuis ad Sturmium literis ſcribit Joanni Cochlæo) *iſtorum inſolentiam non exaſperare convitiis, quo in genere maxime exultant ipſi, ſed manſuetudine retundere, quod proprium officium Chriſtiani hominis eſt*. Præclaro hoc exemplo commonitus, Kieslingii rationibus, nunquam vero maledicentiæ reſpondi. Sinas autem, ut ingenue hic addam, eundem lenitatem iſtam meam promeritum, ut ita dicam, fuiſſe, ob laudis genus aliquod in me collatum, cujuſmodi liberales eſſe erga Cardinalem, erga Catholicum Epiſcopum Scriptores Acatholicos, an uſpiam antea contigerit, ignoro. Vel ipſos ſacræ Viſitationis, qua Vallem Camunicam recens obii,

mo-

molestos labores commendare dignatus ille est in nuperis suis literis verbis illis, quæ redolere cuipiam videantur Romanæ Curiæ stylum. Ea recitabo, quod certe *rara avis in terris* haberi possint: *Fecisti offitio satis, quo alii &c. Magnam hoc nomine promeritus es laudem, eamque immortalem, dum indefesso studio provinciam tuam subis, nævos, qui forte ex inscitia, & oscitantia irrepserunt, tollis, cultum externum bene ordinas, agrum Domini fertiliorem efficis, & emolumentum, & salutem cœtus sanctioris, sepositis negotiis domesticis, divino plane studio quæris*. Quid autem, quum in iisdem literis hæc addiderit? *Novum Tibi acceptum fero famosi Sedis Romanæ obtrectatoris titulum &c.*

KIESLINGII EPISTOLA

CUM ANIMADVERSIONIBUS.

KIESLINGIUS.

I. *EA est perculti hominis indoles*, EMINENTISSIME VIR PURPURATE, *ut, quo major est, eo sit humanior. Animus enim meus Tuis rationibus intentus, sive Tuam solidam in rebus sanctioribus juxta ac antiquis notitiam, nulli, quotquot in Italia extiterunt olim, & jam florent eruditi, secundam, sive Tuam indefessam, in colligendis, & luci publicæ emittendis litterarum documentis, industriam, sive denique Tuam erga eruditos, ubique locorum degentes, & vel maxime ab Ecclesia Romana dissentientes, spectet humanitatem, in admirationem rapitur, & obstupescit. Contigit mihi nuper admodum esse tam felici, quod me dignatus es Tuo litterarum commercio. Quin & in Epistola ex sede Tua Episcopali, quæ Brixiæ est, data, exposuisti mihi, quod meditaris consilium omni laude mactandum, nobile, nec non utile, de colligenda supellectile libraria, eaque non solum e libris Romanensium, sed & Protestantium comparata. Bene sane & sapienter agis &c.*

ANIMADVERSIO PRIMA.

Vereor magnopere, Kieslingi, ut de literaria Bibliothecæ meæ supellectile non Catholicorum tantum, sed Protestantium etiam libris instructæ, adeo præclare, quemadmo-

dum hoc loco facis, ſentire pergas, poſtquam tuas ad manus pervenerint Volumina Editionis, cui adornandæ incumbo, Epiſtolarum Cardinalis Reginaldi Poli, ante paucos dies tibi dono a me tranſmiſſa. Statim enim *Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine* ejus Editionis deprehendes, hominum veſtrorum lucubrationes eum mihi uſum præbere, cui parum tua illa gratulatio, ac lætitia conveniat. Sese offerent tibi in primi Voluminis fronte meæ ad Johannis Georgii Schelhornii Epiſtolam, junctim ibidem recitatam, Animadverſiones, quibus perſtringenda ſuſcepi quæcunque adverſus eundem Cardinalem contumelioſe conſcripſerat ſive in ea Epiſtola, ſive in Tom. I. Amœnitat. Hiſtor. Eccleſ. & Litter. Bibliothecarius iſte Memingenſis. Præcipuus autem earundem ſcopus fuit demonſtrare, nihil iniquius excogitari, aut affirmari poſſe, quam Polum teterrimo odio, quod novercale, & Vatinianum paſſim Schelhornius appellat, inſectatum fuiſſe Regem ſuum Henricum; quandoquidem indubiis documentis vel in eo Schelhornii Opere exhibitis (cujuſcemodi præſertim eſt ejus Cardinalis ad Eduardum, qui in Anglia poſt Henricum patrem regnavit, apologetica Epiſtola) palam evincitur, præditum fuiſſe Polum, ſicuti inſigni religione Chriſtiano homine digniſſima, ita ſingulari erga ipſum Henricum pietate. Hac permotus, nihil ille reliqui fecit, ut Rex per pœnitentiam prioris vitæ maculas abſtergens, Britannico regno multo quam antea tranquillius potiretur, amotis periculis, in quæ ſe ipſum conjecerat ex concitata indignatione Dei primum, deinde Romani Pontificis, Caroli etiam Cæſaris, aliorumque Principum, ac demum Ordinum omnium nationis, cui imperabat. Equidem id unum Polo ante oculos fuiſse, ut ad ſalutis, & gloriæ ſemitam Henricum revocaret, & ad eum finem modo medici, modo confeſsarii, amici etiam, & filii, quandoque adverſarii, perſonam ſibi impoſuiſse, ſolertiſſima, uno verbo, experimenta quævis tentaſse ad Regem e graviſſimo morbo relevandum, luce meridiana clarius liquere contendi. Idque ea potiſſimum de cauſa, quod liber, cui titulus, *Defenſio Unitatis Eccleſiæ*, atrociſſimis, ut Schelhornio placet interpretari, in Regem il-

illum convitiis refertus, compositus fuerit a Polo, ut Regem, ita jubentem, mentis suæ de divortii negotio certiorem faceret, proptereaque soli Regi exaratus, ac tandem soli ipsi transmissus, quin alteri cuivis præter Regem quoquo modo innotescere valeret. Binæ pariter Orationes in eo libro recitatæ, ad Angliæ scilicet populum, & ad Carolum Cæsarem adversus Henricum armandos, quarum causa vix credi potest quantas excitet turbas Schelhornius, nec Anglis, nec Carolo, sed uni Regi patuerunt, Polo, ut modo dixi, diligentissime satagente, ut liber ille Regiis oculis unice subjiceretur. Profecto Polum ita se gerentem, non tantum prudentia (qua tamen, æque ac aliis eximiis animi dotibus, ornatum eundem fuisse, vel ipse Schelhornius fatetur) at sensu etiam communi caruisse oporteret, siquidem eundem librum animo in Regem infenso, ejusque excidii cupido, elucubrasset. Itaque, Kieslingi, *Cernis custodia qualis Vestibulo sedeat, facies quæ limina servet*. Ab extima autem illa ad interiores libri ejusdem partes progressus, tectas, ut ita dicam, easdem conspicies telorum nube, quæ præsertim in Burnetium, Anglicanæ Reformationis Historicum, omnesque ipsius asseclas, & frequenter in Schelhornium quoque, contorsi, Diatribam in sex Capita dispertiens, ibique refellens quæcumque illi ad Poli nomini detrahendum suis in Scriptis evulgaverant. Hæc ergo eorundem Scripta studiosius a me conquisita, meamque in Bibliothecam comportata, materiam de Poli hostibus (præfiscine dixerim) triumphandi mihi ministrarunt.

At triumphis ipse, ac minio, cedroque dignam deprædicas curam, quam impendo Bibliothecæ meæ vestris etiam lucubrationibus ditandæ. Gestias, per me licet, atque alacer, hilarisque compara te ad Tomum alterum meæ illius Editionis evolvendum. Noveris autem in eo pariter Diatribam contineri, qua Epistolas ibidem collectas expendens, conatus meos in id inprimis intendi, ut quotquot illas perlegerint fateri adigantur, Paulo Farnesio Pontificatum gerente, maxima cum laude a Catholicis cujusvis Ordinis Viris laboratum fuisse, ut Ecclesia Romana, expunctis labibus,

quæ

quæ in eandem irrepſerant, in veterem dignitatem reſtitueretur. Eo ſcilicet tendebat Supremi illius Hierarchæ ſtudium in Apoſtolico Senatu ex Viris ſanctiſſimis, ſapientiſſimiſque componendo, id enixe conabantur hujuſcemodi Senatores, hæc ipſa cura Præſules alios bene multos tenebat, huic operi Principum politicas Reſpublicas adminiſtrantium poteſtas ſuffragabatur, religioſiſſimorum Cœnobitarum preces tanto bono divinitus impetrando opem ferebant, cumulumque his omnibus addebant præcipui in eloquentiæ diſciplina Viri, illam exerentes, ut ſanctum iſtud propoſitum fautoribus, atque patronis abundaret. Hiſce præjactis, Scriptorum etiam Heterodoxorum auctoritate, in mea illa Diatriba fundamentis, ad Vos ſermonem convertens, Dicite (rurſus modo rogo) quid cauſæ fuerit, cur Majores veſtri, ex pietatis, ſi qua forent, & doctrinæ opinione commendati, a noſtrorum conſorrio ſeſe eliminandi conſilium ceperint, quum contra fuiſſent Chriſtiani hominis partes egregios horum conatus conſiliis, operiſque collatis adjuvare. Hæc ubi legeris in mea illa Diatriba, Kieslingi, aut valde fallor, aut gaudium tuum in mœſtitiam (nec enim bilem dixero) commutabitur. Iſta vero, ni pariter fallor, incrementum accipiet, poſtquam tertium ejuſdem Editionis Tomum, propediem lucem viſurum, acceperis; nam Diatribam præferet ipſe quoque, eamque inſtitutam ad vindicanda Cardinalis Contareni Geſta in Comitiis Ratisbonenſibus, quibus ipſe præfuit Legatus Apoſtolicus, atque inſuper ad diſſlandas calumnias, quæ in eundem poſt ipſius in Italiam reditum ſparſæ fuerunt, conſictis colloquiis ab eo habitis, Lucæ quidem cum Petro Martyre, ſeu Vermilio, Bononiæ autem cum Bernardino Ochino. Hocce vindicis munere ut recte fungerer, verſandi mihi fuerunt quamplures ex iis libris, quibus Bibliothecam meam auctam gratulatum te fuiſſe, jam vides, jam ſentis, quomodo oportet, ut te pœniteat.

Delibatis in hunc modum ſummis capitibus rerum, quas tria illa Volumina complectuntur, verbum inſuper addam de uſu, quem mihi, dum nuper Val-Telinenſe iter conficerem, præbuit Centuria Epiſtolarum Helveticarum ex Autogra-

gra-

graphis recensita, & edita Tiguri ann. 1742. ab Joh. Conrado Fueslino. Inter Epistolas illas, seu ab Ecclesiæ Helveticæ Reformatoribus, seu ad eos scriptas, & Epistolas, quæ in meis illis Voluminibus colliguntur, comparationem institui, ex qua nemo prorsus erit qui fateri non adigatur, meas illas, quod nihil nisi ex Christianæ virtutis norma contineant, admirationem, & suavissimos pietatis sensus ipsas legentibus insinuare idoneas omnino esse; Fueslinianas vero horrenda eorumdem Reformatorum dissidia undique spirantes, commiserationem, ac stomachum dumtaxat promereri. Comparationem hujusmodi in publicam lucem efferendam censui literis datis ad præstantissimum Helveticæ Monasticæ Congregationis Præsulem Dominum Bernardum de Franchenbergh, Abbatem Cœnobii Desertinensis in Rhetia siti; eique comparationi omnimode quadrat Horatii illud, quod usurpas,

Serpentes avibus geminantur, tigribus agni.

KIESLINGIUS.

II. *Quæ quum ita sint, operam, quam in adornanda hac, de qua scripsisti, Bibliotheca impendis, bene collocas, Tuæque memoriæ & posteritati relinquis monumentum omnium certissimum. Nec mihi religioni duco, Romanæ Ecclesiæ de tam illustri, & immortali gratulari ornamento & decore, quia ejuratis his, quibus alii litant, mundi deliciis Tuis detrahis rationibus omnes fere sumtus, & studia a rebus agendis vacua libris, eisdem maxime necessariis & exquisitis, impendis exarandis. Quam aggressus es in adornanda* Paulli Tertii *historia provinciam, tanto majore laudis encomio dignam judico, quanto illustrior in negotio emendationis hujus Pontificis vita est. Non possum non, quin de promeritis Tuis in Ecclesiam Romanam & bonarum artium studia collatis asseram, Te famæ Tuæ, & Tibi satis vixisse, non tamen Patriæ, & Romanæ Ecclesiæ. Eum in finem lubens, quas desiderasti, misi meas lucubrationes, potissimum, de cultu Sanctorum emissas, & alia opuscula passim edita, non ut inde aliquid gloriæ reciperem, sed ut Tuo desiderio obsequium præstarem, demonstraremque, mea Scripta Italiam neutiquam vereri, sed se veritatis offerre obsides, rigorosæque se submittere censuræ.*

ANI-

ANIMADVERSIO II.

Longissime absum, Kieslingi, ut tantas laudes, quibus me exornas, promerear. In Epistola ad Abbatem Desertinensem paulo ante indicata, Divinæ misericordiæ adscripsi, quod, etsi mihi septuagesima proprius instet jam messis, attamen series non intermissa laborum animum meum saturet, potiusquam lene otium, quam jucunda ad captandas auras ambulatio, quam dulcis convictus, quam amœna rusticatio; professus præterea in eadem sum, jamdiu menti meæ insidere Horatianum illud:

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum, rectius occupem
Nomen beati, si Deorum
Muneribus sapienter utar.

At quid hæc ad laudes illas tuas? Christianum Heroem, in quem eædem aptissime quadrent, tibi declarabunt Franc. Vinthæ versus, quos ex Carminibus apud Junctas Florentiæ an. 1562. excusis, statim recito.

Hic non purpureo nitet galero,
Sed multa pietate, moribusque
Probis eloquio politiori,
Atque omni genere scientiarum.
Non hunc nobilitas, potensque origo
Parentum decorat, Britanniæve
Luxus, divitiæ, sed ipsa virtus,
Vivendi ratio & bene, ac beate.
Quod si Roma suum POLUM requirat,
Oportet medio Polo requirat.

Quod spectat ad P. Abbatem Trombellium, cujus non eruditionem tantum, sed & amicitiam magnifacio, jam novi hanc sedere ipsi sententiam, ut criminationibus, a te in ejus libros de Cultu Sanctorum conjectis, aliquid quamcitius respondeat, & præsertim quod ipsum crambes centies recoctas, ipsasque Bellarmini fæces obtrudere insimulaveris. Strenue, certo confido, aget ille rem suam.

KIES-

KIESLINGIUS.

III. O *utinam illud* Flacci Alcuini * *quo* Caroli Magni *invitationem, ut illum Romam comitaretur, declinavit, jamjam exspiraſſet effatum Romanæ ſedi minime amicum*. Turonis fumoſis tectis contenta Deo donante per veſtræ bonitatis providentiam in pace permanet; Roma vero, quæ fraterna diſcordia initiata eſt, miſtum diſſenſionis venenum hue uſque tenere non ceſſat. *O ſi eſſent otia pacis Romanenſes inter & Lutheranos, quam libenter iter ſuſciperem, urbem* ** *illam ſplendore & antiquitate illuſtrem viſurus, urbem, inquam, Apoſtolorum præſentia colluſtratam, urbem Martyrum ſanguine conſperſam. Quum vero id mihi deneget rerum mearum conditio, impenſe ſaltem gaudeo, de Tua amicitia, & ſcripta in Italia crebrius emiſſa cum voluptate perluſtro. Lipſiæ fumoſis tectis, ſi ita placet, ſum contentus, nec amphitheatra, palatia, marmora, & alia antiquitatum monumenta memoria digniſſima conſpiciendi flagro deſiderio. Multum tamen Tibi*, VIR EMINENTISSIME, *debeo gratiæ, quod mihi Tua opera ad unguem exaſciata mittere voluiſti, eiſdemque, ob argumenta multæ lectionis & limati judicii plena, oppido delector.*

ANIMADVERSIO III.

Utinam hoc tuum in memoriam mihi revocat Italici itineris hiſtorias a Burnetio, Miſſonio, & Adiſſonio conſcriptas, rixaſque, non tamen amaras, quæ inter me, & ipſos, dum Londini agerem, extiterunt ob credulitatem, quam mirabar eoſdem ad ea omnia provexiſſe, ex quibus Catholicorum, & Romæ præſertim degentium, Fidei procaciter irridendæ occaſionem Sodalibus ſuis compararent. In mentem mihi pariter redeunt frequentia, quæ Pariſiis habui cum doctiſſimo Viro Jacobo Ludolfo Kuſtero colloquia, dum iſte ad Urbem illam acceſſit cauſa Catholicæ Fidei amplectendæ, quod ſolemniter perfecit in Æde Tyrocinii Patrum Societatis Jeſu. Semel & iterum Amſtelodami collocutus cum eodem fueram, indeque mihi haud obſcure patuit vel eo tempore proclivitas ejus animi ad Sectam, quam profitebatur, ejurandam. Vacabat ille, dum ego Bataviam pererravi, Novo Teſtamento Millii variis lectionibus augendo, edendiſque Ariſtophanis Comœdiis; Lutetiæ vero, me in-

C ca-

* Vid. Theſaur. Caniſii Tom II. Epiſtol. VII. Alcuini p. 396.

** Vid. Illuſtris Jo. Guil. Bergeri Progr. de Romæ Veteris Majeſtate in ruinis ac Veſtigiis adhuc ſpirante. In Stromat. eo Academ. p. 17.

eadem Urbe morante, in lucem eduxit novam Editionem Diatribæ Anti-Gronovianæ, de cujus argumento eo libentius fermones mecum inftituebat, quo compertior mihi erat & Suidæ Editionis ab ipfo ante paucos annos adornatæ præftantia, & Gronovii, cujus conveniendi Batavum meum iter aditum mihi fecerat, acerbitas in ea per injuriam laceffenda. Jacobi Perizonii de facie notitia, quam pariter ex eodem itinere acceperam, effecit, ut eidem Kuftero volupe foret oculis meis fubjicere, quæ adverfus eundem elucubrabat, unde fuam de ære gravi fententiam tueretur. Hifce a me narratis, quondam fit *Utinam* meum, quod tuo illi refpondeat, facile intelligis. *Utinam*, *Utinam* iterum dico,

His ipfis diebus in quodam ex iis libris, quos mea in Bibliotheca minime defiderari ambo gaudemus, fcilicet in Volumine Amœnitatum Theologic. varii, & felecti argumenti, quarum auctor Jo: Fabricius, Doctor, & Profeffor in Academia Julia, occurrit mihi Oratio de Utilitate, quam Theologiæ ftudiofus ex itinere capere poteft Italico. Romæ adfuiffe fe fcribit ann. 1675. Fabricius. At ejus Urbis defcriptio, quæ ab homine ifto traditur in ea Oratione non ita ad rem noftram facit, Kieslingi, fcilicet ad argumentum, de quo inter nos difputatur, ac facit Oratio ad Germaniæ Principes, quæ extat inter Opera Cardinalis Sadoleti; nam colores, quos ad pingendum Romæ ftatum fua ætate vigentem adhibet integerrimus hic Scriptor, vel ii quoque, quæ iis temporibus contigit, veftrorum magiftrorum a Catholicorum cœtu fecesfionem condemnant. *Confitemur* (hæc in Oratione illa leguntur) *nofmetipfi*, *&* *concedimus*, *aliqua fieri in hac Urbe*, *quæ merito reprehendenda fint*; *non pauciora tamen effe affirmamus*, *quæ fumme fint laudanda*: *nufquam enim charitas*, *nufquam amicitiæ*, *&* *familiaritatis fides*, *nufquam in egentes mifericordia*, *neque fanctius colitur*, *neque majore ftudio*, *curave exercetur*. *Ipfa vero erga Deum religio hic fancta*, *&* *femper fyncera eft*. *Sunt quidem vitia his intermixta permulta*, *quod neceffe eft*, *ex omnium fere gentium conventu conflata hac Civitate*. *Sed tamen in turba*, *&* *colluvione vitiorum*, *multorum eximiæ virtutes elucefcunt*, *quibus æquum profecto fuit parci ab iis*, *qui*

qui omnes & omnia in crimen, atque invidiam uno nomine vocant.

KIESLINGIUS.

IV. *Ne vero illa scripta fugitivo tantum oculo legisse videar, integrum mihi erit circa* Vitam, seu Imaginem Optimi, sapientissimique Pontificis expressam in gestis Paulli Tertii Farnesii ad primos tantum quinque annos ejus Pontificatus spectantibus Brixiæ anno MDCCXLV. *editam pauca monere. Gratum sane fecisti Protestantibus, quod hujus Pontificis laude inter suos non privandi, historiam ex* Poli, Contareni, Sadoleti, Caraffæ, *& aliorum documentis adornandam, illustrandamque es aggressus, eo potissimum fine, quia hujus Pontificis vita in illustrem hunc, quo emendatio Ecclesiæ a Luthero felici cum successu est suscepta, incidit temporis tractum. Qui labor Protestantibus non potest non esse gratissimus, quia multa ab ipsis desiderata sunt antiquitatis documenta, quæ huic religionis emendandæ negotio afferunt lucem. Præter enim ea, quæ* Sleidanus, Thuanus, *&* Sarpius *nobis adservarunt documenta, quæ tamen Romanensibus fide laborare videntur, pauca ad nos pervenerunt.*

ANIMADVERSIO IV.

Quandoquidem rem gratissimam gregalibus tuis me facere affirmas, Kieslingi, quod antiquitatis in lucem afferam documenta, quibus destituti, confugere passim opus habetis ad ea, quæ vobis adservarunt Sleidanus, Thuanus, & Sarpius, inde profecto consequitur, de religionis negotiis, ad quæ documenta illa referuntur, ex fide tabularum a me exhibitarum judicium a vobis quoque esse ferendum, potiusquam ex trium illorum Historicorum Commentariis. Audi quid nuperrime ad me Venetiis scripserit Vir summe doctus, & æque sapiens Apostolus Zenus, Italicæ literaturæ decus, postquam factus est certior quæstionis inter nos excitatæ: *Non veggio in qual maniera il Chieslinglo sarà bastante a rispondere adequatamente alle invincibili ragioni, e dimostrazioni di V. E. Ella l'ha chiuso, come suol dirsi, fra l'uscio, e 'l muro, riducendolo all'unico impegno ch'egli si è preso di far comparire diverso di quello che al vivo vien rappresentato da Lei quel sempre venerabile Pontefice, e a quello insieme di produrre testimonianze più rispettabili, e ferme, delle già*

prodotte da V. E. che escono da Soggetti maggiori di ogni eccezione. Quod vero addis, atram noctem hactenus pressisse, quæ in nostris latent scriniis, tuo huic dicto nonne ex se solæ satis refragantur binæ Contareni Epistolæ, quarum non modica fragmenta in literis ad te datis die 4. Maji recitavi? Quamvis enim illæ argumentum pertractant Pontificiis, ut credi posset, auribus maxime molestum, ac odiosum, nactæ tamen sunt locum in Bibliotheca, sicuti in iisdem literis monui, Romæ quinquaginta tantum abhinc annis excusa, & Innocentio XII. dicata a Thoma de Rocaberti, Archiepiscopo Valentino, & Hispaniarum Inquisitore generali. Itaque hujuscemodi monumentorum publicationem Romani ipsi Pontifices omni ævo probarunt; singularem autem in modum Paulus III. de quo propterea in iis suis literis Zenus ita subdit: *Il conoscersi da que' Soggetti la mente e'l cuore del Papa, fece sì che essi gli prestassero consiglio ed opera, e parlandogli con libertà a norma dell'occorrenze si opponessero con petto aperto a coloro, che mossi da vile cortigianesca adulazione spacciavano massime affatto contrarie, onde con ciò credendo di avvantaggiare la causa che si erano tolti a sostenere, più tosto le recavano pregiudizio*.

KIESLINGIUS.

V. *At enimvero in hac nitida & docta commentatione non nulla occurrunt, quæ me in bivio reliquerunt, dubiumque traxerunt animum, utrum omnia testimonia cum fide historica consentiant, &* Paulli Tertii *animi candorem & studium in unione Ecclesiæ tunc temporis fluctuantis & diffidentis restituenda omni ex parte Protestantibus significent. Tantum adest, ut hujus Præsulis in Ecclesia Romana Maximi & Sanctissimi manes turbare audeam, ut potius illum optimis, qui hoc Sæculo XVI. sedem Romanam occuparunt, annumerem Episcopis. At circa ipsum religionis negotium intersita sunt quædam argumenta, quæ, ut sub incudem mittantur, æstimavi digna. Arridet itaque de illis meam libere exponere sententiam, Tibi* VIR EMINENTISSIME, *eandem ad examen proponere denuo instituendum. Res Lutheranorum in hoc capite agitur, quorum causam tanto lubentius suscipio, quanto illustrius est commentationis argumentum, quantoque major Tua erga me humanitas. Depositis itaque præoccupatis rerum,*

rum, personarumque opinionibus, remotisque arbitris, sola relicta veritate, quæ mihi pluris est, quam omnium auctoritas, de Paulli Tertii *Pontificis vita, & animo paci & unioni Ecclesiæ non ex voto Protestantium amico edisserant. Ne vero quis arbitretur, hæc paullo durius a me scribi, moneo, maximum discrimen inter emendationem*, Paulli Tertii, *& ex votis Lutheranorum spectatam esse constituendum, proinde etiam exitus fuit diversus.*

ANIMADVERSIO V.

Quænam, amabo, ad perficiendum sanctum opus de quo agitur, magis idonea adhiberi poterant instrumenta, quam homines, quos describit in Epist. ad Card. Sadoletum publicus in Academia Patavina literarum politiorum Doctor Lazarus Bonamicus? *Adsciti sunt* (ait ipse) *in amplissimum Ordinem sapientissimi, innocentissimi, clarissimi summa auctoritate præditi Viri, evocati, rogati, facti sunt Cardinales.* Nonne hos ipsos Paulus Pontifex adscivit, hos evocavit, hos rogavit? Quare mox ille subdit, *O præclara Comitia! O his difficillimis temporibus necessaria! O singularem Pauli III. sapientiam, ac bonitatem!* Joannes Casa in Vita Petri Bembi eundem Pontificem maximopere collaudat ob relatos in Cardinalium cœtum eos, *qui quaque in civitate, quibusque in terris essent, illustri quadam aut pietatis, aut prudentiæ, aut doctrinæ laude celebrati*. Quid? vel ille (sexcentos alios testes afferre possem) cui ex maledicentia inditum nomen, Petrus Aretinus, ita eundem Pontificem affatur: *Gli altri Pastori creano Cardinali Reverendissimi, e Voi create Vicarj di Cristo, e ciò verificherebbe il lungo andare, caso che vivessero secondo il dovere delle Virtù loro, & il bisogno della Fede nostra. Veramente siccome essi non potevano nascere in tempo più opportuno, nè a i giorni di miglior Papa; così Voi non potevate dispensare le dignità sacrosante in più necessaria occasione, nè in più giuste creature*. Igitur ex horum hominum solertia, potius quam *ex Protestantium voto* instituenda erat *deformatæ Ecclesiæ emendatio*. Illorum erat, potius quam Protestantium, internoscere quid fieri, quid tentari oportet, *ut Ecclesia depositis suis sordibus, pristinam, quam Christus suæ Sponsæ dedit,* *reci-*

reciperet formam; eorundem eniti, *ne stupendi*, *quos in hoc negotio Paulus III. subiit*, *labores* inaniter cederent; ipsorum denique,

Scire potestates herbarum, usumque medendi.

KIESLINGIUS.

VI. *In fronte Tuæ*, VIR EMINENTISSIME, *Commentationis*, *multa omnino lectionis & exquisitæ eruditionis*, *nobis Paullum III. Pontificem sui sæculi decus commendas*, *egregiamque ejus animi indolem*, *ex optimis auctoribus*, *potissimum ex Ludovici Sensi Orationibus ad Cives Perusinos hunc in modum demonstras*. * „ Quem igitur majore prudentia, quam divus Paullus III. fuisse, aut potuisse esse, unquam dicemus? Qui cœlesti ac divina quadam mente & intellectu natura præditus, prima pueritia ad optimarum litterarum studia deductus, summa cum laude, & prope stupore omnium in illis semper versatus est, quem post exacte comparatam Romanæ & Græcæ linguæ scientiam, post emensum liberalium artium orbem, post lustratas omnes omnium ætatum historias, ex naturalium rerum cognitione ad sacrorum doctrinam gradum fecisse, & denique divinarum, humanarumque scientiarum, & omnium pulcherrimarum artium prodiisse dicunt eruditissimum. *Non negaverim*, *hunc Romanæ Ecclesiæ Præsulem naturam in tribuendis animi dotibus habuisse fautricem*, *adornatumque fuisse ingenio ad disciplinas quasvis addiscendas bene composito*, *judiciique acie*, *& prudentia in re gerenda ultra suam dignitatem forti & alacri*, *quo laudis encomio his verbis mactatur ab* Alphonso Ciaconio Biacensi ** Fulgebat, *inquit*, in Alexandro, præter ipsam ætatis, & Farnesiæ gentis prærogativam, explorata rerum gerendarum prudentia, diuturnus Reipublicæ usus, & cum inveterata virtute multarum litterarum cognitio præcellens. *Mitto itaque ineuntis juventutis & virilis ætatis vitia*, *quorum reus omnino est*, *teste* Paullo Sarpio *** *ut* Bernardinum Ochinum *Romanensibus suspectum omittam*, *quæ crimina obliterare & oblivioni tradere satagit* Sfortia Pallavicinus. **** *Si itaque notas*, *quibus*

* Vid. Cap. I. de Paulli III. in optimis litteris, Græcis, Latinisque præstantia, p. 8. & 9.

** Vid. Histor. Pontific. Romanor. in vita & gestis Paulli III. p. 1493. conf. Conclavi di Pontifici Romani, Conclave di Paolo Terzo p. 118. sqq.

*** Vid. Histor. Concil. Trident. Lib. II. p. 209.

**** Vid. Histor. Concil. Trident. Lib. III. Cap. XVII. p. 108.

bus se hominem fuisse, & a se nihil humani alienum fuisse demonstravit Paullus *hujus nominis* Tertius, *prætermisero, hoc profecto nomine gravem sibi attraxit labem, quod haud exiguas ecclesiæ divitias in suæ gentis usum & splendorem, renitentibus, & obmurmurantibus viris bonis, & ordinibus plerisque, contulit. Prævides*, VIR EMINENTISSIME, *hanc paternam in tres nepotes*, Alexandrum Farnesium & Guidonem Ascanium Sfortiam, *& quibus decennio elapso addidit tertium*, Raynutium Farnesium, *qui vix ex ephebis egressi, purpura & opibus sunt adaucti, indulgentiam, & studium, gloriæ & laudi hujus* Paulli Tertii *omnino detrahere; inde in toto capite secundo id agis, ut hæc ad salutem convertas. Quas vindicias adversus* Paullum Sarpium, & Petrum Franciscum Curayerum *recentiorem historiæ* Sarpianæ *interpretem, & commentatorem, quin & omnes heterodoxos ita instruis*. * „) Nihil notius, quam procurata a Paullo familiæ suæ „ commoda, & ornamenta obtrectatorum sermonibus locum & „ modo præbere, & olim præbuisse, eosque acriter contende- „ re, nimium in eandem studium, vel ipsa ejus principatus „ primordia commaculasse, quippe qui vix elapsis ab eo initio „ duobus mensibus ad amplissimum Cardinalatus ordinem binos „ nepotes evexit, licet admodum adolescentes, nimirum Ale- „ xandrum Farnesium, & Guidonem Ascanium Sfortiam, qui- „ bus post decem circiter annos, tertium, viridi etiam ætate, „ Nepotem suum adjunxit, scilicet Raynutium Farnesium. Nil „ igitur mirum, si Paulli nomen ea de causa in invidiam voca- „ re non est veritus Paullus Sarpius in Histor. Concil. Trident. „ At victas huic quodammodo manus dedisse Card. Pallavici- „ num, id certe haud mediocrem admirationem promeretur. *Attribuit hoc Pontificis in tres nepotes sub auspiciis purpura donatos, sed adolescentes adhuc, studium tam singularibus illorum virtutibus, quam favori, & totam litem ita componis* **. „ Quid „ igitur clarius, quam Flaminium valde ab eorum sententia „ abfuisse, qui magno piaculo Paullum Pontificem se obstrin- „ xisse clamitant, quod teneræ Nepotum juventuti Romanæ „ purpuræ honorem mandaverit? Potius quam prave & mali- „ gne cum Heterodoxis, Flaminius recte, & cordate hac in re „ sensisse dicendus est cum quatuor illis Cardinalibus, quos in- „ ter præstantissimos a Paullo III. creatos, Pallavicinus lib. III. „ cap. 17. hoc modo simul jungit, *un Contarino, un Sadoleto*, „ *un Polo, un Bembo*. Emphasis certe ista in enunciandis eorun- „ dem

* Vid. Cap. II. p. 11.
** Vid. l. c. p. 32.

„ dem nominibus a Pallavicino adhibita profecto postulasset, ut
„ iste summa illorum auctoritate fretus, adversus Sarpium, aliosque confidenter pronunciaret, in Paulli III. Nepotes suos ad
„ Cardinalatus apicem deligentis, amore & judicio, longe majores extitisse virtutis partes, quam consanguinitatis. Nec abs
„ re fuisset affirmare, eosdem naturæ donis cumulatissimos, cunctorum de se opinionem, atque vota plane fallere non potuisse, quod, præter illa, ob oculos haberent in Sanctissimo
„ Avo domesticum præstantissimæ virtutis exemplum, unde formare se, & fingere ad omnem excellentiam possent; quæ
„ ipsa scripsisse reperimus Card. Sadoletum ad Card. Alexandrum.

Levidensis est opera ex ipsis Romanæ Ecclesiæ institutis, Conciliorumque decretis demonstratum dare, hoc Paulli Tertii *factum non omni carere nævo. Ecquis enim, ut unico saltem, brevitatis studiosus, sententiam confirmem testimonio, ignorat, in Episcopo eligendo desiderari, ut non solum ex legitimo matrimonio sit natus, juxta* Concilii Tridentini * *decretum, sed & ætate justa eademque canonica, gravitate morum & scientia rerum præditus? Ne quid dicam de Concilio* Agathensi, ** *juxta quod Episcopus eligendus jam annum ætatis trigesimum, & juxta Concilii* Lateranensis *Quinti* *** *decretum annum* XXVII. *ætatis agere debebat. Sed hanc Constitutionem jam jam a* Joanne XII. ****.) *Pontifice, qui puerum decem annorum Episcopum ordinavit, esse violatam video. Nolo igitur hunc abusum urgere, sed Petri vicariis totam rem relinquere, ratus, hoc ipso conatu se, suamque sedem Petrinam valde commaculare, dum pueros, adolescentesque, hac Episcopi & purpuræ dignitate adornant, ut numerum faciant, seque non sacri officii peragendi causa, sed fruges consumere natos esse arbitrentur. Exigui quoque sunt, quos ecclesia ex his patribus purpuratis recepit fructus, seu potius nulli, ne quid de ipso* Paullo III. *male a suis habito, & calumniis injuriisque suffuso dicam, qui moribundus de ingratitudine suorum, potissimum* Octavii *Nepotis, conquestus in hæc erupit, teste* Henrico Spondano ***** *verba*: Si mei non fuissent dominati, tunc immaculatus essem & emundarer a delicto maximo. *Indoluisse enim, scribit* Spondanus, Paulum Tertium *ob ingratitudinem suorum, seque felicem prædicasse, si nunquam genuisset. Eadem confirmant*

* Vid. Harduin. Act. Concil. Tom. X. Sess. VII. Cap. I. p. 55.

** Vid. Harduin. l. Opp. Tom. II. Concil. Agathens. Can. XVII. p. 1000.

*** Vid. Harduin. l. Opp. Tom. IX. p. 1748.

**** Vid. Harduin. l. Opp. Tom. VI. Part. I. p. 628.

***** Vid. Annal. Ecclesiast. Baronian. Continuat. Tom. II. p. 525. ad an. 1542.

mant Ciaconius *, & Odoricus Raynaldus *Tarvisinus* **. *Mirari igitur subit, quo veritatis, & auctoritatis firmamento nisus, hanc* Paulli *Pontificis indulgentiam admodum blandam*, VIR EMINENTISSIME, *Tuo suffragio approbare, &* Paullo Sarpio, Curayero, *& Heterodoxis, uti scribere amas, succensere possis. Ipsi Romanæ sedis sodales supra laudati ab hac macula, eaque non levi*, Paullum III. *non liberant*. Sfortia Pallavicinus *** *in hoc argumento eo est animi candore, ut hoc vitium* Paulli *non prætereat, licet illud quovis modo extenuet*. Philosophatur, inquit Suavis, Pontificem haud vero Concilii, emendationisque studio rem gessisse, propterea quod confestim inter Vaticani Patres adscivit Alexandrum Farnesium, & Guidonem Ascanium Sfortiam, nepotes suos juniores. Verum, quod Paullus amore sui sanguinis nimium exarserit, haud inde extemplo conficitur, non fuisse in reliquum Religionis studiosum; prout liquet ex universa serie cjus Principatus. Quemadmodum enim ex unica honesta actione non recte deducitur virtutum universitas; ita perperam ex unico deformi actu omnis virtus excluditur. Fjus vero in Paullo vitii nota tam est homini consueta, ut pro vitii nota non haberetur in quovis alio principatu, qui supra conditionem hominis non assurgeret. Adeo ut plane philosophus asseruerit, a principibus, cum suam progeniem, quæcumque ea sit, ad principatum non provehunt, virtutem exerceri supra modum hnmanæ naturæ. Proinde qui ob hanc humanæ conditionis labem Pontifices vituperat, inesse divinum quiddam in Pontificatu fatetur. *Vides*, EMINENTISSIME PATER, Pallavicinum *hunc* Paulli *Pontificis nævum obelo non notasse. Injuriam proinde fieri* Paullo Sarpio *puto, si ejus fides in dubium vocatur a Romanensibus. Satis commode & bene sua, quam observare debet rerum gestarum conditor, provincia defunctus est, & sine partium studio res, quarum omnino conscius fuit, fideliter consignavit, hoc solummodo nomine Romanis Episcopis invisus, quod res arcanas e latebris protraxit, & jura Venetorum adversus sedem Romanam defendit. Fuit ceteroquin Romanæ Ecclesiæ civis, nec unquam ejusdem deseruit castra. Si itaque is, qui res gestas, prout acta sunt, enarrat, sublestæ fidei esset auctor, veritas historica vel in ipso* Pallavicino, *qui tamen optimæ notæ scriptor apud Romanenses æstimatur, periclitaretur, quia multa commemoravit, quæ sedi Romanæ haud arridere possunt, quod uno alterove documento in hac ipsa commentatione demonstratum dedi. Quod si*

D *Tua,*

* Vid. l. c. p. 1499.

** Vid Annal. Ecclesiast. T. XXI. p. ead. an. 1549. §. 47.

*** Vid. Histor. Concil. Trident. Lib. III. Cap. XVII p. 108.

Tua, EMINENTISSIME PATER, *de* Paulli Tertii *gestis allata testimonia hoc ex fonte falsa esse dicerem, quia Ecclesiæ, Curiæque Romanæ es addictus, deridendus sane, & in officium boni historici essem iniquus. Non de auctore, & de scriptore, sed de fide rei gestæ est concertandum; quo ex fonte suam historiam hauserit; qua vixerit ætate; an rei gestæ notitiam habere potuerit; an consentientes habeat alios rerum gestarum conditores, & quibus in partibus, si dissensus se se offert, ille consistat. Si has in historico negligimus rationes, leve erit, fidem vel optimi auctoris vocare in dubium. Hic Rhodus, hic est saltandum.*

ANIMADVERSIO VI.

Mirari igitur te subit, Kieslingi, *quo veritatis, & auctoritatis firmamento nisus*, blandam Pauli Pontificis erga teneros Nepotes suos, quos ad Cardinalatum evexit, indulgentiam meo suffragio probaverim? At miror ego quammaxime tuam illam admirationem, nam ipsemet suffragii mei firmamenta in medium attulisti, quatuor scilicet integerrimos Cardinales, Contarenum, Polum, Sadoletum, & Bembum, atque ii ipsi sunt, in quos paulo post, *Virorum sui sæculi, eruditione, pietate, & prudentia illustrissimorum* existimasti cadere posse jure, ac merito nuncupationem. Animadverti autem a te in primis voluissem ad Epistolam, quam dedit Carpentoracti Sadoletus Cardinali Alexandro Farnesio, novam ei dignitatem gratulaturus. *Quo tempore*, inquit, *primum de tuo honore, amplissimaque dignitate nuntius ex Urbe ad nos huc pervenit, etsi statim cogitans, cœpi, Te, quanquam ætate adhuc esses adolescens, indole tamen virtutis, & commendatione ingenii dignum habitum esse, cui tantus honos jure committeretur; tamen, quominus festinarem dare ad Te literas, tuæque & præsenti, & speratæ amplitudini gratulari, illa res efficit, quod neque naturæ meæ, neque instituti unquam fuit, ita accurrere ad laudem, & gratulationem, ut fortunam magis, quam judicium secutus viderer.* Explicat postea, quam multis de causis adduci potuisset ad credendum, optimo jure eidem, nulla interposita mora, deberi, quod impendit, officium; at subdit, se expectare tamen voluisse, quoad certius aliquid

de

de ipso ad se perferretur. Atque tandem subjungit: *Tunc demum existimavi maturum esse scribere aliquid ad Te, & Tibi de tuis amplissimis ornamentis gratulari, cum jam non ad incertam amplius spem, sed ad firmam, & fundatam de Te opinionem mea & lætitia, & gratulatio dirigeretur.* Firmæ autem hujuscemodi de Cardinale Alexandro opinioni eventus postea abunde, & insigniter respondisse, non Sadoleti tantum, & trium aliorum Cardinalium, quos laudavi, Epistolæ, nos docent, sed quamplurima eorum temporum documenta, eaque pariter testimonium perhibent eximiis virtutibus Raynutii, qui Alexandri frater fuit germanus, & Ascanii Sfortiæ, eorundem fratris consobrini, quos ambos tenera æque ætate Paulus Pontifex sacra Purpura donavit. Pleraque ex iis monumentis digesta, prout occasio tulit, in mea superius memorata Editione reperies. Hoc ipsum argumentum retractans in calce ejus Præfationis, quam apposui libello de Vita Cardinalis Contareni, his verbis sum usus: *Che se fra questi* (loquor de præstantissimis Cardinalibus a Paulo III. renunciatis) *hanno avuto luogo i tre giovani suoi Nipoti, cioè Alessandro, e Ranuzio Farnesi, e Guido Ascanio Sforza, ho già fatto evidentemente constare nel Capo secondo della mia Operetta*, Imago &c. *che, nella scelta pure di essi, i quali furono al certo gran lumi del sagro Collegio*, longe majores extiterunt virtutis partes, quam consanguinitatis, *al giudizio di quei irreprensibili Cardinali Contarini, Polo, Sadoleto, e di altri ancora; siccome per l'istesso riguardo, cioè d'una virtù anche de' teneri fanciulli capace di generare nelle menti saggie, e perspicaci* non incertam spem (*per valermi delle parole dell' istesso Sadoleto*) sed firmam fundatamque opinionem, *potè Giulio III. senza veruna censura avvanzare al Cardinalato il Santo giovanetto Roberto de' Nobili, la qual elezione, non solo non riguardò per mostruosa Paolo IV. Pontefice di sommo zelo, ma sollevò di più l'istesso Roberto in età di anni 14. al grado di Bibliotecario della S. Sede; e così potè pure Pio IV. senza censura promovere S. Carlo Borromeo in*

età d' anni 21. alla ſagra Porpora, ed un anno di poi alla Mitra di Milano.

Quoniam vero M. Antonium Flaminium, æque ac Cardinales Contarenum, Polum, Sadoletum, & Bembum, plauſus edidiſſe comprobaveram ob Purpuræ honorem feſtine collatum præſertim in Alexandrum Farneſium, hujuſque divinam indolem, publicæ utilitatis amorem, ſacrarum literarum ſtudium multis encomiis commendata ab eodem Flaminio fuiſſe, par erat, Kieslingi, ut hac etiam de cauſa ſuffragium meum firmo præſidio munitum arbitrareris. Legeſis in T. X. Amœnit. Liter. Joh. Gregorii Schelhornii brevem vitæ M. Ant. Flaminii deſcriptionem a Joach. Camerario concinnatam, & in T. II. Amœnit. Hiſt. Eccleſ. & Liter. ejuſdem Schelhornii lucubrationem inſcriptam *de Religione M. Antonii Flaminii*, atque utrobique deprehendes quam præclare de hujus religione, & pietate ſentiant, ac dijudicent homines veſtri, & præ cæteris quanti faciant librum Explanationis Pſalmorum ab eo conſcriptæ, in qua, ajunt ipſi, ubivis elucet eximia in Deum pietas, ardenſque Numini optimo ſerviendi, & placendi ſtudium, atque animus divino ſpiritu plenus. Laudes igitur, quibus Flaminius Card. Alexandrum Farneſium, ut primo iſte ad eum gradum aſcendit, cumulare non dubitavit paſſim in Scriptis ſuis, & in ipſa quoque Epiſtola Nuncupatoria ejuſdem Explanationis, non video, cur, ceu ad religionis canonem caſtigatæ, maximum pondus habere apud vos omnes non debeant, æque ac apud nos ſanctiſſimorum, ſapientiſſimorumque Cardinalium ſuffragia ſuperius indicata. Deſine itaque, Kieslingi, percontari, quonam fundamento niſus calculum meum adjungere recuſaverim Pallavicino, aliiſque etiam Catholicis Scriptoribus Paulo Pontifici notam inurentibus, quod Nepotes adoleſcentes ſacræ Purpuræ honore dignatus fuerit.

Verba autem illa Pauli morientis, quæ ex Spondano recitas, affirmaſque huic Ciaconium, & Raynaldum concinere, incerta tantum ex fama prodiiſſe, idem Spondanus

te

te docere poterat, dum in ea narratione verbum *dicitur* usurpavit, & præterea non est cur illa de Cardinalibus ejus Pontificis Nepotibus dicta censeri ullo modo debeant. Æquiorem profecto, quam Scriptores illi, & Pallavicinus etiam, erga Paulum III. in negotio de quo agitur, se exhibuit Natalis Alexander, siquidem de tribus ejus Pontificis Nepotibus ita loquitur, *Quos præclaræ animi dotes, & egregia merita non temere adlectos* (ad Purpuram) *comprobarunt*.

KIESLINGIUS.

VII. *Missis autem his omnibus, in quibus rei apex non consistit, circumstantiis, in illustrius tractationis argumentum meas nunc extemplo transfero meditationes, demonstraturus, susceptum a laudato Pontifice* Paullo Tertio *religionis emendandæ negotium, nec non consilium de instituendo aliquo ad componenda partium dissidia, concilio, quod tractationis caput est, tanti non esse æstimandum, quanti illud fecisti. Placet huic argumento, quod ad restaurandæ religionis negotium a Luthero feliciter consummatum spectat, potissimum inhærere, & illud data opera diluere. Filo Ariadneo instructus Tuum,* VIR EMINENTISSIME, *sequor institutum, quia in toto Capite Quarto* prolixe agis*; de curis Pauli III. pro Ecclesiæ reformatione. Concilii Œcumenici convocatione, concordia Principum Christianorum, horum fœdere adversus Turcas, deque itineribus ob eas ipsas causas ætate admodum senecta, ab eodem susceptis. *En totum hujus Quarti Capitis titulum, rerumque tractandarum indicem. Dignum sane argumentum, quod uberius tractetur & eruatur; quia Romanenses oblata pacis & concordiæ otia urgent, Protestantes autem pertinaces, & omnis unionis impatientes fuisse, & adhuc esse, susurrant, quin imo clamitant.*

Ne anfracto ambiguoque itinere in hoc gravi argumento fluctuari videar, mearum video esse rationum, Tuæ tractationi, & doctæ demonstrationi presso inhærere pede, & demonstrationis argumenta ex ordine, quo allata sunt, ne littera quidem mutata, recensere, ut tanto planius esse possit, de nostra concertatione judicium. Primum *igitur, quantum colligo, argumentum ad demonstrandam feriam, & non fucatam* Paulli Tertii, *de unione Ecclesiæ stabilienda, voluntatem, depromis, ab illustri illo, quem ex optimis viris, eisque maxime Purpuratis coegit, con-*

* Vid. l. c. p. 53. 77.

confessu, ut vulnera Ecclesiæ Romanæ ante omnia sanarent, & deinceps de mediis, quibus tota Ecclesia possit restitui, & uniri, cogitarent, suamque ferrent sententiam. Quod pium & laudandum Paulli Tertii *de Ecclesia emendanda Romana a capite usque ad calcem bis commemoras verbis* *. „ Plura illæ (*Epistolæ Poli*) produnt de suscepto a Paullo III. consilio, in ipsis „ Pontificatus primordiis, doctos scilicet, sanctosque viros Ro- „ mam accerscendi, quorum opera corrigeretur, ac restitue- „ retur Ecclesiastica disciplina, expeditiorque cogendi Œcume- „ nici Concilii via aperiretur, ostenduntque propterea ab omni „ prorsus verisimilitudine nihil magis alienum dici posse, quam „ Paullum III. sanctas illas cogitationes, de quibus Sarpius, „ cum Cardinalium Collegio communicantem, nihil minus, quam „ de felici earundem exitu fuisse sollicitum. Simulationis larva „ si quam ille ad eam rem induisset, non erat cur eundem „ adigeret ad capienda ita operosa, ita sumtuosa consilia, cu- „ jusce modi fuerunt, Caraffam & Cortesium. Venetiis advoca- „ re, Polum Patavio, Gibertum Verona, Eugubio Fregosium, „ demum e Gallia Sadoletum: quibus omnibus tres alii, qui „ Romæ aderant, adjuncti, scilicet Contarenus, Aleander, Ba- „ dia, celeberrimum illum Conventum conflarunt, quo certe „ alius doctior, non alius sapientior, cogi potuisset. *Et paucis interstitis lineis* **. „ Aliud probati a Paulo Consilii ejusdem „ argumentum suppetit nobis ex delata intra paucos annos No- „ vemviris illis Romana Purpura, omnibus nimirum præter „ Contarenum, qui ea donatus jam fuerat, & Gibertum, a „ quo recusatam fuisse haud levis conjectura est, de qua ego „ in Diatriba altera ex doctissimis Giberti Operum nuperis Edi- „ toribus. Hæc omnia excogitasse, & re ipsa perfecisse Pon- „ tificem, ut scenæ tantum serviret, animo autem *pour engager* „ *sa Cour & les Cardinaux a faire naitre des obstacles au* „ *Concile, a fin d'eloigner par là la reformation*, hoc certe af- „ firmare quis nequit, quin prius verecundiam omnem exue- „ rit. Paucos dumtaxat menses post habitum Conventum, de „ quo modo dictum est, quonam novo documento Paulus III. „ comprobaverit, nihil se antiquius habere, quam Reformatio- „ nis opus ad exitum perducere, testis adest Contarenus in „ Epist. ad Polum data die 12. Maji 1537. Pontifex, inquit, „ aggressus est Reformationis negotium; cepit a se ipso, ele- „ gitque quatuor Cardinales, Simonettam, Ginnucium, Thea- „ tinum & me, quibus injunxit, ut diligenter videamus, & „ cor-

* Vid. l. c. Cap IV. p. 55. 56.
** Vid. pag. 59. 61.

„ corrigamus ea, quæ expediri consueverunt per Datarium.
„ Nos non deerimus officio Christianorum præsulum. Omnes
„ fere Reverendissimi Cardinales favent Reformationi; incipit
„ immutari facies Consistorii, ea quæ proponuntur non ita fa-
„ cile expediri incipiunt, Canones proferuntur, perpenditur,
„ quod fieri debet & quid non fieri; adeo ut magnam spem,
„ non dicam conceperim (quia nunquam desperavi), sed fo-
„ veam, res nostras quotidie melius processuras. Summopere,
„ cupio te, ac Reverendissimum Carpensem, nobis adesse, ut
„ pluribus operam dantibus Respublica Christiana facilius in-
„ stauretur.

Placuit hæc accurate adferre, ne sublestæ fidei commentator esse videar. Iniquus forem rerum censor, & eandem referrem procuIdubio gratiam, quam perceperunt & Paulus Sarpius & Curayerus * *qui dixerunt*, pour engager sa Cour & les Cardinaux a faire naître des obstacles au Concile, a fin d' eloigner par là la Reformation, *si hoc Paulli consilium improbarem. Bene omnino egit & sapienter* Paullus Tertius, *quod consessum Virorum sui sæculi, eruditione, pietate, & prudentia illustrissimorum convocavit ut sententiam, de emendanda Ecclesia, & Curia Romana indicarent, namque*

Turpe est Doctori, si culpa redarguit ipsum.

ANIMADVERSIO VII.

Gratiam, quam a me inierunt quotquot, potius quam *bene & sapienter*, ut ipse fateris, in hoc negotio Paulum egisse agnoscant, id secum eundem constituisse affirmant, ut technis, fraudibus, calliditatibus homines ludificaretur, hisce verbis declaravi in libello, ex quo jam jam recitata attulisti testimonia, ac modo iterum declaro, nimirum eosdem verecundiam omnem exuisse. An (ut hoc etiam loco inculcem, quæ in eodem libello leguntur) ita sumptuosa, & operosa consilia a Paulo adhibita in cogendo ex dissitis regionibus consessu *Virorum sui sæculi, eruditione, pietate, & prudentia illustrissimorum*, Sanctæ Obedientiæ præceptum iisdem injunctum, ut absque mora Romam accederent, Romanæ Purpuræ decus præmii loco ipsis concessum, eisque deinceps mandata graviora quævis Sanctæ Sedis negotia, eademque ex ipsorum sensu a Pontifice composita, ac

* Vid. pag. 60.

ac temperata, an inquam, hæc ſimul juncta apertiſſime non evincant, ei Pontifici ſimulationis larvam affingentes, verecundiam omnem, ut dixi, exuiſſe, quin projeciſſe cenſendos eſſe? Haud leviorem profecto notam idem merentur ea præterea de cauſa, quod ſtupidos, & bardos, ac nil minus quam ſtipites reputaſſe dicendi ſint eos ipſos Viros, qui Paulum Pontificem quotidiana aſſiduitate tractantes, optimam dumtaxat in ipſo promovendæ Reformationis voluntatem, nuſquam proinde ludificationes illas internoſcerent.

KIESLINGIUS.

VIII. *Facies Eccleſiæ, Curiæque Romanæ a multis inde ſæculis tot maculis, vitiliginibuſque erat deformata, ut jam ante* Paulli Tertii *tempora, complures, quorum nomina brevi calamo referenda ſunt, Pontifices de hoc ſalutari Reformandæ Eccleſiæ Romanæ negotio cogitarint. Cogitarunt, inquam, quia nullus rem ipſam fortiter eſt aggreſſus, unuſquiſque multis moleſtiis & impedimentis perterritus vix primis digitis eandem attigit*. Duo *igitur capita demonſtrabo, quorum* prius *eſt Reformationem a nonnullis Pontificibus eſſe tentatam*; poſterius *autem eſt, quod hæc ipſa, quam* Paullus Tertius *ſuſcepit, emendatio, non doctrinas, ſed abuſus tantum, & deperditos Curiæ Romanæ mores attigit, proinde vix emendatio appellanda eſt*.

Memoriam præteriti temporis repetere ſaltem libet a ſæculo XV. a Conciliis, inquam, Conſtantienſi *&* Baſilienſi *ad ipſam feliciſſimam* Lutheri *noſtri reformationem &c.*

ANIMADVERSIO VIII.

Quam leviter hoc loco perſtringis, Reformationis hiſtoria, quoniam ad inſtitutæ inter nos quæſtionis articulos aut nihil, aut parum pertinet, fruſtra facerem, ſi eandem excutere ſuſciperem. Satis propterea mihi erit regerere quæ in Sadoleti ſuperius indicata Oratione, & in quadam Iſidori Clarii Adhortatione leguntur. *Ego* (ait ille) *Sacerdotium non exigua ex parte his temporibus contaminatum eſſe fateor, & Romana vitia non probo: ſed ea tamen ad curandum dico eſſe faciliora, quam iniquitatem eorum, qui, ut hominibus detrahant, ipſa etiam divina inviolata eſſe non ſinunt. Etenim huic Sacerdotum morbo quæ eſt adhuc a vobis allata*

me-

medicina? qui, si reprehensores vos morum, & correctores vitæ Sacerdotibus esse profitebamini, debebatis sane ipsi sine reprehensione esse. Nunc neque a vobis ullam in partem adjuti & sublevati sumus, & quæ manebant adhuc in Germaniæ populis virtutes, humanitas, patientia, modestia, quibus quidem virtutibus cum religione conjunctis vel maxime datum est rapere cœlum, & possidere, hæ multis per vos, aut ereptæ penitus, aut certe magna ex parte turbatæ, & labefactatæ sunt. Deinde adversarios redarguens, quod in Catholicos quotidie probrosos libellos spargerent, de iisdem invidiosas conciones haberent, leges sanctissimas ea una de causa, quod illæ per Romanos Pontifices sint conditæ, hominum libertati inimicas vociferarentur, quod vulgus ad iram tantum, & odium in Catholicos inflammarent, ab ipsis postea quærit, num ita se gererent ex Evangelio instituti, doctique; num ablata ex Evangelio charitate, se tamen non Evangelio contrarios proderent, sed Evangelicos rite possent appellare. Clarius autem, tunc Monachus Congregationis Casinensis, deinde Præsul Fulginas, dum Romæ degeret, ad quam Urbem comitatus fuerat Gregorium Cortesium Sodalem suum eo accersitum, ut cum Card. Contareno, aliisque negotio Ecclesiasticæ Reformationis incumberet, suum & ipse obolum in eodem negotio oblaturus, Adhortationem conscripsit, eamque eruditissimæ Contareni limæ castigandam, & expoliendam tradidit. Ista a capite ad calcem adhibitos a nostris in reparanda Christiana Rep. conatus ita collaudat, ut una simul quam maxime damnet captam ex vitiis, quæ in eam irrepserant, a Sectariis occasionem a communi ejusdem sententia discedendi. *Verum* (inquit) *nulla tamen existere debuit tanta perversitas, quæ nos provocaret, ut vetustissimum, sanctissimumque morem a Christi Ecclesia tolleremus, qui cum per se optimus sit, id tantum enitendum fuerat, ut ad veterem formam, priscumque institutum revocaretur, & tanquam auro suus color, & species restitueretur. Etenim tutius multo est, ea instaurare, quæ experti antea fuimus recta, atque honesta, remotis, quæ hominum negligentia obrepserant, vitiis, quam incertis even-*

eventibus se se committere. Quam cogitationem plerique vestrum si habuissent, non fuisset, opinor, necessarium tam invidiose, & tanto cum stomacho Romanam Sedem insectari, & optare dejectam esse, ac dirutam. Et paulo post. *Quare utilior omnibus, & vobis honorificentior, & summo cum Principum, tum populorum favore excepta ratio fuisset, si postulatum esset, ut staret quidem suo gradu Romana Sedes, neque ulla ex parte illius dignitas imminueretur, verum ad priorem speciem pulchritudinemque revocaretur.* Ita pius, doctusque Cœnobita, cujus nomine mirum est Heterodoxos, quod facit Schelhornius T. I. Amœn. Hist. Lit. & Eccles., ad suæ ipsorum causæ patrocinium abuti.

Non possum vero, quin hoc loco mentionem instaurem vitæ, quam in Leodiensi domicilio Card. Polum cum sociis suis traduxisse ex fide Epistolæ Aloysii Prioli, quo inter illos nemo Polo conjunctior, in Diatriba T. II. meæ Editionis ad finem §. III. narravi. Itaque ejus vitæ rationem idem Priolus his verbis describit. *La matina ogn'uno si stà nella sua camera fino a un'ora e mezza innanzi pranzo, nella qual hora convenimo in una Chiesuola domestica, ed insieme cantiamo le hore* more Theatinico *senza canto. Monsignor di Verona è il nostro Maestro di cappella. Dette le ore si ode Messa, e poco dappoi si disna: a parte della mensa si legge S. Bernardo, e poi si ragiona.* Postquam vero exempta fames epulis &c. *il Vescovo legge ordinariamente un Capitolo di Eusebio* de Demonstratione Evangelica. *Si continua, e ripiglia dappoi qualch'onesto e grato ragionamento che dura fino a una o doi hore dopo mezzo giorno; ed allora ogn'uno ritorna alla sua camera, ove si sta fino a un'ora e mezza innanzi cena: a quell'ora cantiamo Vespero, e Compieta; & dappoi il Reverendissimo Legato si ha* tandem *lasciato exorare di leggerci le Epistole di S. Paolo* alternis diebus, *ed ha incominciato dalla prima a Timoteo, con somma sodisfazione del Vescovo, e di tutti noi. O quanto desidero e voi, ed il nostro dabbenissimo Vescovo di Fano a questa santissima lezione, da questo santissimo uomo con tanta riverenza, ed umiltà, e con tanto giudizio letta, che io non so-*

saprei certo desiderar meglio! nè credo che l'amor m'inganni questa volta. Spero dalle micche che io raccoglierò potervene dar buon saggio, quando al Signor Dio piacerà che ci troviamo insieme. Alquanto dopo la lezione si cena; si va per una o doi hore in barca per il fiume, o in l'horto passeggiando, e ragionando sempre di cose convenienti a questi Signori; e spesso spesso, anzi cotidianamente desideriamo e chiamiamo il Reverendissimo vostro, e la sua compagnia a questo nostro honesto e bel tempo, ringraziando il Signor Dio di tanto bene che 'l si degna di concederne. Oh quante volte mi replica il Sig. Legato: Certe Deus nobis hæc otia fecit! *Oh quanto gli siamo obbligati* etiam hoc nomine! *Ed aggiugne sempre: Ob perche non è Monsignor Contarini con noi.* Scripta est hæc Epistola ad Ludovicum Beccatellum æque conjunctum Cardinali Contareno, ac Priolus Polo. Atque hoc vitæ degendæ genus a Polo susceptum, dum Apostolicam Legationem obiret, ut comparent, velim (hoc quoque loco Heterodoxos provoco) cum moribus, atque institutis Lutheri, aliorumque, quos Christi Legatione functos in Ecclesiæ Reformatione instituenda existimant, ac venerantur. Redibo igitur ad Sadoleti Orationem, de qua supra, ut ejus verbis eosdem Protestantes iterum compellem. *Fuitne Evangelicum, tot serere dissensiones, rerum, atque hominum ordines conturbare, dare arma plebibus adversus rectores suos, totam Germaniam tumultu, discordia, direptione, cæde miscere, & involvere? Nisi forte illud vel maxime Evangelicum est (audite vos qui talia perpetrastis, maxima enim cum attentione, & diligentia a vobis est curatum) quod bona Ecclesiarum diripuistis, possessiones occupastis, templa Deo immortali consecrata solo æquastis, scilicet ut Dei ipsius omnipotentis non veneratio solum, verum etiam memoria in illis locis moreretur, quo solutiore animo vos ex manubiis non hostilibus, sed divinis vestræ avaritiæ, & cupiditati suppeditaretis. In quo fuistis etiam Turcis hostibus crudeliores. Illi enim templa vero Deo dicata, si quando vi & armis ceperint, in alterius ea usum religionis convertunt: falsæ quidem*

dem quis negat? sed tamen etiamsi veritatem cultus amittunt, nomen tamen Dei, & religionis retinent.

KIESLINCIUS.

IX. *Devenio nunc ad illud, quod rei caput est, argumentum, ad* Paulli III. *emendationem, quam insigniter nobis*, EMINENTISSIME PATER, *commendas, sed lubens fateor, me prorsus ignorare hujus Pontificis, in emendanda Ecclesia, merita. Paullo attentius considerandа erit reformatio, indagandumque, quibus in partibus illa sit collocanda. Reformationem, de qua disceptamus, appellare amamus Ecclesiæ* vel *quoad doctrinas falsas*, vel *quoad abusus*, vel *denique quoad statum regimenque externum, emendationem. Videndum nunc erit, utrum in hac, vel alia parte Ecclesiam reformarit, quem diximus*, Paullus *Pontifex. Si spectes doctrinas contra Scripturam Sacram receptas, satisfactionem ex viribus naturalibus, justificationem ex merito operum, & intercessionem sanctorum, cultum sanctorum, reliquiarum, imaginumque, transubstantiationem, & alia erronea doctrinæ capita, illa sub hoc* Paullo Tertio *non sunt abrogata, sed incrustata. Si ritus, in auctis sacramentis, in confirmatione, & unctione, & missa pro defunctis, nec non adoratione hostiæ, delectu ciborum, vita monastica, & aliis abusibus conspicuos spectes, nulla reformatio locum habet. Si disciplinam & regimen externum spectes, nihil mutatum, sed Monarchia Ecclesiastica magis magisque confirmata est. Quid? quod Reformatio disciplinæ Ecclesiasticæ tam necessaria fuit æstimata, ut ipse* Gregorius, *Dux Saxoniæ eam urserit, & in comitiis* Wormatiensibus *duodecim gravamina proposuerit, quod* Jacobus Fridericus Georgius * *& celeberrimus* Jo. Erhardus Kappius ** *excellenter demonstrant. Quænam igitur est Reformatio, quam* Paullo III. *attribuis? qualeque meritum in emendatione obvium, quod eidem assignas? Doctrinæ corpus misere deformatum, a suis vitiliginibus non est liberatum; & abusibus, novi quotannis accesserunt ritus veritati Christianæ noxii.*

ANIMADVERSIO IX.

Horrenda ergo omnia ista, Kieslingi, ac digna proinde, quibus Virgilii Maronis illud aptetur.

Tri-

* Vid. ej. Tractat. de Imperator. Imperiique Principum, ac Procerum, totiusque nationis German. gravaminib. advers. sedem Roman. p. 521.
** Vid. Spicilegii Document. ad Reformat. spect. Part. I. p. 53. seq.

Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira Deum Stygiis se se extulit undis.

At quid facias? Ea omnia in *Pontificiorum* Ecclesiis dominabantur, dum rerum inter ipsos potiretur Pontifex ille, quem M. Ant. Flaminius suas eidem lucubrationes in Psalmos superius collaudatas inscribens, his verbis affatus fuisse comperitur. *Quid? quod castissimus summi Dei cultus, plenissimaque pietatis religio, summa omnium voluntate fidei Tuæ, præstantissimæque virtuti credita est, atque in terris maximi Numinis locum tenes. Ad quem igitur mitterem explanationem libri sanctissimi, quam ad custodem, & principem omnis sanctitatis, quem jure omnes Sanctissimum & colimus, & nominamus?* Eam autem explanationem, ut jam adnotavi, Flaminius exaravit, *Divino spiritu*, vobis ipsis testibus, plenissime *illustratus*, siquidem in eadem *eximia in Deum pietas, ardensque Numini optimo serviendi placendique studium, quaquaversum elucet*. An non igitur Flaminii dictum illud efficiat, ne adeo dira, fera, & horrida a vobis existimentur ea Catholicorum dogmata, quæ recensuisti? Videamus modo, eodem Flaminio in scenam producto, quam justius sit magno nos horrore perfundi ob rejectam a vobis in iis ipsis dogmatibus Universalis Ecclesiæ authoritatem. In Epistola, quam ille scripsit ad Carnesecam, quæ extat in aliquot Italic. literarum, Dulcii, & Ruscellii (has consului, Manutianam ann. 1566. laudat Schelhornius) Collectionibus, postquam Catholicis sensibus de Missa, & Sacramento Altaris disseruisset, hæc tandem habet de falsarum opinionum sua ætate exortarum sectatoribus: *Stanno ostinatissimi nelle loro imaginazioni, accecati dalla superbia umana, amatrice della novità, & nimica delle vie communi. La qual superbia si nasconde facilmente sotto il falso zelo della Religione, & allora i suoi inganni sommamente difficili da iscoprire, quando le persone per così fatte novità si mettono in pericolo di perder l'honore, la roba, & la vita, perchè allora non si possono imaginar d'essere ingannati dalla carne, e dal diavolo: & così ognora più s'indurano nelle falsità, e diventano acerbissimi censori del prossimo, condannando d'impietà l'universo*

ver-

verſal ſenſo & perpetuo uſo della Chieſa , & chiunque non ſi fa ſervo delle loro opinioni. Da queſta arrogantia, & da queſti amari zeli gli liberi noſtro Signor Iddio, & doni loro carità, & dolcezza di ſpirito, & tanta umiltà, che s' aſtenghino dal giudicar temerariamente i dogmi, & l'uſanze della Chieſa, condannando sì rigidamente tutti quelli, che con vera humiltà di cuore la riveriſcono, & ſeguitano: & comincino a credere, che molti di coloro, che da eſſi ſono condannati, & tenuti Idolatri, & impii, perchè non credono quello, che credono eſſi, ſono veramente religioſi, pii, & a Dio cari; & per contrario nimico, & odiato da Dio chiunque ſeguita queſta loro ſuperba preſonzione. Et noi, Signor mio, ſe non vogliamo far naufragio in queſti pericoloſiſſimi ſcogli, humiliamoci nel coſpetto di Dio; non ci laſciando indurre da ragione alcuna per veriſimile ch'ella ne pareſſe, a ſepararci dall'unione della Chieſa Catholica, dicendo con David. Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me, quia tu es Deus ſalvator meus; *& ſenza dubio ſaremo eſauditi*, nam bonus, & rectus Dominus, propterea diriget manſuetos in judicio, docebit mites vias ſuas. *La dove volendo giudicare le coſe divine col diſcorſo humano ſaremo abbandonati da Dio, & in queſto ſecolo contentioſo talmente ci accoſteremo all'una delle parti, ed odiaremo l'altra, che perderemo del tutto il giudicio, & la charità, & dimanderemo la luce tenebre, & le tenebre luce, & perſuadendoci d'eſſer ricchi, & beati, ſaremo poveri, miſeri, & miſerabili, per non ſaper ſeparar* pretioſum a vili. *La qual ſcienza ſenza lo ſpirito di Chriſto non ſi può inparare; al qual ſia gloria in ſempiterno. Amen.*

Novi, Kieslingi, quidnam veſtri homines excogitaverint, ut ſagittæ ex Flaminii, quem inter præſtantiores commilitones ſuos accenſent, pharetra depromptæ ictum depellant. Id ſiquidem me edocuerunt memorati ſuperius mirifici laudatores ejus Scriptoris, videlicet Camerarius, & Schelhornius. Hic tam ſuam, quam Camerarii ſententiam in hunc modum pag. 145. Opuſculi ſui *de Relig. M. Ant. Flam.* expoſuit. *Hanc* (loquitur de Flaminii Epiſtola ad Carneſecam)

cam) *si revera scripsit Flaminius*, *neque* κατ' εἰρωνείαν *alius composuit*, *eo tempore in gravi illum errore versatum esse*, *ac fundamento fidei Christianæ*, *quod solidum ac illabefactatum tenebat*, *fœnum stipulasque superstruxisse fatendum est*. *Vehemens autem scribendi ratio*, *in ea usurpata*, *abhorrere mihi videtur a miti illa ac laudatissima ingenii indole*, *quæ ex aliis Flaminii scriptis elucet*. At elucet sole meridiano clarius, non alium præter Flaminium haberi posse germanum Epistolæ hujusce Scriptorem; Flaminius enim paucis mensibus, antequam ea Epistola daretur, occasionem habuerat crebro colloquendi cum Carneseca, nam ambo Viterbii apud Card. Polum considebant, & ideo in ejus Epistolæ exordio ita habetur, *Alli mesi passati noi parlammo alcune volte insieme del Santissimo Sagramento dell' Altare*, *e dell' uso della Messa*. Insuper Flaminium certo constat moratum fuisse Tridenti, quo tempore ea Epistola data visitur, *Di Trento*, *Il primo di Gennaro MDXLIII*. Stylus tandem Flaminium unice refert, quin ulla de hoc enasci possit controversia. Maximam autem in adversarios excitandi aditum mihi præbent illa eorundem verba, quibus testantur, Flaminium dum eam Epistolam scriberet, *fundamentum fidei Christianæ solidum*, *ac illabefactatum tenuisse*. Fidei ergo (ajo ipse) quam nos *Pontificii* profitemur, *non ci lasciando indurre da ragione alcuna*, *per verisimile ch' ella ne paresse*, *a separarci dall' unione della Chiesa Cattolica*. Suspicionem vero, quam Camerarius primo movit, & Schelhornius deinde probavit, commutatæ postea a Flaminio de Missæ sacrificio sententiæ, inanem prorsus esse vel eæ ipsæ hujus Epistolæ, quas illi hoc elogio exornant, *melioris indices*, *&* *certioris rerum divinarum intelligentiæ*, demonstrare valent. Unam tantum hoc loco memorandam seligo, exaratam scilicet a Flaminio ad Galeacium Caracciolum, quod eam iidem continere affirment professionem, aut approbationem Lutheranismi. En Schelhornii verba: *Ad Epistolam quod attinet*, *fateor equidem nullam plane in ea b. Lutheri mentionem fieri*, *sed per semen illud Evangelii*, *quod in corde Caraccioli sparsum ait Flaminius*, *ego ipsam illam veritatem*

tem cœlestem, cujus fortissimus vindex, & stator adspirante Deo erat Lutherus, intelligo; per persecutiones autem, quas, dolente & invito dæmonio ministrisque ejus, redundaturas tandem ad gloriam Christi & salutem membrorum ipsius speravit vir optimus, sævissima illa adversus Evangelii studiosos & confessores, Pontificis, ejusque mancipiorum molimina. Neapoli enim ac in omni Italia ii, qui Romanæ Ecclesiæ, Papæque addicti erant, nullis persecutionibus erant obnoxii, id quod autem de evangelicæ veritatis amantibus ex historiarum monumentis satis abunde demostrari potest. Satis abunde demonstrari potest (ignoscat Schelhornius) nil nisi figmenta, & somnia hisce verbis contineri. Verum ejus Epistolæ sensum hæc manifestissime, quæ illius initio leguntur, declarant: *Mi pare di vedere, che 'l Signor Dio habbia fatto un favor molto particolare a Vostra Signoria, volendo, ch'ella sia nel numero di quelli pochissimi nobili, ch'egli orna di una nobiltà incomparabile, facendogli per la vera & viva fede suoi figlioli. Et quanto è stato più particolare il favore, ch'ella ha ricevuto da Dio, tanto la veggo più obbligata a vivere, come si conviene a i figliuoli di Dio, guardando, che le spine, cioè i placeri, & gli inganni delle ricchezze, & l'ambitione non suffochino il seme dell'Evangelio, che è stato seminato nel cuor suo; benchè mi rendo certo, che 'l Signore, il quale ha cominciato a gloria sua l'opera buona in voi, la condurrà a perfettione, a laude della gratia sua, la quale creará in voi an animo tanto generoso, che sicome per lo adietro ponevate tutto il vostro studio in conservare il decoro de' cavallieri del Mondo, così hora porrete tutta la vostra diligenza in conservare il decoro de' figliuoli di Dio, a quali convien imitare con ogni studio la perfettione del loro celeste Padre, esprimendo, & rapresentando in terra quella vita santa, & divina, la quale viveremo in Cielo. Signor mio Osservandissimo, in tutti i vostri pensieri, in tutte le vostre parole, & in tutte le vostre operationi ricordatevi, che siamo diventati per Gesu Cristo figliuoli di Dio, & questa memoria generata, & conservata nell'anima nostra dallo Spirito di Cristo non ci lascerà di leggie-*

gieri nè fare, nè dire, nè pensare alcuna cosa indegna della imitatione di Cristo, al quale se noi vogliamo piacere, è necessario, che ci disponiamo a dispiacere agli huomini, & a disprezzare la gloria del mondo, per esser gloriosi appresso a Dio. En igitur quodnam sit semen sparsum a Christo in corde Caraccioli, contemptus scilicet rerum omnium mundanarum, voluptatum, divitiarum, ambitionis, rerum, inquam, quibus utitur Dæmon ad Christi imitatores vexandos, & insectandos; unde subdit Flaminius: *O veramente ricco, & beato colui, che per favor di Dio perviene a questa povertà spirituale, rinunciando con l'affetto tutte le cose, ch' egli possiede, cioè la prudentia mondana, le scienze secolari, le ricchezze, le Signorie, i piaceri della carne, la gloria degli huomini, i favori delle creature, ed ogni confidanza di se stesso! Costui diventando per Christo stolto nel mondo &c.* Exscribenda foret integra Epistola, ut quisquis mea ista legerit, intelligat, vanas, *velut ægri somnia*, sibi species confinxisse Camerarium, & Schelhornium, dum in eadem nancisci se posse putarunt *Pontificis, ejusque mancipiorum molimina*. At ad species illas difflandas satis omnino esse deberet vel unum Poli nomen semel, iterumque in ea Epistola ita enunciatum, ut certi reddamur, hunc & magnopere gavisum fuisse ex fausto nuntio Christianæ vitæ, cui Caracciolus, mundanæ cupiditatibus ejuratis, se addixerat, & ea omnia probasse, quæ in suis ad istum literis Flaminius exaraverat. Meminerit, oportet, Schelhornius, se, suosque passim gregales accensere ipsum Cardinalem Polum inter *Pontificis mancipia*. Qui igitur fiat, ut Flaminius, ipso Polo authore, Caracciolo primum gratularetur, quod divina gratia illum e laqueis *Pontificiorum* eripuisset, deinde eundem hortaretur, ut fortis pectoris robur eorundem *persequutionibus* opponeret? Id utique ii tantum fieri potuisse affirmabunt, qui lucem tenebras, tenebras lucem appellare consueverint. In Flaminii manibus quam frequenter fuerit libellus de Imitatione Christi, ipsemet testatur in literis ad Carolum Gualteruccium, quæ in superius memoratis Collectionibus leguntur, quæque datæ sunt eo circiter tempore, quo

quo binas superius collaudatas conscripsit. *Io non saprei proporvi* (ait ille) *libro alcuno* (*non parlo della Scrittura Santa*) *che fosse più utile di quel libretto* de Imitatione Christi, *volendo voi leggere non per curiosità, nè per saper ragionare, & disputare delle cose Cristiane, ma per edificare l'anima vostra, & attendere alla prattica del viver Cristiano.* Ad sancti igitur ejus libelli doctrinam referri unice debent sensus omnes illius ad Caracciolum Epistolæ. Quoniam vero aurei illius libelli mentionem hoc loco facere mihi contigit, te, Kieslingi, monitum volo, in eodem adstrui omnino differte Invocationem Sanctorum, quam (stylo heu nimium virulento[1]) impugnasti in tuis Exercitationibus Anti-Trombellianis; atque ita adstrui, ut Schelhornius, & alii quotquot Flaminium amant ea etiam de causa, quod Sanctorum Invocationem censeant ab eo minime agnitam, seu admissam fuisse, palam falsi judicii damnentur ex laudibus a Flaminio in eum libellum abunde collatis. Tandem (ut hanc Animadversionem absolvam) cave, Kieslingi, ne mihi objicias, tam Carnesecam, quam Caracciolum, Catholicorum castris relictis, ad vestra discessisse; nam infelix hujusmodi discessus nil aliud probat, quam miseros homines illos pias Flaminii, quas in medium attuli, adhortationes, cæcitate mentis perculsos oblivioni repente dedisse. Præceps gradus, quo vel egregii in Christiana schola non discipuli tantum, sed etiam magistri aliquando in hallucinationum barathrum corruerunt, certissimo est documento, maxime cuivis cavendum esse ab ea arrogantia, ab amaro eo zelo, unde adducamur ad temere judicandum de Ecclesiæ dogmatibus, ac moribus, indeque ad ejusdem communionem deserendam. Tanto piaculo submovendo ex Christianorum cordibus quum tenderent Flaminii adhortationes illæ, imo Epistolæ ejus omnes superius indicatæ, in hisce, fatendum est, quammaxime elucere *fundamentum fidei Christianæ solidum, illabefactatumque*, quod Flaminium tenuisse, plerisque omnibus ex nostris minime dissentientibus, Acatholici deprædicant.

KIES-

KIESLINGIUS.

X. *Nihil itaque reliquum est, quam tentata Curiæ Romanæ reformatio. Illa est illustris* Paulli *emendatio, quam* Gaspar Contarenus, *pater Purpuratus, hujus consessus convocati sodalis collaudat, & quam his*, VIR EMINENTISSIME, *depraedicas verbis* * „ Paucos dumtaxat menses post habitum Conventum, de quo „ modo dictum est, quonam novo documento Paullus III. com„ probaverit, nihil se antiquius habere, quam Refor nationis opus „ ad exitum perducere, testis adest Contarenus in Epist. ad Po„ lum data die 12. Maji 1537. „ *Quibus consentanea sunt, quæ* Pallavicinus ** *de hac Reformatione hunc in modum recitat*: Habendæ simul morum emendationi opera navata, instituto iterum cœtu quatuor Purpuratorum Patrum & quinque Præsulum inprimis præstantium. *Et paullo post*: Hi plura emendationis capita propofuere, quæ præcipue versabantur in quibusdam ab Romana Curia collatis beneficiis; quæ cuique displicent, dum alteri conceduntur, sed eadem postea ab unoquoque importune sibi flagitantur: atque ipsi Principes, qui reformatam disciplinam requirebant validius præ ceteris admovebant machinas, quibus identidem a Pontificibus eadem extorquerent. *Sat documentorum de hoc reformationis a* Paullo Tertio *institutæ negotio. Sententia nunc mea, ne sine symbola discedere videat, in medium erit adferenda, dispiciendumque, quid in hoc perplexo argumento valeant humeri, & quid fere recusent.*

Non abnuo, Paullum Tertium *satis graves habuisse hunc consessum instituendi causas. Pudorem ipsi incusserat emendatio a b.* Luthero, *qui triplex circa pectus habebat robur, strenue suscepta, & cum emolumento Ecclesiæ hactenus peracta. Veritas Religionis Lutheranæ parvis usa initiis, maximis gavisa est incrementis, adeo quidem, ut non solum finitimæ, sed & remotæ regiones in Lutheranæ religionis abirent sententiam. Id male habuit* Paullum *Pontificem. Putabat suam rem agi, dum paries proximus ardebat*. Gallia, Hungaria, Bohemia, Silesia, *aliaque regna huic Lutheri emendationi clanculum, quin & palam applaudebant, excussoque, prout tunc erant tempora, aliquo modo jugo Pontificum, libertatem adspirabant. Intelligebat vero* Paullus Tertius, *Procerum Germaniæ querelas ipsi fore minaces, easdemque in Pontifices esse valde onerosas. Quo igitur Principum & totius Germaniæ desiderio, & spei satisfaceret, & emendandæ Ecclesiæ studiosissimus videretur, emendationem in sede Romana auspicatus est. Et hoc* no-

* Vid. l. c. p. 60. 61.
** Vid. Histor. Concil. Trident. Lib. IV. Cap. V. p. 121.

nomine egregie inserviebat expectationi populorum, & omnem impediti deinceps Concilii culpam in Protestantes callide rejiciebat.

ANIMADVERSIO X.

Apage, Kieslingi, dum agitur de Reformatione a Paulo III. institutæ negotio, apage *calliditatis* vocabulum, atque istud, aliaque ejusdem significationis inter prisca, & obsoleta amandes, velim, postquam tibi licuit esse tam beato, ut oculis tuis usurpares monumenta a me primum in lucem educta, quorum scilicet causa mihi in hunc modum plausisti: *Immortalem igitur promeritus es laudem, quod nobis horum monumentorum, quæ atra nox hactenus pressit, copiam facere, & veram hujus negotii formam uberius explicare voluisti. Dulcius enim ex ipsis fontibus bibitur aqua.* Poli, Contareni, Sadoleti, aliorumque literæ, quibus publicandis operam impendo, sint igitur tibi fontis instar, cui Horatii illud accommodes, *O fons Blandusiæ splendidior vitro!* seu Ovidii illud, *Fons erat illimis, nitidisque argenteus undis.* Quoniam vero litteras illas *veram hujus negotii formam uberius explicare* affirmasti, insignem ipse laudem candido isto testimonio te promeritum fuisse affirmabo, paremque ei ferme, quam a me retulit Schelhornius ob Poli apologeticam ad Eduardum Regem Epistolam in dias luminis auras prolatam e tenebris, in quibus, ut ipse loquitur, per duo fere sæcula strenue latitabat. At quid promeritum fuisse dicam Henricum Wharton, Poli Vitæ latine redditæ a Dudithio ex Italica Beccatelli Editorem Londini an. 1596? Nam in Præfatione seu Typographus, seu forte Editor ipse hisce verbis Lectorem affatur. *Vita Card. Poli a pertinacissimo quidem conscripta est Pontificio, qui Reformationis nostræ Duces pluribus calumniis proscidit, Historiamque mendaciis obfuscavit, quæ si fraudem Lectori factura augurari possem, in lucem majorem donasse piaculum duxissem. Nollem autem de Lectoris ingenio adeo sinistre sentire, ut in hisce rebus, inanibus potius Itali Scriptoris criminationibus, quam certioribus nostrorum Historicorum narrationibus fidem adhibiturum putarem.* Vix putem, Editorem, seu Typographum reperiri ali-

alibi posse, qui hujuscemodi elogio mactandum duxerit Scriptorem publica a se luce donatum, dummodo non una simul seu Notæ, seu Animadversiones, quæ adversus ejusdem Scriptoris mendacia antidoti vim habeant, adjungantur. Earum tamen nec vola, nec vestigium in Editione illa, quam proinde liceat mihi Gallica phrasi appellare *le chef d'oeuvre d'art*, seu Anglica, *A master-piece*. Magnam tamen apud suos consequutum fuisse laudem Henricum Wharton ob rem literariam auctam, illustratamque, docet Inscriptio, qua ejus tumulus Londini in Ecclesia S. Petri Westmonasteriensi situs exornatur. Appendix ad Historiam literariam Guilielmi Cave, & Anglia sacra, sive Collectio Historiarum, partim antiquitus, partim recenter scriptarum de Archiepiscopis Angliæ, inter ejusdem fœtus recensentur, atque in iis edendis quem ille animum gesserit, ignorare nos oportet, postquam paternum ejecisse de partu illo posthumo (Vita Poli biennio post ejus mortem in lucem exiit) compertum nobis reddidit ea Præfatio, siquidem æque ipsius, ut credere par est, ac Typographi sensus, ista enunciaverit.

KIESLINGIUS.

XI. *Convertamus autem nunc oculos in ipsum hunc, quem constituit* Paullus Tertius, *de emendanda Ecclesia, & curia Romana consessum, videamusque, quid in eo laudandum, quidve vituperandum sit. Laudamus* Paulli Tertii *consilium de repurganda Ecclesia susceptum, quod hunc potissimum habuit finem, ut Patres hujus Concilii, Anno* MDXXXVII. *instituti, conscripti, in morbos Ecclesiæ adcurate inquirerent, eosdemque circumspicerent. Ea porro provincia his Præsidibus erat demandata, ut remedia contra hæc vulnera Ecclesiæ inflicta explorarent, eademque litteris consignata ipsi Pontifici exponerent. Nemo hoc pium* Paulli *institutum cum veritatis firmamento sub censuram vocabit, sed illud merito collaudabit. Ecquid enim Episcopo magis est dignum, quam videre, ne quid detrimenti Respublica Ecclesiastica capiat, & si jam collapsa est, curare, ut emendetur, & novis firmamentis adaugeatur? Designavit Pontifex huic officio perficiendo viros pietate, & eruditione illustres, quorum nomina in* Consilio, de emendanda *Ecclesia Romana, jussu* Paulli Tertii *Papæ conscripto, in fine, testibus* Sleidano * *&* Sekendorffio **, *ita fluunt*: Gaspar Car-

* Vid. lib. XII. p. 523. ** Vid. supra citati; Consil. 1737. & Sekendorffium l. c. Lib. III. Sect. XVI. §. LIX. p. 163.

Cardinalis Contarenus, Joannes Petrus Caraffa, Theatinus, postea Pontifex sub nomine Paulli IV. Jacobus Cardinalis Sadoletus, Reginaldus Polus Cardinalis Anglicus. Hi sunt patres Purpurati, quos excipiunt adhuc quinque magni omnino nominis prælati, Fridericus Fregosus, Archiepiscopus Salernitanus, Hieronymus Aleander, Brundusinus, Joannes Matthæus Gibertus, Episcopus Veronensis, Gregorius Cortesius, Abbas Sancti Georgii Venetiis, & Frater Thomas Badia, Magister sacri Palatii.

ANIMADVERSIO XI.

Superius dixi, hos omnes Novemviros purpuram a Paulo III. accepisse, uno excepto Giberto, a quo repudiatam fuisse pro eximia, qua pollebat, modestia, haud levis, ut pariter indicavi, conjectura est. Hic vero addam, stomachum mihi movisse, quæ de eodem tradita deprehendi a Camerario in descriptione vitæ M. Antonii Flaminii Tomo X. suarum Amœnitat. insita a Schelhornio, de qua etiam paulo ante. Narrat Camerarius, Flaminium Venetiis, qua in Urbe versatus fuerat cum Legato Gallico, Veronam evocatum venisse ad Joannem Mattheum Gibertum, *apud quem annos complures vixisse perhibetur, ita ut victu, cultuque asperiore uteretur, instituto Episcopi illius, qui ista simulatione sanctitatis aucupari Cardinalis præstantiam existimabatur*. Verba ista a Camerario usurpata nonne Flaminii religionem, cui adstruendæ libellus tamen ille conscriptus fuit, obliquo ictu consauciant? Qualis enim, quantusque fuerit Giberti laudator Flaminius, declarat inscriptio ista hujus tumulo ab eodem apposita:

Giberti venerator hic sepulchrum,
Quem Ligur genuit Panormi in urbe,
Roma nutriit, & diu regendi
Orbis participem beata vidit,
Dein Verona recepit, & magistrum
Sinceræ pietatis, & parentem
Mirata est; nihil ille quod beatam
Posset reddere civitatem, omisit,
Nunc cælo fruitur beatus ipse.

Ipsi pariter Flaminio, verosimilius quam cuivis alteri, adscri-

ſcribendum eſſe Giberti elogium, quod extat in Italica Epi- ſtola quadam Cardinali Contareno perperam tributa, probare conatus ſum p. XXXVII. Præfat. ad Vitam ejuſdem Cardinalis. *Tenetevi per voi* (en illius Epiſtolæ verba) *questi voſtri moſtruoſi Veſcovi con le loro ſete, ori, argenti, tapezzarie, cavalcature, ſtaſſeri, per non dir peggio, ne' quali non ſi vede altro di Veſcovo che una gran Cherica. A noi fanno di meſtieri Veſcovi, che per gemme, & ori abbiano le ſagre lettere, per le delizie la povertà, ed i digiuni, per ornamenti un'ardente, caſta, ed umile carità, quale a' noſtri giorni fu il ſanto Veſcovo Matteo Giberto, Veſcovo di Verona, di tante eximie doti dell'animo ornato, che alli antichi ſi poteva propriamente paragonare. Viſſe con tanto celebre opinione di ſanto Veſcovo, che laſciò di ſe eterna memoria, & indicibile deſiderio.* Giberto igitur quoties ſimulatæ ſanctitatis nota inuratur, fieri nequit, quin una ſimul Flaminii, ceu ad aſſentationem pronioris, religio in invidiam vocetur. Æque commoveor adverſus Jacobum Zieglerum in Hiſtor. Clementis VII. Epiſcopi Romani (qua Tomum alterum Amœnit. Hiſtor. Eccleſ. Liter. Schelhornius ditavit) laudes illas rejicientem, ac damnantem, quibus in dedicatione Tom. IV. Operum Galeni, quæ Venetiis an. 1525. Andreas Aſulanus excudit, Gibertus ornatur, dum proditur *haberi in Epiſcopis qui fuerunt, & forſitan futuri ſunt, omnium ſanctiſſimum.* Itaque homines iſti aut Giberti famæ parcere diſcant, aut intelligant per latus Giberti religionem Flaminii tranſverberari, quippe qui *Magiſtrum ſinceræ pietatis, & parentem* Gibertum prædicavit.

KIESLINGIUS.

XII. *Eminent ex Patribus purpuratis hujus Concilii ſenioribus* Contarenus * & Polus ** *quorum vitas & Epiſtolas in Volumina congeſtas a Tua*, VIR EMINENTISSIME *liberalitate nuper admodum accepi, & quæ huic emendationi inſignem omnino affundunt lucem.*

* Vid. Vita del Cardinale Gaſparo Contarini, ſcritta da Monſignor Lodovico Beccatello, in Breſcia MDCCXLVI.

** Vid. Collectio Epiſtolarum Cardinalis Reginaldi Poli Romæ ab Eminentiſſimo Quirinio edit.

cem. Nec dissimulo, hos duumviros, quorum studium in Ecclesia a sordibus liberanda, teste Sexendorffio *, *ipsi Protestantes laudant, fuisse judicio graves, & ingenio mites, & eruditione insignes, ut bene omnino de ipsorum consiliis sperare potuerit Germania; sed suis omnino privati sunt illi Patres conatibus & consiliis oppido bonis, quod ipse hujus Conventus sanctioris comprobat eventus. Quanta animi moderatione in rebus agendis usus sit* Contarenus, *ita quidem, ut in suspicionem hæreseos inciderit, testis est* Pallavicinus ** *commemorans*: Peractis comitiis, Cæsar in Italiam contendit, & eum comitatus Contarenus. Ubi Tridentum perventum est, petiit a Cæsare, ut per ipsum sibi liceret ad suam sedem Episcopalem se conferre: quippe amplius nihil cum Cæsare transigendum erat, & inter se non solum in rebus agendis, sed etiam in jam actis referendis discordes fuissent. Non tamen Carolus hominem abire permisit; eidemque mox etiam Pontifex, ut Cæsarem comitaretur, imposuit. Hinc illi comes adfuit solemni pompa Mediolanum ingredienti, non solum ob dissensionem præteritam minime invisus, sed ob exploratam virtutem in honore singulariter habitus. Veruntamen, ut accidere illi solet, qui prudenti moderatione causam unius communitatis adversus alteram egit, nimirum contrariæ acerbum videri, languidum suæ, ita plane contigit Contareno. Conquesti sunt in suis Commentariis Protestantes, speratum sibi a tanto viro æquius erga verum & justum actum iri; simul etiam his oppositas obtrectationes Romæ perpessus est. Multi ceu remissum in Lutheranos arguere; perinde quasi animi fervor expers potentiæ, & inter populos concordiam sitientes, non evadat contemta levitas, & odiosa vehementia. Ab aliis carpebatur, non sine acerrimo illius dolore, quasi in dogmatum summa indulsisset aliquid adversariorum erroribus. Sed dolorem mitigavit epistola Poli Cardinalis, cujus autographum penes me, ubi non solum testatur, objecta illi Romæ reipsa minora famæ rumoribus fuisse; sed constanter affirmat a nullo Legato multis ante seculis tanta cum dignitate Sedis Apostolicæ nomen assertum, non modo quod ad virtutis opera, & charitatis officia cunctis opitulantia, sed quod ad doctrinæ soliditatem pertinebat; fracto in Germaniæ conspectu eo Lutheranorum telo, quod unicum (non autem quidquid calumniarum congerere possent in Aulæ Romanæ mores) si perstitisset integrum, facile valuisset apud eos tueri inceptam defectio-

* Vid. de Contareno cit. l. Cap. III. Sect. XXIII. §. LXXVI. §. 6. p. 353. & de Polo I. cap. III. Sect. XXXIII. §. CXXIX. §. 2. p. 595.
** Vid. Lib. IV. Cap. XV. p. 147.

ctionem ; a Pontificiis videlicet haud probe percipi præcipuum nostræ Fidei dogma, hoc est, habitam a Christo redemtionem, cum illud ipse suis libellis explicuisset egregie. Proinde libenti animo rediret ; cum enim illi objecta ortum ducerent ex eo, quod nonnulli ipsius dicta in sensum alienum traherent, ubi præsens adesset, se nubeculas absterfurum. Atque ita plane contigit.

ANIMADVERSIO XII.

Qui factum fuerit, Kieslingi, ut Epistolarum Reginaldi Poli Volumina *liberalitate mea nuper admodum* acceperis, videlicet ante diem 24 Aprilis hujus anni, quam notam chronicam præfert Commentationis hujus tuæ editio, id prorsus non intelligo. Literis siquidem ad me datis die 20. Martii ejusdem anni ita ad me scripsisti: *Poli potissimum Epistolas, quarum copiam mihi facere pollicitus es, desidero, quia in illis promum condum rerum ad emendationem Ecclesiæ pertinentium futurum esse statuo.* In binis autem aliis proximo mense Aprili conscriptis, scilicet die 24. & 29. ne verbulo quidem indicasti tuas ad manus pervenisse donum illud meum. Nec pariter intelligo, qui fieri potuerit, ut Volumina illa existimares Romæ edita fuisse, nam Brixiæ eadem prodiisse statim ipsorum frons tibi declarare valuisset. At quid opus est hæc a me in medium afferri, quum certo noverim, dumtaxat ineunte Junio me ea Volumina tibi transmisisse, capta nimirum opportunitate, quam mihi præbuit mercatoris nostratis ad Bolzanenses nundinas migratio? Utinam ea Volumina ante oculos tuos fuissent, dum Commentationem, in quam modo Animadversiones adorno, componeres; plura siquidem eorundem loca huc traasferendi onere me liberasses. Verumtamen quoniam tibi datum non est vel hilum posse proficere ex illorum librorum lectione, profecisses saltem ex lectione Vitæ Contareni, quam utpote tibi una cum Specimine Gestorum Pauli III., mense Septembri anni superioris missam nullum ambigendi locum habeo te vere accepisse. Eandem evolvens (quod spectat ad presentem Animadversionem) adnotasses, immortales laudes Paullo III. ea etiam de causa deberi, quod ipse Contarenum, etsi post res ab

ab ipſo geſtas in Comitiis Ratisbonenſibus pluribus dicteriis cum Catholicorum, tum Acatholicorum impetitum, ut Pallavicini a te recitata narratio demonſtrat, medullitus amare, omnique ornamentorum genere cumulare nunquam tamen deſtiterit, nam ipſum e Legatione Ratisbonenſi vix vix reducem, mira prorſus humanitate, cujus fidem facit Vitæ ejuſdem Cardinalis Scriptor, Ludovicus Beccatellus, complecti dignatus eſt, *Eſortò* (Paolo III.) *ſua Signoria Reverendiſſima a non ſi curare di ciance vane & de' maligni, & gli addusse a queſto propoſito quella ſententia di Ovidio*, Summa petit livor, perflant altiſſima venti. *Et fattogli molte carezze, & ringraziatolo delle fatiche, & buon offitio ſuo, li concesse, che ſtracco dal camino andaſſe a riposare a Roma.* Hiſce autem verbis facta ipſa quam citius reſponderunt, namque ei poſt paucos menſes Bononienſem Legationem concredidit, *che è la più honorata Legazione che la Chieſa habbia nel Stato ſuo*, ait idem Beccatellus; & eundem poſt aliquot alios menſes Ablegatum ad Carolum Imperatorem renunciavit. Adeo prolixam Pontificis erga Contarenum benignitatem id vel maxime commendavit, quod hic nullam occaſionem omitteret mentem ſuam libere aperiendi eidem Pontifici, quoties officii ſui partes ita poſtularent. Manifeſtum hujuſce candoris, ubi etiam nil minus quam de permulcendis Pontificis auribus ageretur, exhibitum ab ipſo argumentum, præferunt verba recitata in ea ipſa Vita: *Ragionandogli Papa Paolo di voler far Cardinali certi che il Cardinale non approbava, & lo diceva liberamente a Sua Santità con quella modeſtia però che ſoleva, il Papa mezzo riſentito disſe, Semo ſtati Cardinali anche noi, & ſapemo come queſte acque ſi navigano*, „ *Innatum eſt Cardinalibus, repugnare* „ *quominus alii ſibi exæquentur honore* „; *il Contarino punto all'improviſo, & commoſſo diſſe: Padre Santo, Voſtra Beatitudine non mi faccia queſto torto di havermi in tal concetto, ch'Ella ſa bene quanti buoni ſubjetti io gli ho ricordato per queſto officio, & per mio conto, a dir il vero, io non reputo che il Capello ſia il mio maggior honore.* At ea omnia

nia forte in Contareni Vita obſervaſti; nec fugiſſe te velim narrationem rei, quam Brixiana in hac Urbe tranſactam fuiſſe ægre fero: *Come noi* (ait Beccatellus) *fummo a Breſſa, un gentilbuomo di quella città amico vecchio del Cardinale venutolo a viſitare diſſe così alla boniſſima, Come ſtanno, Monſignor Reverendiſſimo, quelli Capitoli, che a Lutherani havete ſottoſcritto tanto exhorbitanti? A che il Cardinale riſpoſe, che queſta era una menzogna di Paſquino da non darli orecchie, & che non che articoli dubbi, ma nè ancho l'Evangelio di S. Giovanni per ſe accettaria ſenza l'authorità della Chieſa. Quel buon gentilbuomo replicò, che ciò che detto havea non veniva da Paſquino, ma ne haveva veduto lettere di mano di un gran Cardinale che nominò. Il Cardinale Contarino come ciò inteſe tutto ſi alterò & diſſe, Bella moneta è queſta, s'è vero, di che quei Signori pagano le mie fatiche.* Quoniam vero hujus Cardinalis tam labores, quam virtutes maximi ſemper Paulum feciſſe certum eſt, *Chi saprà mai mettere in dubbio, che quel ſantiſſimo Pontefice, ſiccome non ſi moſſe a conferirgli detto grado ſe non per l'onore che giudicò doverſi rendere ſopra tutto alla virtù, così dal ſolo amore della virtù ſia ſtato ſempre violentato ad apprezzare, ad amare, a premiare la ſua Creatura?* Ita ſcripſi p. XXVI. Præfat. ad eam Vitam.

KIESLINGIUS.

XIII. *Attentis nunc oculis contemplemur horum Seniorum ad Concilium electorum conſultationem in Germaniam opera* Nicolai a Schonbergii *Patris Purpurati Capuani delatam, quam* Joannes Sturmius * *Argentoratenſis in ſingulari libro latino, nec non ipſe* Lutherus ** *in commentatione Germanica ſub incudem vocarunt. Quanto tædio & indignatione commentationes a* Luthero & Sturmio *emiſſas legerit* Cochlæus, *teſtis eſt* Raynaldus *** *hæc tradens*: Contra hoc pium, ac ſalutare optimorum virorum conſilium duo prodierunt libelli unus a Joanne Sturmio editus latino ſermone, alter in Germanicum idioma translatus a Luthero, ap-

G 2

* Vid. ſupradicta conſultatio cum Animadverſionibus Latinis Argentorati edita 1539.

** Vid. a b. Luthero Witemberg. eod. an. edit.

*** Vid. Annal. Eccleſiaſtic. Tom. XXI. an. 1539. n. 22. edit. Rom.

appositisque in margine annotationibus impiis contaminatus. Sturmius vero Argentinæ Rhetoricam profitebatur, ad quem Cochlæus scripsit brevem libellum, qui inscriptus est: Æquitatis discussio super Consilio delectorum Cardinalium, &c. in quo inter cætera sic ait ad Sturmium: Attamen nihil dubito, epistolam tuam longe æquiori animo a doctis & gravibus viris legi, quam Theutonicam adversus Viros illos Lutheri interpretationem. Tu enim a convitiis nonnihil temperas: Lutherus autem non veretur, tantos Viros, quorum eruditionem vitæque integritatem (quam & tu fateris) novit, ac laudat universa Italia, dicere perditos ac deploratos nebulones. Tu latine scribis, ut queant intelligere, quid reprobes, & quid reprehendas, atque quid amplius ab eis desideres; Lutherus autem Teutonice ad rudes Germaniæ plebes, illos nequiter traducit, sicut fecit olim adversus Ezechiam regem improbus Reapsaces. Tu eos in quibusdam laudas, ac probas: Lutherus absque discrimine cuncta refutat, etiamsi tam manifeste bona sunt, quæ illi dicunt, ut a nemine, nisi ab impiis, & insanis, sensuque communi carentibus, reprehendi queant; ipse per calumniam in contrarium retorquet sensum, tanquam ficte, ac dolose, aut per ironiam, mentisque perversitatem dicta sint. Tu hortaris illos ad cæpta perficienda; ille vero dira eis imprecatur pro ejusmodi pacis, & reformationis consilio. Tu Synodum generalem non omnino renuis, aut respuis; ille compluribus libellis, variisque figmentis, & picturis, atque Theutonicis rhytmis omnem Synodum Œcumenicam calumniatur, ac recusat. Tu spem aliquam ad concordiam nobis relinquis, ille jampridem nobis minatur bellum perpetuum, ut nec vivus, nec mortuus, ullam nobis pacem, aut quietem sit permissurus.

Animadversio XIII.

Recitatus a te Raynaldi locus de Vindiciis Consultationis Novemviralis a Cochlæo lucubratis, facit, ut te moneam, ipsas in Indice librorum vetitorum, qui Pauli IV. Summi Pontificis jussu compositus fuit, recenseri ex causa, quam conjectura assequi conatus sum in Animadversione X. ad Epistolam Schelhornii; ibidemque plura a me tradi de censura, quam per eundem Indicem inflictam fuisse ipsi etiam Consultationi, nobis exprobravit Vergerius in Annotationibus acerbissimis Indici illi appositis, & ex Vergerio Schelhornius ipse Amœnit. Liter. T. VII. De ea vero censura nihil Sarpius, nihil Launojus, ni-

nihil hujusce generis Scriptores quotquot in more habent occasiones venari Romanæ Sedis Sanctiones quasvis carpendi. Contra Antonius Possevinus, aliique erga easdem bene, ut Catholicos decet, animati se dolere professi sunt, Consilium illud, quod in Collectione Conciliorum Petri Crabbe Colon. Agrip. an. 1551. comparet, in Suriana (unde id autem acciderit in Diatr. primi Tomi Cap. ult. explicavi) aliisque posterioribus desiderari. Hisce autem utriusque generis Scriptoribus haud innotuisse, imo nec ipsi Pallavicino, rerum hujuscemodi solertissimo scrutatori, Consilium illud statim ac Paulo III. exhibitum fuit, vulgatum Romæ fuisse ann. 1538. & quidem iis ipsis typis, qui Indicem Pauli IV. vulgarunt, scilicet Antonii Bladi Cameralis Impressoris, hoc illud est, quod valde eo loco mirari me dixi, quodque nunc quoque maximopere miror.

KIESLINGIUS.

XIV. *In limine suæ consultationis Pontifici velificantur hujus Conciliabuli patres, illiusque in Ecclesiam merita deprædicant, & Pontifici primatum, & potestatem in totam Ecclesiam largiuntur, his verbis* *: BEATISSIME PATER, tantum abest, ut verbis explicare possimus, quam magnas gratias Respublica Christiana Deo Opt. Max. agere debeat, quod te Pontificem his temporibus ac pastorem suum gregi suo præfecerit, eamque, quam habes, mentem dederit, ut minime speremus cogitatione eas, quas Deo gratias debet, consequi posse. Nam spiritus ille Dei, quo virtus cœlorum firmata est, ut ait Propheta, labantem, imo vero collapsam in præceps Ecclesiam Christi, per te huic ruinæ manum, ut videmus, supponere decrevit, eamque erigere ad pristinam sublimitatem, decorique pristino restituere. Certissimam divinæ hujus sententiæ conjecturam nos facere valemus, quibus Sanctitas tua ad se vocatis mandavit, ut nullius, aut commodi sui, aut cujuspiam alterius habita ratione, tibi significaremus abusus illos, gravissimos videlicet morbos, quibus jam pridem Ecclesia Dei laborat, ac præsertim hæc Romana curia, quibus effectum prope est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis, magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. *Agnoscunt, quorum sæpe mentionem feci, Curiæ Romanæ optimates, vi-*

* Vid. Georg. Wicelli Via regia, sive de Controversis religionis capitibus conciliandis sententia a. Conringio edita p. 160. seq.

vitiligines, *& maculas*, *quibus misere deturpata erat Ecclesia*, *&* Paulli *Pontificis deprædicant consilium*, *quod circa emendationem inierat*. *Indicant deinceps fontes*, *e quibus hæc vitia in Ecclesiam Romanam promanarunt*, *qui sunt Pontificum favor*, *& propensio ad assentatores*, *& sportularios Romanæ curiæ*, *nec non auri sacra fames*, *& spes lucri ex indulgentiis*, *& beneficiis ecclesiasticis captandi*. *Lege sodes hæc verba* *. Et quoniam Sanctitas tua spiritu Dei erudita, qui, ut inquit Augustinus, loquitur in cordibus nullo verborum strepitu, probe noverat, principium horum malorum inde fuisse, quod nonnulli Pontifices Tui prædecessores, prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paullus, coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quod facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id, quod liberet: inde effectum est, (præterquam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures Principum) quod confestim prodirent doctores, qui docerent, Pontificem esse beneficiorum dominum; ac ideo cum dominus jure vendat id quod suum est, necessario sequi, in Pontificem non posse cadere Simoniam, ita quod voluntas Pontificis, qualiscumque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes ac actiones dirigantur: ex quo procul dubio efficiat, ut quicquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte Sanctus Pater, tanquam ex equo Trojano, irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem fere salutis laborasse, vel manasse earum rerum famam ad infideles usque (credat Sanctitas vestra scientibus) qui ob hanc præcipue causam Christianam religionem derident, adeo ut per nos, per nos, inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes. *Rerum antiquissimarum monumenta demonstrant satis evidenter*, *pallia*, *& indulgentias in Romana curia tanto fuisse in pretio*, *ut multi viri*, *alias de Ecclesia meriti*, *tanti pœnitere emere noluerint*. *Recensent porro hi præsides abusus*, *quorum summa ad* duas *redit* classes, *quarum* prima *abusus circa regimen Ecclesiasticum complectitur*. *Juvabit hos abusus breviter indicasse*, *quum*, *ob angustum Epistolæ nostræ spatium*, *illos fusius commemorare*, *nobis non sit integrum*. Primo *in* abusu ** *auctores suasoresque sunt sæpius excitatæ consultationis præsides*, *cavendum esse*, *ne indocti*, *nec non vili genere nati*, *& pessimis innutriti moribus homines ad ordines sacros evehantur*. *In abusibus* secundo, tertio, quarto, *& sequentibus suadent*, *ut beneficia Ecclesiastica doctis*, *& opti-*

* Vid. l. c. p. 161.

** Vid. l. Wicelius l. c. p. 163. seqq.

& optimæ notæ viris, eisdemque inquilinis conferantur; neutiquam autem in exteros transferantur. Urgent in reliquis abusibus ex Ecclesia tollendos esse mores ordinum religiosorum male compositos, dispensationes circa pœnas Ecclesiasticas, & nuptias inter consanguineos, & affines contrahendas, quæstum sacrum, & nimiam clericorum in bona Ecclesiastica potestatem. Quos articulos in hoc, de quo agimus, consessu prolatos, si quis ad emendationem doctrinæ referre vellet, idem ageret, ac si mandata Principum ad statum civilem spectantia huc trahere velit.

ANIMADVERSIO XIV.

Desipiet utique quisquis *mandata Principum ad civilem statum spectantia huc trahere velit*; ac proinde judicio tuo, Kieslingi, par culpa impingenda erit in Novemviros, de quibus sermo, quoniam *inceptis gravibus, & magna professis*, non quidem purpureum, qui late splendeat, assuerint pannum, sed triobolarem, ac nulla proinde æstimatione dignandum. Nil aliud ergo Consultationis illius conditores, te arbitro, ut dixi, promeruerunt, quam Venusini poetæ scutica castigari, his scilicet versibus,

At nunc non erat hic locus, & fortasse cupressum
Scis simulare; quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, ære dato qui pingitur? amphora cœpit
Institui, currente rota cur urceus exit?

Dum ita sentis, dum ita scribis, nil aliud (aut fallor) ipse promereris, quam ut ejusdem poetæ versiculum alium tibi regeram, stomacho, fatebor, aliquantum commoto,

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Non amphoram, non urceum, lucubratione ista tua decurrente, exire conspicio, sed dolium, nam dolio versatilior mihi videris, dum Viros illos desipientiæ ex ignoratione artis, quam factitabant, coarguis; Viros, inquam, quos paulo ante pietatis, doctrinæ, & prudentiæ causa insigniter celebraveras. Quare ansam mihi præbes ex celebri Apologo Avieni fabulatoris verba, unico tantum commutato, usurpandi: *Quid ego audio? Tun' eodem ex ore pariter & calidum, & frigidum efflas? Valebis; neque enim mihi ratio est cum hujusmodi homine* concertationem *habere*. Apologus profecto iste, Kieslingi, multo

to aptius in te congruit, quam in Novemviros illos præstantissimos proverbialis senarius, Τέκτων γὰρ ὢν οὐκ ἔπραττες ξυλουργικά.

KIESLINCIUS.

XV. *Reliquum est, ut Pontificis sententiam hoc in argumento dictatoriam intueamur, atque dispiciamus, quid de hac consultatione statuerit*. Paullus Tertius, *ubi vidit, se maximo in discrimine & periculo versari, novum instituit Patrum purpuratorum concilium, ut libere de his morbis judicent. Tot fere fuerunt sententiæ, quot capita*. Nicolaus Schœnbergius, *teste* Sekendorffio * *variis motus rationibus, consilium de omittenda sacrorum emendatione suggessit, ne Lutheranis jactantiæ occasio præberetur, quod Pontificem ad hoc emendationis suscipiendæ negotium impulissent. Quæ sententia* Paullo Tertio *se valde probavit. Ast re accuratius expensa, denuo aggressus est de emendanda Ecclesia negotium, quod ita tradit* Pallavicinus **. Ac deinde sub eodem Paullo Tertio spe Concilii longius protracta reformandæ disciplinæ cura rursus incaluit anno 1540. designavitque Pontifex in senatu quadruplicem senatorum triadem, qui sancitas emendationis leges in unoquoque tribunalium servandas curarent, videlicet Apostolicæ Cameræ, aliisque peculiaribus Romæ foris, consulerent de Cuppis, Ghinuccius, & Polus; Romanæ Rotæ, Cæsarinus, Montanus, & Guidiccionus; Cancellariæ, Grimanus, Aleander, Ridolfus; Pœnitentiariæ, Contarenus, Caraffa, Cervinus. *Ipse* Henricus Spondanus *** *non inficiatur fuisse reformationem morum in Curia Romana. Non igitur est, quod tantopere gloriatus sit Pontifex in suo decreto* **** *de emendatione in urbe a sede Petrina suscepta. Hæc est illa tot laudum encomiis adornata a* Paullo *suscepta Curiæ Romanæ reformatio. Utrum hæc spectet ad Ecclesiam Christianam, ad doctrinam, & ritus in cultu sacro observandos, remotis arbitris, Palæmon dijudicet, mihi erit Apollo. Parum abest, quin de hoc iterato consessu a* Paullo Tertio, *ob religionis emendationem, convocato, ejusdemque exitu, illud* Edmundi Richeri ***** *de Concilio* Lateranensi V. *repetam*. Hæc illa est eximia, & tantopere a Christianis nationibus ducentis abhinc annis exoptata reformatio, vel ut verius dicamus, abusuum Curiæ Romanæ incrustatio, atque involutio. *Am-*

* Vid. Lib. III. Sect. XXVI. §. LIX. p. 163.
** Vid. l. c. p. 446.
*** Vid. l. c. p. 446.
**** Vid. Sleidan. Lib. X. p. 293.
***** Vid. Histor. Concil. General. lib. IV. p. 26.

Ambabus itaque manibus suffragium adhibeo S. V. Jo. Georg. Walchio *, *qui demonstravit satis, emendationem Ecclesiæ Romanæ in Conciliis Lateranensibus frustra esse tentatam.*

ANIMADVERSIO XV.

Haud opus erat depromere ex Sechendorfio rationes, quibus motus Cardinalis Schombergius omittendam censuit sacrorum emendationem a Novemviris deliberatam, nam easdem sat diserte explicat Pallavicinus, quin ipsi hac in re Paulus Sarpius ullo modo refragetur. Eo ipso loco, quem citas, hæc ille habet: *Il Cardinale Schombergo, Religioso zelantissimo, ed espertissimo de' cervelli Tedeschi, disconsigliò, come il Soave confessa, che mentre il Mondo dava in insania per cupidigia di larghezza, sprezzando i serragli de' Chiostri, e schiantando i legami de' Voti, si disponesse di medicarlo con insusitate strettezze: esser imminente il Concilio, doversi lasciar il giudizio a quell' Assemblea composta, e per conseguenza perita, di tutte le Nazioni, le quali e non s'addosserebbono un peso che non potessero sopportare, & addossandoselo per volontà comune, più di leggieri il sopporterebbono, che sentendolo imposto dall'autorità di pochi. Aggiunge il Soave, che quest'opinione prevalse, benche disputasse in contrario il Cardinal Giampietro Caraffa.* Hæc, inquam, Pallavicinus paulo ante locum a te recitatum, & paulo post ex Epistola Cardinalis Contareni ad Cardinalem Farnesium certiores ipse nos facit colloquii, quod de Ecclesiastica Reformatione habuit cum Ferdinando Romanorum Rege, ejusdem Reformationis magnopere cupido, idem Contarenus, *quel famoso Catone del Collegio, e nulla dissimulatore dell'imperfezioni da se conosciute nel Clero, e nella Corte, come testificano e gli Scritti di lui, e gli altrui Scritti sopra lui.* Hoc elogium Contareno ibidem texit Pallavicinus.

Quod spectat ad Cardinalem Schombergium, valde mirum est, ei tribui ab Jacobo Echardio in Scriptor. Ord. Prædic. Consilium, de quo agitur, quum iste minime sede-

H rit

* Vid. Commentatio de Concilio Lateranensi a Benedicto XIII. celebrato Cap. I. de Emendatione Ecclesiæ frustra tentata p. 1. seq.

rit inter Novemviros sanciendæ Reformationi delectos. At non admirationem tantum, sed risum etiam meretur, quod tradidit Sleidanus, illud ab eodem Schombergio missum fuisse in Germaniam, idque *non nescio Pontifice*, *ut sic ipsius aliquod studium appareret emendationis*, *& ut homines intelligerent aliunde*, *tanquam ipse fuerit daturus graviora*, *siquidem aliquid ejusmodi parasset evulgandum*. Risum, inquam, ipsum, quo paria scribentem Sarpium Pallavicinus excepit, nam ita loquitur, *Ben è degno di riso intorno questo fatto quello che il Soave aggiunge*, *quasi accorgimento allora di alcuni scaltri*: *Che &c.* Intimos Pauli Pontificis in rebus hujuscemodi sensus nemo prorsus erat, qui sagacius iis Novemviris odorari potis esset; quumque isti eosdem quam maxime compertos habuerint, hinc factum est, ut in Consultatione illa sua Ecclesiæ morbos verbis omnino perspicuis patefacere non dubitaverint. Hanc vero libertatem sibi valde acceptam fuisse non alia ratione clarius Pontifex ostendere valuit, quam repensa iisdem sacræ Purpuræ mercede. Itaque ad ferendum de Pauli III. eorumque Consiliariorum mente judicium, frustra, Kieslingi, seu Palæmonem, seu Apollinem advocas contra Horatianum monitum illud,

Nec Deus intersit, *nisi dignus vindice nodus*
Inciderit.

Kieslingius.

XVI. *Videor mihi demonstrasse luculenter*, *nullam medelam Ecclesiæ Romanæ*, *nedum toti Ecclesiæ Christianæ hoc Concilio a Paullo Pontifice instituto esse allatam*. *Dispiciendum nunc est*, *quid extra Romanæ Ecclesiæ pomœria præstiterit* Paullus, *& quid emolumenti ab ipsius reformatione suscepta ad Orbem Christianum redierit*.

Exigua forte pietatis & studii in reformanda Ecclesia fuisset nota, *si intra cancellos*, *limites inquam Italiæ substitisset* Paulli III. *emendatio*. *Illustriora adsunt testimonia*, *ad quæ convocatio Œcumenici Concilii potissimum spectat*. *Quod argumentum*, *meo ex judicio*, *est in re demonstranda* secundum, *quod nunc enixius*, Vir Eminentissime, *persequeris*. *In hoc vero Concilio Œcumenico convocando* duo *sunt observanda*, *quæ fidem*, *& pietatem* Paulli III. *egregie si placet confirmant*, *quorum* primum est,

est, quod legatos ad principes dissidentes, quo in gratiam redirent, ablegavit, alterum, *quod eosdem, ipsorumque legatos & Theologos ad Concilium* Mantuæ *indictum invitavit. Hæc duo argumenta ex* Poli *epistola ita recitas* *. „ Cujus (*Pontificis responsi*) „ summa hæc fuit: Cum plura in dies divina bonitas suæ „ voluntatis indicia, in restauranda afflictæ Ecclesiæ salute præbeat, quæ quotidie magis magisque omnium bonorum animos „ ad majores gratiarum actiones accendere debent, tum vero „ in iis non minimum signum, vel potius maximum se agnosce„ re, quod de abundantia divinæ gratiæ, & effusione ejus in „ te spiritus accepit. De quo etsi magnam causam habet præ„ ter cæteros gratulandi, vel antiquæ amicitiæ, vel propinqui„ tatis, quod in te sanguine sibi conjuncto hanc tantam suam „ misericordiam ostendere est dignatus, tamen multo majorem „ esse lætitiam, quam, ut Pastor Ecclesiæ universalis hac de re „ accipit, in cujus bonum publicum, & commune, hæc in te „ dona Christum Ecclesiæ Sponsum effudisse sibi persuadet, & „ eo magis, quod videt, quantum Respublica Christiana opus „ habet his temporibus tali & Viro, & belli duce, cum con„ tra infideles sit pugnandum. Adeo ut si de quoquam, adju„ vante Dei gratia, magna sperare debet, de te quidem maxi„ ma, cui Deus ea spiritus dona dederit, quæ in tuæ profes„ sionis hominibus jam multis sæculis non sunt visa, & in te „ cum summa omnium admiratione divinæ misericordiæ, & po„ tentiæ tanquam rarissimum spectaculum admirabantur. Quare „ se primum infinitas gratias infinitæ, & inexhaustæ Dei benigni„ tati agere, qui tali tempore de tali duce Ecclesiæ suæ pros„ pexit, quali maxime populus Dei eget, cum contra infideles „ arma sunt sumenda, qui non tam armis carnalibus, quam „ spiritualibus contra eos uti possit, qualem prorsus te esse ju„ dicat, a Deo ipso Ecclesiæ datum, qui docuit manus tuas ad „ prælium, & digitos tuos ad bellum, ut non tam peritia ar„ morum hostes vincere, & delere, quam spiritus potentia, vi„ ctos salvare, & ad Ecclesiæ corpus adjungere, quod Christia„ no duci maxime est sperandum, omnes merito de te sperent; „ hac autem spe præter cæteros se maxime frui cum ingenti gra„ tiarum actione horum tantorum in te donorum authori, qui „ hanc spem de te excitavit. Deinde quod ad consilia, & ex„ hortationes tuas attinet, primum de adhibenda maxima cura, „ ut sana doctrina ante omnia in Ecclesia retineatur, & ut in„ terioribus malis primum succurratur, deinde exterioribus; sic

 „ qui-

* Vid. l. c. p. 65. 68.

„ quidem ejus Sanctitas respondebat: Etsi nulli rei magis studere
„ se, quam ut hæc ipsa, & hoc modo fiant, quod summum Dei
„ beneficium agnoscit, qui ante omnia Concilii universalis indi-
„ cendi voluntatem, & pacis inter principes procurandæ stu-
„ dium, semper post commissam curam universalis Ecclesiæ ma-
„ xime infudit; tamen hanc ipsam exhortationem sic gratam es-
„ se, ut, quasi Deo per te exhortante, quo enixius laboret, in
„ eo, in quo nunquam nimis magnum studium poni potest, ean-
„ dem libentissime, & cum summa gratiarum actione audiat,
„ quam videt, quanto ardore spiritus, & caritate in Deum &
„ Ecclesiam, atque quanta animi sollicitudine scripserit. Qua in
„ re, ut habeas interim quo te spe etiam magna consoleris, hunc
„ optimum nuntium de induciis istorum Principum, præter om-
„ nem spem, cum maxime inter eos bellum ardere, & repen-
„ tino regis Christianissimi in Italiam cum maximis copiis tran-
„ situ, videretur, ut ad te scriberem jussit, atque hoc etiam ad-
„ scriberem de sua sententia: etsi induciæ appellantur, tamen
„ ea sane se de his induciis scire, ut verius pacis, quam indu-
„ ciarum nomen habere possent. Quare jubere te nunc, ut bo-
„ no animo esse pergas, de reliquis conforteris in Christo, &
„ sis robustus; habere te nunc, quod maxime in tuis litteris
„ optabas, pacem Principum, & quietem armis, quam sequutu-
„ ram sperat eam quietem in religione, quam omnes præcipue
„ desiderare debemus, cujus procurationi, quam nunquam in-
„ termisit, se nunc eo enixius operam daturum, quo magis hac
„ porta a Deo aperta per pacem inter Principes, se ad hoc ma-
„ gis invitari agnoscit.

Animadversio XVI.

Quis crederet, callidum adeo inveniri uspiam posse tergiversatorem, qui perlectis hisce Poli ad Camillum Ursinum, quarum magnam partem recitasti, gravissimis literis, in dubium revocare valeat flagrantissimum studium a Paulo Pontifice adhibitum, ut non Ecclesiæ dumtaxat Romanæ, sed humani generis utilitates procuraret? Adsciscendi erant Consiliarii integerrimi, & sapientissimi? Adscivit Contarenum, Polum, & Caraffam, qui ut muneri suo exactius satisfacerent, partiti sunt singuli inter se literarum, quas ab Ursino Polus acceperat, partes singulas. Audiendi erant iidem intento maxime animo? Auditi sunt, nam Polus ita scribit, *Summa autem attentione Sanctissimi Domini Nostri au-*

auditi sumus. Nihil erat decernendum, nisi quod, post singula eorum dicta diligentissime expensa, Reipublicæ bono conduceret? Ita Pontifex se gessit; siquidem habitæ Consultationis narrationem Polus concludens, his verbis Ursinum affatur: *Hæc autem omnia tibi jucunda esse non dubito, quæ non solum te invitant, ut forti animo in Christi causa milites, sed fortiori etiam, si fieri potest, Orationes pro ejus Vicario fundas, ut quam diutissime ad Christi honorem, & Ecclesiæ utilitatem sua consilia dirigentem, nobis incolumem servet*.

At quoniam Pontificem non ex animo in ea Consultatione loquutum fuisse, suspicari te video, Kieslingi, sed a summis tantum ejus labiis prodisse sermones, quorum memoriam hæ Poli literæ nobis servarunt; in medium afferam testem, quem inter amicos vestros, non vero inter assentatores recenseas, cuique propterea aptes ex senariis a Plutarcho relatis in Commentario, quem inscripsit, *Quo pacto quis possit assentatorem ab amico dignoscere*, verba ista,

ὅτε ἂν ἴσως ἐμοὶ
φόβον παρελθὼν τ' ἀπὸ καρδίας ἐρεῖ.

Georgius Wicelius hic est, cujus Scripta Henricus Conringius, plurium libellorum ad Reformationis negotium spectantium editor, inter quos primum locum tenet *Via Regia*, sive de controversis Religionis capitibus conciliandis Wicelii sententia, ex Volfianis Centuriis deprompta, in Præfatione hoc pacto commendat. *Est vero libellorum ea dignitas, eaque eruditio, & pietas, ut omnino debeant a quamplurimis legi, quibus Ecclesiæ, & Reip. salus cordi est. Certe ipsa scribendi* Regiam Viam *occasio traxerit merito quemvis ad legendi cupiditatem, utpote quam dederint duo summi Principes, raro Religionis, & Concordiæ Ecclesiasticæ studio adducti: eo ipso tempore, quo & Georgium Cassandrum de eodem argumento consultare fecerunt. Quis paulo doctior vero non optet de omnibus Ecclesiæ dissensionibus libere disserentem audire Wicelium tanta virum doctrina, fama*? Itaque audias libenter tu quoque, Kieslingi, tanti hominis de Paulo III. testimonium. Dabo illud ex Opusculo, cui titulus, *Georgii*

gii Wicelii Presbyteri Conquestio de calamitoso in præsens rerum Christianarum statu; quod cum laude memorat, & plura ex eo loca decerpit Schelhornius Amœn. Liter. T. VII. ob *Papatus* vitiorum increpationes, quibus scatet, quemadmodum & reliqua ejusdem Auctoris Scripta. Sincerus Pauli Pontificis animus in urgenda Ecclesiæ emendatione, atque Concilii convocatione, quo pacto compertus sibi evaserit, his verbis exponit. *R. D. P. Boschius* (*Vorstius* leg.) *Episcopus Aquensis, Legatus Apostolicus, cum hic esset, ita mihi in privato Colloquio Pontificis animum depinxit, ut non potuerim non polliceri Orbi faustum Sydus, & Ecclesiæ navi exoptatam Cynosuram. Mibi enim interroganti, num qua spes reliqua esset in Concilio prava correctum iri, in hæc verba respondit: „ Affirmo tibi correctionem fore a capite usque „ ad omnia membra. Imo a se ipso incipiet correctionem Pon- „ tifex, invitis etiam Episcopis aliquibus. „ Qua promissione meis auribus nihil potuit dulcius esse. Promissio mille Ducatorum in singulos annos alii grata sit (ut talia sunt philargyris gratissima) mihi hæc, hæc, inquam, promissio Pontificiæ catorthoseos unice fuit tum optata, tum accepta. Porro Pontificem suum ultro sequentur Cardinales presbyteri, quos hodie Italia habet in omni eruditionis genere excellentissimos. Nec me ullus e Roma rumor perinde adficit, quam quoties audio Cardinales presbyteros illic vivere, ut qui cum antiquis Ecclesiæ doctoribus certare possint.* Hæc Wicelius ex testimonio Episcopi Aquensis, refertque deinde aliud Cardinalis Simonetæ testimonium hoc modo: *Ego sane Paulum exeuso, ut qui ex animo toto concupierit Concilii effectum, tantum abest, ut refugerit. Id quod si aliunde non sat scirem, poterat me de pectore probi viri certiorem reddere R. Cardinalis Jacobus Symoneta, qui proximo Julio mense ad D. Fridericum Nauseam, fratrem meum dilectissimum hæc verba scripsit: Deus malefaciat Concilii interturbatoribus. Nam Pontifex eo fuit semper, mihi crede, & eo est animo, ut nihil magis cogitet quam Concilium. Ait, se Cardinalem semper suasisse, uti hujus rationis pharmaco Christiana Respublica revocaretur ad sobrietatem, compelleretur redire ad cor, resur-*

sur-

surgeret ad justitiam, & probitatem. Cum vero nunc Summam ipse teneat, asserit se omnia posthabiturum Concilio, quod impediri Principum discordiis, inimicitiis, odiis, injuriis, valde dolet, ac lamentatur. Huc adeste Pauli III. laudum obtrectatores, vosque pudeat ejusdem gesta falsis illis opprobriis mordere, quibus refellendis copia innumerabilis undique occurrit testium integerrimorum, cujusmodi certe reputavit Wicelius Cardinales omnes, quos noverat Romæ florere *in omni eruditionis genere excellentissimos, adeo ut cum antiquis Ecclesiæ Doctoribus certare possent.*

KIESLINGIUS.

XVII. Primum *igitur, quod in restituenda Ecclesiæ Christianæ pace, suarum partium esse æstimavit* Paullus III. *emendationis, ex Tua*, VIR EMINENTISSIME, *sententia, cupidissimus, est consilium de emittendis ad Christianos Principes, eosque vel ob religionem, vel privata studia diffidentes, legatis. Qua provincia* Petrus Paullus Vergerius *in Germania est defunctus, de quo ita scribit* Pallavicinus *: Pontifex itaque, quo penitius Germaniæ statum exploraret, Romam accivit Petrum Paullum Vergerium Justinopolitanum, qui apud Regem Romanorum Clementis nomine Nuntium agebat. Ab eo cognovit, unicum exasperatis Germanorum animis mitigandis lenimen fore, si Pontifex promtum omnino proclivemque animum patefaceret ad Concilium celebrandum, absque ulla cujusvis obstaculi mentione; illudque reipsa, quocumque tandem modo convocaret. Illi siquidem nationi, discordiis intestinis defatigatæ, nullam quietis aliunde spem affulgere: adeoque hostis loco eum ducere, qui Concilii convocationem revocaret in dubium, servatoris, qui eam polliceretur. Prætereaque sibi persuadebat, per errorem vulgo frequentissimum, a sola Pontificis voluntate, Synodi congregationem re ipsa pendere. Eam igitur agendi rationem secutus Paullus, Vergerium ipsum in Germaniam legavit, tanquam ingeniorum, quibuscum agendum erat, expertum, & auctorem Concilii a se promovendi. Tradidit eidem Diplomata ad cunctos Principes seu Catholicos seu Protestantes, charitatis, quam dignitatis studiosior. Injunxit, ut unice locum cogendo Concilio statuendum curaret; quæ conditio minime poterat in incerto relinqui: de reliquis vero conditionibus taceret, quo obices omnes amolirentur: re postea incœpta, cetera facilius componi posse. Vergerius *hanc in se suscepit provinciam.* Ve-

* Vid. I. Histor. Lib. III. Cap. XVIII. p. 108.

Venit Witebergam, *& cum Luthero & Bugcenbagio seu* Pomerano *colloquium instituit, cujus summa fusius commemoratur a* Luthero *, Vito Ludovico Sekendorffio ** *&* Sarpio. *** *Nervus hujus colloquii, ut paucis eum referam, ad Concilium, quod meditabatur* Paullus Tertius, *redit*. Lutherus *ingenue professus est, Pontificem Concilium serio non promittere, & si vel maxime haberetur, nonnisi de rebus inutilibus, & futilibus actum iri; promisit tamen, se certissime esse venturum sive* Mantuæ, Patavii, Florentiæ, *aut* Bononiæ *institueretur. Interferuit* Vergerius *jocose: Papam* Wittebergam *esse venturum. Reposuit Lutherus*: Agedum, veniat, fiet id nobis lubentibus. *Sed vultis ne, dixit Nuntius, ut cum exercitu veniat, an inermis?* Ut lubet, *dixit Lutherus* utrumque expectabimus, *Abiturus tandem Nuntius ad* Lutherum *dixit*: Vide, ut sis instructus ad Concilium. *Respondit Lutherus*: Veniam, domine, cum isto collo meo. *Iter instituit* Vergerius *ad* Joannem Fridericum *electorem Pragæ tunc temporis commorantem, literas* Paulli Tertii *tradidit, & consilium Pontificis de celebrando Concilio* Mantuano *Electori exposuit. Institit beatissimæ memoriæ Elector decretis imperii, ex quibus intra Germaniam Concilium esset instituendum. Ceteroquin, teste* Sechendorffio ****, *protensa manu pollicitus est, se paratissimum esse ad Concilii liberi, universalis, & Christiani coronam, in qua secundum verbum Dei ageretur*.

Animadversio XVII.

In ea, quam mecum suscepisti, disputatione partes tuas omnino futuras putabam, Kieslingi, assidue ante oculos habere veterem illam parœmiam, ἡ πορφύρα παρὰ τὴν πορφύραν διακριτέα. Contra vero adeo hujus immemorem te identidem præbes, ut, purpura mea a te ipso in medium allata, fide scilicet testimoniorum, quibus narrationes meæ innituntur, statim ad alia quævis pertranseas nihil prorsus sollicitus de purpura tua admovenda, ex cujus, meæque collatione certum judicium de causa, in qua versamur, æquus, prudensque Lector pronunciaret. Itaque adversus Poli literas, quas paulo ante recitasti, disertissime utique comprobantes optimam Pau-

* Vid. Opp. Tom. VI. Altenburg. fol. 492.
** Vid. Comment. de Lutheranismo Lib. III. Sect. XI. §. XXXIV. p. 95. seq.
*** Vid. l. Histor. Lib. I. p. 125. seq.
**** Vid. l. c. §. XXXIV. p. 97.

Pauli Pontificis in Christianæ Reipublicæ negotiis administrandis voluntatem, ne verbum quidem opponens, ad memorandam Vergerii Legationem dilaberis. Cui igitur bono commendationes illæ, quibus exornasti monumenta e tenebris meò studio in lucem vindicata? nam præstabat, ut in iisdem æternum latitarent, siquidem vocem suam exerentia, littori, vento, lapidi se se loqui dumtaxat intelligant. Pari seu incuria, seu oblivione in more habes Pallavicini narrationes excipere vel in iis locis, in quibus ipsius dicta a te expendi necessum omnino foret. Ejusdem verba usurpas in superiore articulo ad exponendam Legati provinciam, qua Vergerius in Germania est defunctus; hujus autem habitum ea occasione colloquium cum Luthero commemorans, testes laudas Lutherum, Vitum Ludovicum Sechendorffium, & Sarpium, quum verba, ut dixi, Pallavicini prius a te recitata prorsus exigerent, ne alia, quæ ab eodem ad Colloquium illud describendum subduntur, intacta relinqueres, eoque magis quod ipsa certiorem facti notitiam suppeditassent. Sinas igitur, ut oculis tuis ipse subjiciam eorundem saltem conclusionem, quæ post allata literarum Vergerii ad secretarium Pontificium fragmenta ita se habet: *Tale fu la sostanza di quel parlamento; nè si può dubitare, non forse il Nunzio nel darne conto al Pontefice variasse del tutto la verità, come harebbe fatto se il racconto del Soave fosse veridico, perciochè vuol il Soave, che 'l Vergerio usasse quelle offerte, e quelle lusinghe per volontà dello stesso Pontefice: onde non harebbe di poi ascosto al suo Prencipe ciò che secondo le ricevute commissioni avesse operato, senza che quel ragionamento avvenuto mentre il Nunzio mangiava in presenza di molti, non potea rimaner occulto al Pontefice per varie parti.* Adeo abfuit Nuncius ab blanditiis, encomiis, pollicitationibus, quibus usum eundem fuisse Sarpius affirmat, ut contra de Luthero in illis literis scribat, *lo udiva con gran tormento, nè volli mai rispondere se non due parolette, per non parer un tronco.* Sarpii narrationi more suo calculum adjiciens Curayerus, *Il est visible* (ait) *que Verger dissimule tout ce qu'il y eut de plus essentiel dans cette entrevue, & que sa lettre est un pièce*

 bien

bien insuffisant pour convaincre de faux la narration de Fra Paolo, qui ne fait dire a Luther que ce qu'il avoit dit, & ecrit plusieurs fois. At postrema hæc Curayeri verba vel ipsa satis ostendunt quam pronum esse potuerit Sarpii ingenio narrationem, quam nobis obtrusit, ex ipsis Lutheri Scriptis, suo Marte, fabricari; rationes vero, quibus motus Pallavicinus eandem redarguit, certas, firmasque esse qui negent, stupidum & bardum Vergerium fuisse affirment, oportet, quippe qui non intellexerit, quam facili negotio, veritas simulationibus a se tecta Pontifici innotescere potuisset.

KIESLINGIUS.

XVIII. *Explorabimus nunc, quid de hac legatione* Vergerii, *aliorumque legatorum, e quibus* Aleander *eminet, statuendum sit. Haud inficior, hoc* Paulli, *de quo ago, institutum, magnam veritatis, & probitatis, candorisque speciem præ se ferre. Sed non una inducor ratione quominus huic colori credam. Primo* Paullum *Pontificem male habebat favor* Caroli V. *Imperatoris erga Protestantes, ipsique nata erat suspicio in Comitiis* Augustanis, Francofurtanis, Norimbergensibus, Ratisbonensibus, & Spirensibus, *Imperatorem rebus Protestantium oppido favere. Etenim Imperator in recessu comitiali Spirensi mitius de Protestantibus scripserat, & illorum confessionem non hæresin, sed schisma appellarat, & curam insuper conciliandi dissentientes in se susceperat, nulla in hoc negotio facta Pontificis mentione. Accedit, locum ad Concilium universale & liberum celebrandum constituisse intra Germaniam, uti* Sekendorffius * *tradit. Hæc tria momenta* Paullo *Pontifici videbantur ita esse comparata, ut illa ægre concoqui possent. Versabatur præterea ea in persuasione, Imperatorem ideo velificari Protestantibus, ut illorum auxiliis frueretur in bello contra Galliæ Regem* Franciscum I. *gerendo. Quid mirum, Pontificem, recognita, quantum hoc modo sua periclitaretur auctoritas, extemplo prolixam, quam refert* Henricus Spondanus **, *ad Imperatorem scripsisse epistolam, illumque adhortatum esse, ut ab hoc consilio desisteret, neque falcem in alienam mitteret messem? En verba Epistolæ:* Iis autem benigne Pontifex Imperatorem monuit, decreta Spirensia tam ad ipsius animæ periculum, quam ad maximam Ecclesiæ perturbationem tendere. Minime esse ab Ecclesiæ ordine & institutis discedendum; quibus præcipitur, ut quoties de

* Vid. l. c. Lib. III. Sect. XXVIII. §. CXIII. p. 476.

* Vid. Annal. Baron. Contin. Tom. II. ad ann. 1544. p. 482.

de his, quæ ad religionem pertinent, disceptatur, ad Sedem Apostolicam omne judicium semper referatur, nihilque illa inconsulta statuatur. Ipsum tamen Imperatorem ita rem Spiræ egisse, ut nulla habita ratione, aut mentione Pontificis, cui divina & humana jura supremam cum cogendi Concilia, tum statuendi de his, quæ ad Ecclesiæ unitatem, utilitatemque spectant, auctoritatem dederunt, de Concilio generali, vel nationali, seu etiam de futuro Conventu Imperiali, in quo de religione tractaretur, statuerit; idiotis & hæreticis judicium de illa permiserit, de bonis sacris pronunciarit, damnatos ab Ecclesia pristinis honoribus restituerit, non assentientibus iis, qui veterem & religiosam observantiam præstarent.

ANIMADVERSIO XVIII.

Magnam igitur veritatis, & probitatis, candorisque speciem, quam Pauli Pontificis institutum præferebat, omnino non probas, Kieslingi, unde *non una* (ais ipse) *inducor ratione, quominus huic colori credam*; affersque deinde in medium gesta quædam Caroli Imperatoris, quæ a Pontifice ægre, ut subdis, concoqui possent. At fatebor, me nulla ratione concoquere posse, te ad diffidendum de Pauli III. præclarissimo studio iis momentis adduci, quæ apta nata sunt illud quam maxime commendare. Jam accepisti paulo ante ex Wicelio, eum Pontificem nihil magis cogitasse quam Concilium. Suspicio igitur, *Imperatorem rebus Protestantium oppido favere* firmandæ, roborandæque ei cogitationi unice inservisse dicenda foret. Tua ista Pauli sanctissima consilia interturbandi ratio in mentem mihi revocat Lucretii illud,

Nam quocumque modo perturbes cœrula quæ sunt,
Nunquam in marmoreum possunt transire colorem.

Pauli III. in curanda Concilii Œcumenici convocatione sollicitudo eundem semper servavit colorem, isque ut magis magisque intelligas cujusmodi fuerit, hæc insuper accipe ex eodem Wicelio: *Tanta est in hoc Sanctissimi Domini Nostri perseverantia, firmitas, constantia, ut libere audeam ego eos, qui impedimento sunt, gravi scelere obstrictos esse judicare, quandoquidem vastitatem inferunt Ecclesiæ &c.* Et paulo post, *Omnino tandem futurum est Concilium, idque forsan vocante Cæsare, quandoquidem ad Pontificis Bullas surda est Germa-*

nia . Operam perdit quicumque , ut ei Pontifici detrahat, colorem ex ejus gestis undique enitescentem fuscare contendat.

Hortatoriæ Pauli III. ad Carolum Imperatorem Epistolæ, de re in Comitiali Spirensi Recessu peracta, brevem tantum summam ex Spondani Annalibus recitasti. Obvia tamen ejus Scripti verba, seu integer, ut vocant, textus, se se tibi exhibuissent in Pallavicini Historia, ibique deprehendisses quæ iste illius Scripti recitationi in hunc modum præmisit: *Si lesse* (loquitur de Consistorio die 30. Julii an. 1544. coacto) *l'Esemplare d'un Breve che fu segnato poi ed inviato dal Papa sotto i ventiquattro d'Agosto*, *del quale piacemi di trascriver quì pienamente la contenenza*, *come quella che riesce d'egual gloria al zelo di Paolo sì coraggioso nella decrepità degl'anni contra un Imperador sì grande*, *e massimamente sì poderoso in Italia*, *e però più terribile a lui*, *e molto più alla famiglia Farnese*, *la cui maggior grandezza era finalmente la propinquità di quell'eccelso Monarca*: *E non meno alla pietà generosa di Carlo che ricevette con riverenza*, *ed osservò con ubbidienza quell'acerba ammonizione del Vicario di Cristo*. In Annalibus vero Raynaldi occurrisset tibi Pontificiæ ejusdem Epistolæ exemplum aliud, illud ipsum scilicet, de quo idem Pallavicinus his verbis: *Anzi ritrovo formato un altro esempio di lettera più minaccevole e più cruciosa*, *la qual poi con saggio avviso fu temperata*. Utrumque vero illud exemplum Sekendorfii Commentarius oculis tuis suppeditasset una cum aculeatis annotationibus, quas ille adjungendas putavit, Lectores admonendi causa, *ut fucum caveant*, *neque se verborum ampullis decipi sinant*. In iisdem alicubi recurrit ad Lutheri libellum, in quo rabide, & furiose Epistola illa exagitatur, non autem ad Calvini Scriptum, quod a Pallavicino memoratur, imo fatetur, se non vidisse quæ Calvinus scripserit. Est mihi in manibus libellus, anno 1545. sine loci nomine excusus, & præterea Collectio quædam studio Reuterii anno 1620. Offembachii impressa, in quibus recitantur primo literæ Pauli III. deinde Scholia in easdem. Horum autem auctorem esse Calvinum inde certo constat, quod ibidem primum jaculum in easdem contorqueatur ex in-

indulgentia ejus Pontificis in filios a se vere progenitos, eaque ipsa est, quam vocat Pallavicinus *la prima dell'obiezioni fatteli da Calvino*. De Scholiis autem illis id ipsum vere dici posset, quod de Lutheri in idem argumentum libello dictum reperio a Raynaldo, videlicet, nec a Sectariis quidem honeste legi posse; idque nemo certe diffitebitur, cujus pectus, *mentemque domet respectus honesti*. Tandem temonebo, Spondani fidem, qua unice nixus Epistolam illam Pontificiam descripsisti, offendiculo tibi fuisse, ut in eam ipsam hallucinationem labereris, ob quam Sarpium redarguit Pallavicinus hisce verbis: *Egli narra* (loquitur de Sarpio) *il Pontefice querelarsi che Cesare volesse ammettere idioti a giudicar punti di Religione, il che ne Cesare mai pensò, ne fu immaginato dal Papa. La querela fu, come si è posto di sopra, ch'Egli a ciò ammettesse non idioti, ma laici*. Pallavicini reprehensionem istam aperte probavit & ipse Curayerus: *Mais Fra Paolo* (ita ille adnotat) *a moins suivi le texte, que l'extrait de Sleidan. C'est une veritable negligence de se contenter d'un Extrait, quand on peut avoir recours a l'Original*. In Collectione Reuteriana paulo ante memorata Sadoleti stylum redolere Epistolam Pontificiam Præfatio huic apposita testatur.

KIESLINGIUS.

XIX. *Eam* Paulli Tertii *indignationem non reticet* Natalis Alexander * *hunc in modum edisserens*: Edictum Spirense religioni periculosum, sedis Apostolicæ dignitati indecorum a Cæsare Anno MDXLIV. promulgatum improbavit; Cæsaremque gravissimis litteris arguit, quas apud Cardinalem Pallavicinum Lib. V. Historiæ Concilii Tridentini Cap. VI. legere est. Libellum pariter improbavit ab eodem Imperatore in Comitiis Augustanis Anno MDXLVIII. promulgatum, quem Interim nuncuparunt, quod in eo præscriberetur quicquid interim usque ad futuri Concilii decreta credendum sit. *Jam in Comitiis* Ratisbonensibus *ad annum* MDXLI. *habitis satis mitem senserant Protestantes Imperatorem. Mitiorem deinceps effecerat Imperatorem periculosa rerum suarum conditio, adeo quidem, ut in Comitiis Spirensibus annis* MDXLII. & MDXLIV. *celebratis, decretum securitatis, & religionis juxta Augustana* Con-

* Vid. Histor. Ecclesiastic. Tom. VIII. ad Secul. XVI. p. 41.

Confessionis normam publice traditam ad quinque annos sua auctoritate confirmaret. Verum est, hæc decreta non omni ex parte satisfecisse Protestantibus, quia multa erant intersita, ipsorum auctoritati & religioni valde perniciosa; attamen ipsis de securitate publica ad quinquennium, nec non de Concilio libero instituendo prospexerat Imperator, quod mordebat Paullum Tertium. *Perspiciebat ex tam benevolis & proficuis decretis vel metu & angustiis rerum, vel favore enatis Imperatorem erga Protestantes eo esse animo, ut his Hæreticis indulgeret, & publicam eisdem concederet pacem. Divino certe beneficio, & providentiæ acceptum tulerunt Protestantes, quod Carolus V. mitius cum ipsis ageret, & sanguinolenta, quantum fieri potuit, respueret consilia, ipsi a* Paullo Tertio, *ipsiusque satellitio suggesta. Quin & hic augustissimus Imperator, ut pacem inter Romanenses & Protestantes componeret publicam, anno* MDXLVIII. *de libello, cui titulus est* Interim *, *componendo cogitavit, eo potissimum consilio, ut ipse malis domesticis, & motibus intestinis mederetur. Displicuit hic liber æque Protestantibus ac Romanensibus, quia quadrata rotundis in illo erant aptata, & ima supremis mixta, testis tamen est, gloriosissimum* Carolum V. *potius tolerare, quam extinguere voluisse religionem, quam appellamus, Lutheranam. Quæ si nunc altiori mentis indagine pensites, deprehendes* Carolum V. *Imperatorem, pacis & unionis inter dissentientes in religione restituendæ fuisse studiosissimum. Gratis appetebat* Paullus Tertius *auctoritatem in controversiis de religione ortis dictatoriam, & Imperatorem hoc jure Concilium convocandi, & lites componendi temere defraudabat. O si memor fuisset hic beatissimus Pontifex Concilii Œcumenici Niceæ sub* Constantino M. *celebrati! Porro causam religionis, jus, rem controversam decidendi, tanquam præses & judex sibi vindicabat, cum tamen in hoc negotio non judicis supremi, sed accusatoris, seu quod Romanenses falso statuunt, partis læsæ, ob separationem factam, tantum sustinere posset officium. En miram & præposteram judici constituendi formam, si duo de aliqua re litigant, & alter litem decidendi sibi sumit potestatem. Res controversæ inter Protestantes & Romanenses enatæ, libero, & universali Concilio erant committendæ, præside Imperatore, ab utraque parte proferendæ, juxta normam Scripturæ sub incudem vocandæ, & ex hoc Spiritus sancti & veritatis judicio auctorativo & directivo decidendæ. At enim vero, quam sententiam de judice partium studio addicto, doctrinis suis indulgente, & veritates ex Patribus, Conciliorum, & Pontificum decretis statuminante, ex-*

* Vid. Adami Recheubergii Differtat. Historic. de Interim Augustano. Lipsiæ. 1683.

expectaveris? Periculosa sane est hujus Concilii sententia, quod prolixe exposuit Basnagius *.

ANIMADVERSIO XIX.

Devolveris modo ad divinum erga vos beneficium celebrandum, propterea quod Carolus V. mitius cum Protestantibus agere instituerit. Fatebor vicissim & ipse, Deo omnipotenti maximas, meritasque gratias agendas esse, *qui populo suo tam necessario tempore talem Pontificem* (de Paulo III. intelligit Sadoletus) *præficere est dignatus*; quique eidem, ut primo Pontificatum iniit, in mentem injecit, eos sibi adsciscere consiliarios, seu Cardinales, de quibus vel ipse maledicentiæ princeps prædicare valuerit, quod superius retuli, *Non potevano nascere in tempo più opportuno, nè a i giorni di miglior Papa*. Tanto duce, tantis auspiciis nil profecto desperandum videbatur, siquidem statuissetis vestram prudentiam, vestra consilia ad Catholicæ Ecclesiæ bonum conferre. Hoc illud est, quod a vobis ista præstolabatur; vos ad hoc ipsum invitabat Isidori Clarii voce, *O vos beatos* (ait ipse in Adhortatione superius laudata, conscriptaque, dum Romæ summo studio de sanandis Ecclesiæ morbis consuleretur) *O vos beatos, & posteritati omni commemorandos, si vestra prudentia, vestro consilio id factum esset, quod nunc longe sapientiore modo, ac tranquilliore, favente Deo opt. max. quod certe speramus, & volumus, instituimus faciendum. Nunquam enim defuit, aut defutura est se quærentibus divina liberalitas, quæ jam ingentem dedit sui motus significationem; neque enim persuaderi mihi unquam poterit, frustra, & temere excitari, & acciri tam egregios animos, quibus princeps cura sit pietas, & in dies præterea optimum quemque urgere, ut Christi Ecclesia in sua specie, & decore, nostro tandem sæculo conspiciatur. Hunc ego tunc profecto, & universus terræ orbis mecum, vere Romanam Sedem, hunc jure maximum, ac beatissimum Pontificem appellabit,* cu-

* Vid. Histoire de la Religion des Eglises Reformées, pour servir de reponse a l'Histoire des Variations des Eglises Protestantes par M. Bossuet Tome V. Chap. VIII. p. 92. seq.

cujus opera, *labore*, *industria*, *sudoribus*, *Christianus orbis se viderit restitutum*. *Quinam illa merita æquare tituli poterunt? Exiguum pene erit*, *quod nunc pro magno dicitur*, *princeps Episcoporum*, *hæres Apostolorum*, *universi*, *quacumque tellus patet*, *gregis*, *neque ovium solum*, *verum etiam pastorum Pastor*, *quique suo jure in eos*, *qui super alios potestatem acceperunt*, *imperium exerceat*. Neque vero ex illustribus hisce titulis, quibus exornari, Kieslingi, intelligis Romanum Pontificem a Clario, bilem tuam commoveri in Scriptorem istum, fas est, postquam pares, imo splendidiores tibi superius repræsentavi a Flaminio erga Paulum III. adhibitos; ab homine, inquam, *qui in Italia* (ita de eo loquitur Schelhornius) *micabat tanquam splendidum luminare*, *plenusque divinæ lucis radiis ita sensit*, *ita vixit*, *ut non dubitemus Virum optimum purioris religionis*, *veræque pietatis studiosis adscribere*.

Kieslingius.

XX. *At non huic argumento*, *de animo* Paulli *Pontificis rebus Protestantium*, *& reformationi parum amico inhæreo*, *sed ad* secundum *progredior*, *quod mihi suggerit provida* Paulli *Pontificis cura*, *qua* Carolum *Imperatorem a nimio in Protestantes studio in suas partes trahere allaboravit*, *argumentum*. *Obtulit pecunias & copias*, *quibus* Carolus V. *ad sedandas discordias uteretur*. *Pontifex e* Vergerio, *qui e sua legatione redux factus erat*, *satis intellexit*, *res Protestantium tanta cepisse incrementa*, *ut* Georgius, *Dux Saxoniæ*, *teste* Sleidano *, Vergerio *palam dixerit*, *maximum esse periculum a Lutheranis*, *quod non alia sane ratione depelli posset aut evitari*, *quam si bellum Cæsar illis*, *atque Pontifex quam primum faciant*. *Certior itaque per* Vergerium *de conditione rerum factus Pontifex*, *commodam arripuit occasionem*, *Imperatorem iter tunc temporis in Italiam instituentem*, *salutandi*, *& eidem suam mentem de hoc negotio manifestandi*. *Disceptabatur illo temporis tractu inter Imperatorem*, *& Galliæ Regem de Ducatu Mediolanensi*. *Imperator testibus* Sleidano **, Sfortia Pallavicino ***, Sexendorffio ****, *Romam venit e Regno Neapo-*

* Vid. l. cit. Lib. X. p. 286.
** Vid. lib. X. p. 285.
*** Vid. Histor. Cit. Lib. III. Cap. XIX. p. 111.
**** Vid. Lib. III. Sect. XIV. p. 126.

politano, *&* *in amplissimo Patrum purpuratorum conventu*, *non solum gravem contra Galliæ Regem habuit orationem*, *sed & Concilium indicendum esse ardentissime ursit*. Maimburgius, Pallavicinus, *aliique* Paulli *defensores omnem movent lapidem*, *ut hunc* Caroli V. *Imperatoris*, *&* *Pontificis* Paulli Tertii *conventum ad salutem convertant*; *sed res in vado est*, *Paullum Pontificem parum de reformatione*, *&* *pace in Germania restituenda fuisse sollicitum*: *Haud difficile est demonstratu Pontificem in hoc consessu* primo *variis persuasionum lenociniis* Carolum *Imperatorem sollicitasse*, *ut depositis*, *quæ Galliæ Regi inferre meditabatur*, *armis*, *Protestantes potius aggrederetur*. *Nemo hæc a* Sarpio *conficta esse dicet*, *qui* Pallavicini * *refutationem leget hunc in modum conceptam*: Narrat denique Suavis, Paullum Cæsari bellum Germanicum suasisse, non tam ad Lutheranos opprimendos, quam ad eum avertendum ab occupanda Insubria, quippe cupidum, ut ea ad Principem Italicum deveniret: adeoque arbitrabatur, se Cæsari suadere posse, ipsum Pontificem, & una Venetos, qua officiorum, qua armorum viribus satis futuros ad eam Provinciam contra Gallos tuendam. At primo quidem, nimis hebes ac imprudens fuisset Paullus, si vel ex humani commodi mensione ardentius præoptavisset eam ditionem Italico subjectam domino, quam hæresim funditus eversam. De nullo sane Pontifice ea suspicio unquam incidet: & Paullus quidem ipse, qui contra hæresim validissimas copias Cæsari suppeditavit, pro rebus Insubriæ ne unum quidem militem, unum teruntium subministravit. *Incidit profecto bonus* Pallavicinus, *egregius Romanæ Ecclesiæ satelles*, *&* *defensor*, *in Scyllam*, *ut Charybdin evitaret*. *Unius rei plures possunt esse causæ & fines*. *Quid si igitur Tibi*, VIR EMINENTISSIME, *largirer*, *Pontificem spem de acquirendo ducatu Mediolanensi neutiquam fovisse*, *præsertim quia Rex Galliæ id nunquam permisisset*, *sed sibi ipsi hanc provinciam satis opimam vindicasset*; *credisne hoc modo ablui*, *avertique posse maculam*, *quam sibi consiliis Imperatori de bello adversus Protestantes suscipiendo datis*, *adussit Paullus*? *Eja satis bene*! *Pontifex ad bellum in Italia gerendum*, *quod æque justum ac necessarium erat*, *noluit ne unum quidem militem*, *&* *ne unum quidem teruncium Imperatori subministrare voluit*, *sed ad bellum contra Protestantes gerendum libere multa millia equestrium & pedestrium*, *&* *ingentem opum vim*, *teste* Sarpio **, *dedit*. *Præter enim quam quod deinceps bona Ecclesiæ Imperatori obtulit Pontifex*, *misit etiam*, *teste* Sleidano ***, *copias auxiliares*, *peditum decem millia*, *&* *equi-*

K

* Vid. c. l. §. 6. p. 112. ** Vid. l. c. Lib. II. p. 196.
*** Vid. Lib. XVII. p. 534.

equites levis armaturæ quingentos, eisdemque præfecit suum, quem in deliciis habuit, Octavium Farnesium. *Addidit etiam* Alexandrum Farnesium. *Par nobile Fratrum! Vides igitur,* Paullum *Tertium ad occupandum Ducatum Mediolanensem non unum militem, sed ad exstirpandos Protestantes multa millia militum protensa manu obtulisse. Bona, si Diis placet, Pontificis* Paulli *Tertii ad reformationem & unionem consilia! Ex hoc argumento addiscere possumus, quid sperare potuerint Protestantes ab hoc Imperatoris, & Pontificis conventu, solatii, & emolumenti.*

ANIMADVERSIO XX.

Largiris itaque mihi, Kieslingi, hoc loco, Pontificem minime spem de acquirendo Ducatu Mediolanensi fovisse, & grave piaculum admissum ab eodem arbitraris, quod Carolum Imperatorem solicitarit ad Protestantes armis aggrediendos. Frænandam, arbitror ego, omnino fuisse, quoquo modo posset, Novatorum immensam licentiam, qua susdeque humana, divinaque omnia miscebantur. Eam scilicet, quam amarissime deflens Cardinalis Sadoletus in Orat. ad Princ. Germ: *Contigit* (inquit) *proximis his, & superioribus annis, ut ea de vobis, Germani, videremus, quæ videre sane rati nunquam essemus. Pacati antea, & concordes inter vos vivebatis; nunc nulla usquam atrocior est in vobis dissensio. Deum, & Divos omnes summa cum pietate colebatis, nunc pietate extincta studia veræ religionis apud magnam partem vestrorum obsoleverunt. In eis legibus continebamini, quæ ad sobrietatem, & abstinentiam a majoribus nostris sanctis illis Viris, & antiquis Patribus latæ, omnium deinceps sæculorum observantia acceptæ fuerant, & comprobatæ; nunc prostratis legibus, rerum discrimine sublato, remissis continentiæ frænis, omnia vobis libera, & soluta voluistis.* Aliis etiam ejusdem Orationis locis eorundem flagitiorum atrocitatem Novatoribus improperat Sadoletus; deploratque, odio acerbo, ac inexaturabili contra nos ab ipsis suscepto, laxatisque iracundiæ suæ frænis, eosdem conatos fuisse, omnes & divinas, & humanas leges, omnes veteres mores, omnes superiorum, atque inferiorum Ordinum distinctiones, curationes, gradus miscere, atque confundere. Dolet præter-

terea quammaxime eosdem in ea perversitate perseverare, ac, perinde ipsi satis puri, ac mundi forent ab omnium criminum maculis, totum tamen una vituperatione Sacerdotium, caputque Sacerdotii Romanam Ecclesiam proscindere, & lacerare non vereantur, *Et tamen in hac Urbe* (de Romana loquitur) *his quoque urbanis vitiis, præsertim avaritiæ, in qua maxime populus offenditur, reprimendis, ac moderandis, & ad veterem morem, castum illum, ac modestum redigendis, accersiti sunt ab hoc sapientissimo, & optimo Pontifice ex variis terræ locis delecti Viri, iidemque in summo honoris gradu positi ab eodem, & collocati, quo majore prædlti auctoritate curam hisce rebus, & diligentiam adhibeant*. Adversus hujusmodi Novatores, truces, iracundos, impetu magis ad omnia quam ratione delatos, jactantes adesse sibi in hoc extremo tempore Spiritum sanctum, qui tanto seculorum numero non affuerit tot Patribus sedatis, gravibus, rerum divinarum scientia, & sanctitate vitæ præclaris, adversus, inquam, homines istos annon par & æquum erat arma comparari, siquidem non alia ratione frænum injici eorum audaciæ valuisset? Innumeris Romanos Pontifices onerabant conviciis, horrenda in ipsos probra jaciebant, vocabantque Antichristos, qui Christi ipsius certissimi Vicarii sunt, Apostolicam ipsam Sedem verbis turpissimis proscindebant. Toleranda igitur erat tanta pravitas? Absit. *Norunt enim* (ut Sadoleti verba rursus usurpem) *aut certe facile nosse possunt, constitutis jam rebus; & publica firmata re, sive ea humana sit, sive divina, qui miscere, & novare res studuerunt, eos semper turbatores pacis, & concordiæ fuisse habitos. Quod si in hominum rebus publicis jure ita fertur, & judicatur, quanto plus Catholica in Ecclesia, quæ non humanis consiliis, sed divina providentia jam inde a principio constituta est, eademque tam multis seculis corpus suum sincerum, solidumque retinuit, corrupta membra rejecit, optimo jure dicendum, & sentiendum est*. Tam projectam petulantiam armis etiam, lenioribus remediis nihil proficientibus, retundi, curandum utique erat, præsertim vero a Romano Pontifice. Hisce partibus quod satisfecerit Paulus III. non solum vacasse

 a cul-

a culpa, ſed optime de Republica promeritus fuiſſe cenſendus eſt. Hic nihil ſibi, teſte eodem Sadoleto, magis habebat propoſitum, quam ut Pontificatum gereret eo maxime modo, quo uno is geri cum æquitate, & juſtitia poteſt; hic a factionibus Principum abſtinuit; hic Conventum publicum Chriſtiani nominis, in quo ageretur de eis rebus, quæ ad fidei integritatem, & ad bonorum morum, præſertim in Sacerdotibus, reſtitutionem ſpectant, edixit, ac convocavit. Hic autem, niſi vim Reipublicæ a Novatoribus illatam vi repellendam eſſe ſtatuiſſet, eſſet profecto, quod in egregio illo laudum cumulo quiſquam deſideraret.

KIESLINGIUS.

XXI. Alterum, *quod in hoc conſeſſu tractatum eſt, momentum, concernit concordiam, quam per Imperatorem, & Galliarum Regem innovare ſtuduit* Paullus *eo conſilio, ut unitis viribus ſigna Proteſtantibus inferrent*. Tertium *denique momentum in hac corona prolatum, eſt decretum de Concilio* Mantuæ *indicendo. Diu deliberatum eſt in Concilio Novemvirorum, quot ad hoc conſilium ſelegit Pontifex, de tempore, nec non de loco hujus Concilii univerſalis. At Imperator ſui propoſiti tenax id demum effecit, ut die XXIII. Maji Concilium* Mantuæ, *tanquam in oppido copioſo & fructuoſo celebraretur, cujus Concilii Diploma deinceps, teſtibus* Sarpio *, Sleidano **, *&* Sechendorffio ***, *evulgatum, & ad Reges, Principeſque imperii eſt delatum. Totius Concilii finem his prodit* Paullus *Pontifex verbis* ****, Ut non ſolum ex agro Domini evellantur hæreſes, verum etiam ut, compoſitis Regum diſſidiis, & confirmata pace, bellum inferatur hoſtibus Fidei, quo ſcilicet noſtra recuperentur, & ex ergaſtulis illis, atque miſerabili ſervitute liberentur. *Hæc ſunt bona illa Concilii liberi & univerſalis auſpicia, quæ ſi cum Conciliis &* Conſtantienſi, *&* Baſileenſi *conferantur, facile deterrere poterant Proteſtantes. Quid nomine* hoſtium Fidei *intelligatur, Mahometani forte, an vero Proteſtantes non dijudicarem, niſi res in confeſſo eſſet, Proteſtantes eodem nomine inſigniri. Si vero Turcæ, adverſus quos tunc temporis bellum erat gerendum, intelligantur,* Paulli Tertii *ſtudium in augenda republica Chriſtiana, illo tempore val.*

* Vid. l. c. Lib. I. p. 129.
** Vid. l. c. Lib. X. p. 289.
*** Vid. l. c. Lib. III. Sect. XIV. §. XLV. p. 126.
**** Vid. Sleidan. l. c. p. 289.

valde oppressa, non reprehendo. Enodabimus deinceps hujus Concilii fata, & Papæ animum in hoc Concilio ancipitem, & varium. Illuxit itaque tandem aliquando dies, quo Germaniæ tot mala perpessæ demum spes Concilii facta est. Frustra fuerunt omnia Germaniæ desideria ad Clementem VII. *& anteeessores emissa, quia surdis semper narrabatur fabula. Pro fabula, inquam, habebantur vel venditabantur Germanorum querelæ, & desideria de Concilio, ob emendationem Ecclesiæ celebrando.* Clemens *enim hujus nominis* feptimus *tam callidi animi Episcopus fuit, ut, teste* Pallavicino *, *Legato Campegio id mandati dederit*, ut dissimularet hæc principum nomine Romam perveniffe, Pontificem privatim ea rescivisse, fubderetque, postulata esse iniqua & importuna. *En boni Pastoris, & Pontificis sanctissimi imaginem! Dissimulat, & mentitur* Clemens VII. *totique, quæ medelam a suo Episcopo expectabat, Germaniæ imponit. Desperatæ sane causæ est indicium ad mendacia, & colores prolabi, quod persona Pontificis, qui se falli jactat nescium, oppido est indignum. Quibus artibus Concilio restiterit Clemens Septimus, & qua calliditate emendationem in Germania, evulgatis XXXV. Articulis* **, *simularit, testes sunt* Paullus Sarpius ***, *& ipse* Pallavicinus ****, *cui postremo hæc edisserenti fides haud deneganda:* non utendum esse amplius callidis artibus, sed vere fincereque Concilium convocandum. *Verum itaque est, quod dixit* Pius Quartus: *ita delusa est populorum spes, quam Clemens simulationum semper retinens secum tumulo intulit. Plus una vice optimum sua simulatione decepit Carolum V. & emendationi impedimenta injecit, quod silentio non præterit* Spondanus *****. *Ex his apparet, quam male egerit cum Germania, & deinceps cum Protestantibus Curia Romana, Concilium semper abhorrens, rata forte, nihil esse tam validum, cui non sit periculum a multitudine, si in cœtus coire permittatur. Ipse rerum eventus edocuit,* Paullum Tertium *Concilium omni ratione esse aversatum, illudque tantis involvisse griphis, & nassis, ut Alexandro, qui hunc nodum Gordium dissolveret, videretur esse opus.*

ANI-

* Vid. Lib. II. Cap. X. n. 9. 10. p. 64. conf. Pauli Sarpi Histor. Concil. Trid. Lib. I p. 50. seq.
** Vid. Raynaldi Op. Tom. XX. ad an. 1524. n. 25. seq.
*** Vid. Histor. laud. Lib. I. p. 56. seq. & p. 94. seq.
**** Vid. Histor. Concil. Trid. Lib. III. Cap. XVI. n. 1. p. 105.
***** Vid. Continuat. Annal. Baronian. Op. Tom. II. p. 379.

ANIMADVERSIO XXI.

Heu! nimis quam atrociter tractas, Kieslingi, Clementem VII. criminationisque tuæ in eum contortæ testes adhibes non Sarpium, Sleidanum, & Seckendorffium dumtaxat, sed Pallavicinum etiam, atque hujus postremi recitas verba, quæ ad rem tuam facere existimasti, ad probandum nimirum, eum Pontificem mendacia, & colores adamasse, unde Germanorum querelæ, & desideria de Concilio ob emendationem Ecclesiæ celebrando incassum caderent. Inspiciamus igitur quodnam illud sit, quod narrat utroque loco, quem citas, Pallavicinus, indeque constabit, an hujus testimonia fas tibi fuerit usurpare, quo indignum in modum, ut dixi, eum Pontificem acciperes. Callidum omnino animum, ais ipse, Clemens VII. patefecit, dum Campegio Legato id mandati dedit, *Ut dissimularet &c.* Quænam foret dissimulatio ista a Pontifice injuncta Administro suo, Pallavicinus diserte testatur hisce verbis: *Le Commissioni sue furono, per quanto io scorgo, che non essendo la Scrittura de' Cento Aggravii stata consegnata al Nunzio, come da noi si disse, ma dopo la sua partenza inviata al Pontefice, il quale in breve era morto, egli dissimulasse ch'ella si fosse ricevuta per nome de' Prencipi, affine di lasciar luogo che potessero più agevolmente ritirarsi da quelle istanze indiscrete.* Et paulo post: *Ma perchè l'esser quella Scrittura uscita alle stampe non permetteva l'allegarne ignoranza, fu imposto al Legato che ne parlasse come di cosa nota al Pontefice, mostrando la sconvenevolezza di quelle dimande.* Hæc ergo Pontificis mandata promerebantur, ut ex imo pectore, Kieslingi, voces istas effunderes? *En boni Pastoris, & Pontificis Sanctissimi imaginem! Dissimulat, & mentitur Clemens VII. &c.* Nec dissimulabo ipse, nec mentiar, si contra regeram: *En boni Historici, & Scriptoris integerrimi imaginem!* At multo adhuc longius te a veris Historici laudibus abesse commonstras, dum alterum Pallavicini locum recitas, *cui* (ais ipse) *hac edifferenti fides haud deneganda.* Accipio, Kieslingi, conditionem, indeque Pallavicino ea edifferenti fidem omnino præstandam assentior. Narrat ille loco a te citato, scilicet ini-

initio Cap. XVI. Lib. III. a Sarpio affirmari lectas fuisse in Conciſtorio literas Imperatoris, quibus iſte de Rangone Nuncio Pontificio querebatur, ſubdique ab eodem, *che multi Cardinali diſſero* (maxime quod paulo ante Lantgravii Haſſiæ adverſus Regem Ferdinandum inſignis victoria Romæ innotuiſſet.) *poſta una tal vittoria de' Luterani convenire di ſodisfarli in alcun modo; non procedendo più con arti, ma convocando veramente il Concilio*. Multo facilius, Kieslingi, Æthiopem dealbes, quam periochæ hujus quoquo modo ſuffragatorem effingas Pallavicinum. Hic enim Sarpii narrationi ſtatim iſta ſubjungit. *Non è meraviglia che il Soave nelle ſue relazioni ſi parta dalla verità ſtorica, ma ſtrano che traſcuri eziandio la veriſimiglianza poetica*. Omni autem poetica veriſimilitudine Sarpii narrationem illam carere inde demonſtrat, quod fieri nullo pacto potuerit, *che l'Imperatore ſi querelaſſe, il Nunzio Rangone aver trattato co' Proteſtanti in forma diverſa dalla patteggiata fra 'l Papa, ed eſſo in Bologna*. Pallavicino hæc ediſſerenti habeatur ergo fides, quam ei habendam, Kieslingi, ſtatuiſti, amandemuſque proinde inter fabulas tam Imperatoris querimonias illas, quam illud plurium Cardinalium ſuffragium iiſdem maxime innixum. Quid? quod Curayerus ipſe ad eam Sarpii narrationem hæc adnotat, *Je ne ſai ſur quels memoires notre Hiſtorien avance ce fait. Car comme l'obſerve fort bien Pallavicin, il eſt aſſez difficile de comprendre de quoi l'Empereur ſe ſeroit plaint, puiſque le Nonce n'avoit negocié que de concert avec l'Ambaſſadeur de ce Prince, qui avoit appuyé Rangoni dans toutes ſes propoſitions, & qui meme, ſelon Sleidan l. VIII. avoit prié l'Electeur de Saxe d'ajouter foi a tout ce que l'autre lui avoit proposé*. Dum ægre intelligi poſſe affirmat & ipſe Curayerus, quæ de illis querelis produntur a Sarpio, juſtior mihi adeſt cauſa tecum conquerendi, quod colores, cujuſcemodi uſum inſimulaſti Clementem Pontificem, ut Germaniæ imponeret, terere tibi ipſi collibuerit, ut Lectoribus fucum faceres. Jure ne, vel injuria ita ſentiam, fidem appello vel gregalium, ſeu ſodalium tuorum, dummodo palam eloqui velint, quæ ipſi ſen-

ſentiunt. Addis, colores illos, ſeu fraudes Clementis, nec ipſum Spondanum ſilentio præterire p. 379. Tom. II. Cont. Annal. Baronii. Imo ſilentio omnino præterit, nam in literis maximopere querulis ab ipſo Cæſare ad eum Pontificem datis, quas ibidem una ſimul cum literis Pontificis refert Spondanus, ne verbo quidem retardati Concilii mentio, nulla exinde culpa in Clementem transfertur, ſed ſolum provocat Cæſar ad Concilium Generale, ſiquidem *pacem recuſans Pontifex non patris, ſed partis, non paſtoris, ſed invaſoris officium aſſumpturus eſſet*. Earum literarum acerbitas fraudibus certe illis minime pepercisſet, ſi quem harum exprobrandarum locum ſibi patere Carolus reputaſſet. Utræque eæ literæ, ac proinde Pontificiæ etiam (quas ſe minime vidiſſe fatetur Spondanus) extant apud me, una cum aliis pluribus apologeticis Caroli V. Scriptis, in libro Moguntiæ excuſo an. 1627. juſſu ejuſdem Imperatoris, illoque rariſſime obvio, ut monet Jo. Georgius Schelhornius in Nota ad poſtremum caput Hiſtoriæ Clementis VII. ſuperius memoratæ.

Tandem Paulum III. (de Pio IV. nihil reponam, quod ejus authoritatem uſurpes, quin locum afferas, unde ipſam petere tibi datum fuit) opprobriis oneras, cauſatus ipſum griphis, & naſſis ita involviſſe Concilium, ut Alexandro opus foret, qui Gordium nodum diſſolveret. At quæ ſuperius de eo argumento attuli, quæque afferam inferius, manifeſtum cuivis faciunt ea ipſa portenta in Commentatione tua frequentiſſime occurrere, & præterea occurrere Cretenſem quoque labyrinthum, nam & illam gyris implicitam, *ancipitemque Mille viis habuiſſe dolum*, mecum, ut certo confido, fatebuntur quotquot eandem evolverint.

KIESLINGIUS.

XXII. Tertia *ſaltem, antequam me huic tractationi inferam, producenda eſt ratio, qua ſeriam* Paulli Tertii *mentem in reformationis negotio demonſtrare ſatagis*, VIR EMINENTISSIME, *à ſeceſſu ad conventum* Nicienſem *depromta, quem his commendas verbis* *: „ Nicienſem conventum iſtum convocandum curavit Paul- „ lus Tertius, quo Pontifice nullus certo magis idoneus horta- „ tor

* Vid. Cap. IV. p. 71. 75.

„ tor pacis, & compositionis publicæ, ut pluribus eum locis vo-
„ cat Sadoletus, quod se nullis factionum præmiis contaminari,
„ aut nulla cupiditate extraordinaria transversum agi, neque
„ ferri pateretur, qui patrem se omnibus communem præberet,
„ qui nullas partes dissentientium sequeretur. Eum igitur Ca-
„ rolo Cæsari, & Francisco Regi proposuit, adsuturus & ipse
„ cum iisdem, ut cum utroque de statu Christianæ Reipublicæ
„ colloqueretur. Ante quam vero ipse itineri illi se daret, Po-
„ lus, qui eundem in eo sequi debebat, ferme in procinctu con-
„ stitutus, alteram ad Camillum Epistolam dedit, in qua de li-
„ teris ab hoc ad Regem Christianissimum exaratis verba faciens,
„ haud dissimulat se vereri, ut earundem, ceu solis, splendo-
„ rem ferre possent, qui in tenebrosa valle habitant, ubi sunt
„ domicilia hominum, & Principum hujus mundi, ac proinde
„ ei suadet, ut, ad eos scribendo, stellæ potius lumen, ægris
„ scilicet oculis magis accommodatum, diffundere conaretur,
„ quo illi illustrati, Christum inter animalia pannis involutum
„ aspicere valeant, qui non possunt eum exaltatum contempla-
„ ri. Id, inquam, postquam Camillo suasisset, Epistolam ita
„ claudit: Ego quidem harum tabellarius esse maxime cuperem,
„ qua in re eam mihi occasionem Christus præstat, quod Vica-
„ rium Christi hoc tempore comitor, qui, ut istis Principibus
„ pacem evangelizet, proficiscitur. Tu ergo interim cogita,
„ quid tibi Christus permittat. Hoc vero permitteret, ut ex cur-
„ ru illo tuo igneo ignitam ad Deum orationem pro istis Prin-
„ cipibus profundas, ut ad gloriam nominis sui Filii, & ejus
„ Vicarii filios pacis, ad quos est missus, inveniat, & super
„ eos pax Christi, quæ exsuperat omnem sensum, requiescat.
„ Iter istud Paulli III. quod Deus statutis inter ambos Princi-
„ pes decem annorum induciis fortunavit, nihilominus obtre-
„ ctatoribus ejus Pontificis in invidiam trahere collibitum de
„ more est, atque ad augendam familiam ejus novis ornamen-
„ tis unice susceptum fuisse criminari. Quare P. Franciscus Cou-
„ rayerus in Opere superius memorato, ad Sarpii verba ista:
„ *Le prétext public étoit de retablir la paix entre ces deux*
„ *Princes. mais sa fin principale étoit de faire tomber le Duché*
„ *de Milan dans sa Maison*, nos monet, Jo. Baptistam Adria-
„ num, Historicum coævum, & Onuphrium Panvinium, fidei
„ integræ scriptorem, Sarpii suspicionem confirmare, atque ita
„ notam illam suam concludit: *Sur de pareils garants est ce*
„ *un si grand crime a Fra Paolo d'avoir avancé un tel fait, &*
„ *croit on qu'un argument negatif, tel que celui que lui oppose*
„ *Pallavicin, & qui meme est convaincu de faux par la depo-*

 „ *sition*

„ *sition des Historiens suffise pour anéantir le poids de ces te-*
„ *moignages*? Pallavicinum Sarpii narrationi nil aliud, quam ar-
„ gumentum inficiale opposuisse, impudentissime a Curayero af-
„ firmari, nemo inficietur, qui Pallavicinum adeat, ubi agit de
„ Paulli itinere illo, scilicet Lib. IV. cap. 6. Ait quidem iste,
„ nihil in ejus temporis reconditioribus memoriis se reperisse,
„ quod vel una linea cupiditatem potiundi Ducatus Mediolanen-
„ sis, qua Pontifex arderet, significet; at insuper Nicolai Theu-
„ poli, Veneti ad Conventum illum Oratoris, Relationem de
„ eodem laudat, & plura ex ea depromit, aperte comproban-
„ tia sinceram, paternam, & Christianam Pontificis curam in
„ pacis inter eos Principes negotio curando, cujus gratia, &
„ itineris illius incommoda, & mansionis in Cœnobio prope
„ Nicæam angustias valetudinarius, & longævus senex tolerare
„ coactus fuerit; hæc, inquam, omnia quum Courayerus in
„ Pallavicini historia legisset, valde admirandum est, non aliam
„ ipsis inesse vim censuisse, quam quæ ex argumento inficiali
„ proficisceretur. Hæc ego attuli adversus Courayerum in Dia-
„ triba altera, & ibi pariter eidem opposui celebratissimi Histo-
„ riæ Venetæ Scriptoris, Andreæ Mauroceni, authoritatem, de
„ qua altum silentium apud Sarpium, & Courayerum, imo &
„ apud ipsum Pallavicinum. Nihil tamen disertius ad demon-
„ strandam animi Pontificis in eo conventu optimam propensio-
„ nem, ad publicum scilicet bonum spectantem, quam verba a
„ Mauroceno usurpata, Paullus Pontifex vel suopte ingenio, vel
„ Pontificio munere totus in Rempublicam Christianam incensus
„ erat, & illa etiam: Pontifex interim adhortationibus modo
„ hunc, modo illum orare (utrumque scilicet Principem) sua-
„ dere, ne privatarum rerum rationibus periclitantem Christia-
„ nam Rempublicam proderent; atque alia præterea plura, quæ
„ legi possunt in ea Mauroceni narratione. Non dissimulat qui-
„ dem Historicus iste in eo Conventu magnum certe domesticis
„ rebus ejusdem incrementum, ac decus accessisse, Novaria ur-
„ be Petro Aloysio Farnesio dono data a Cæsare, hujusque filia
„ Octavio Farnesio desponsa; at subdit, id factum a Cæsare,
„ quod hac ratione res Italicas confirmaturum se arbitraretur.

„ Memoratus in postremis istis Mauroceni verbis nuptiarum
„ inter Octavium Paulli III. Nepotem, & Margheritam Caroli
„ Cæsaris filiam, contractus me monet, ut præstitam in Cap. II.
„ fidem modo liberem, ostendens scilicet, easdem non infestis
„ oculis, quod passim fit, contuendas esse, sed quibus enatam
„ ex illis sobolem aspexisse comperitur Sadoletus. Quos iste de
„ hac protulit sensus, ad Paullum III. scribens, eo libentius re-

„ præ-

„ præſentabo, quod validi umbonis inſtar ſint ad ictus omnes „ repellendos, quibus Sanctiſſimi Pontificis memoriam ob genus „ ſuum, ſummorum Principum prærogativis decoratum, impe- „ tere in more habent homines bene multi, ſeu ex malevolen- „ tia, qua aditus omnes ſibi parant ad infuſcanda Romanorum „ Pontificum ſplendida quævis geſta, ſeu etiam ex religionis qui- „ dem zelo, ſed cum quadam judicii aſperitate conjuncto, quam „ certe ſectari vix licere reor, ubi ſanctiſſimorum, conſultiſſi- „ morumque veteris ætatis Catonum placitis, atque auctoritati „ refragetur. „ *Eodem colore dealbat hunc Nicienſem conventum* Ludovicus Maimburgus *, *cujus verba latine reddita ita fluunt:* Dein, non obſtante gravi ſenio ſuo, ipſe Nicæam in Narbonenſem provinciam profectus eſt, ubi congreſſum inter duos Monarchas obtinuerat. Ibi utrumque ſeparatim convenit, ut eos ad pacem, & ut ea facta, ipſi ad Concilium convenirent, permoveret. Pacis loco, quam perficere nequivit, inducias minimum ad annos decem faciendas obtinuit, ſed ne concilio adeſſent, negotia magni momenti, ob quæ alio vorſum vocarentur, excuſationis cauſa allegarunt. *Explorabimus nunc hujus Conventus Nicienſis inſtituti finem, ut videamus, utrum in illo de emendatione Ecclesiæ ſit actum, nec ne? Prius adfirmas*, VIR EMINENTISSIME, *poſterius autem adferunt* Sleidanus, Sarpius, *& cum illo* Curayerus. *Diſpiciemus, cui ſententiæ ſuffragium ſit adhibendum.*

ANIMADVERSIO XXII.

Teſtimoniis, quæ ad illuſtrandum Nicienſem Conventum in medium attuli, quæque ipſe denuo more tuo recitaſti, parum decoram profecto concluſionem apponere tibi placuit, Kieslingi, ſiquidem id ſtatim ſubdis, *Eodem colore dealbat hunc Nicienſem Conventum Ludovicus Maimburgus*. Hic ſuam de eo argumento narrationem brevibus illis lineis expedit, quas pariter recitaſti: atque adeo brevibus, ut Sechendorſius Commentarium ſuum ad eum locum his verbis exorſus fuerit, *Tenuiſſimam, & macilentam etiam hujus anni hiſtoriam nobis ſiſtit Maimburgius*. Ego vero ad narrationis meæ veritatem firmiter adſtruendam protuli documenta ejuſcemodi, quibus magnam ipſemet tuæ hujus Commentationis initio celebrationem conciliaſti. Quo igitur pacto ea

 ipſa

* Vid. Seckendorff. Comment. de Lutheraniſm. Lib. III. Sect. 17. p. 170.

ipsa hoc loco, & alibi passim ceu colores, ceu pigmenta, ceu cerussas flocci facias, prorsus non intelligo, eoque magis quod veram sinceramque rerum fidem ex iis potius Scriptoribus colligendam esse contendas, nimirum Sleidano, Sarpio, Curayero, & Thuano, quos fassus fueras exilia & macra proferre præ testibus illis, quorum dictis in lucem efferendis operam insumo, *immortalem* (ut tua verba rursus adhibeam) *promeritus laudem*; *dulcius enim ex ipsis fontibus bibitur aqua*. Itaque non dealbatum a me Nicienseni Conventum fuisse, censere debebas, sed fideliter, candide, absque fuco descriptum, quandoquidem coævos & integerrimos testes produxi, videlicet primo loco Reginaldum Polum, deinde Nicolaum Theupolum Venetum ad Conventum illum Oratorem, & Andream Maurocenum, celebrem Historiæ Venetæ Scriptorem. His autem addidi, in Diatriba alterius Tomi meæ Collectionis, Petrum Aretinum, qui Epistolam ad Paulum III. datam ita incipit: *Padre Beatissimo, la cagione che vi hà mosso da Roma a Nizza è la più gloriosa di quante ne occorsero mai da che i Pontefici fur Vicarj di Christo. Ella è il decoro del grave dei vostri anni, l'ornamento del sacro del vostro grado, il diadema del santo della vostra vita; e perche basta solamente sì fatta dimostrazione a strangolare l'eretico del grido Luterano, il popolo fedele vi loda d'aver pensato di andarvi, e ringraziavi di esserci pur andato. Ma sendo spinto così dall'opra dell'istessa bontà &c.* Pigmentarii ergo hi omnes, fraudum isti, mendaciorumque dumtaxat concinnatores, unde tibi opus fuerit ad Scriptores alios confugere, ac Virgilii illud dolenter usurpare,

Venimus huc lapsis quæsitum oracula rebus.

Kieslingius.

XXIII. *Consideraturus* Paullus *Pontifex, difficile esse ortam in Germania, ut Tibi indulgeam, Lutheranorum hæresin extingui, quia Imperator variis bellis cum Turcis, Gallis, & aliis intestinis motibus impeditus, Protestantibus arietem movere non poterat, otia pacis inter Imperatorem, & Galliarum Regem allaboravit restituenda. Prævidit, pro ea, qua fuit animi sagacitate, periculum haud levidense, illudque Sedi Romanæ inprimis no-*

noxium esse metuendum, si Protestantium Principes Imperiique proceres satis potentes cum Imperatore in gratiam redirent, liberum religionis Lutheranæ exercitium decernerent, ipsique Imperatori indulgentissimo adversus hostes suos ferrent suppetias. In eum enim res Imperatoris Caroli V. *ob Turcarum potentiam, & Galliarum Regis motus crebrias excitatos, erant delatæ locum, ut Germaniæ procerum ope, & auxilio indigeret, quod fusius Historia Augustanæ Confessionis, reliquorumque Comitiorum hinc & inde institutorum tradit. Ne igitur salus Ecclesiæ Romanæ veniret in periculum, de hoc Conventu Niceæ in Comitatu* Niciensi *ad terminos Italiæ sitæ instituendo vehementissime cogitavit* Paullus Tertius. *Convenerunt in hac urbe Imperator* Carolus V. Franciscus I. *Galliæ Rex, &* Paullus *Pontifex senio jam confectus. Illustravit bellum hactenus a Gallis, Hispanis, Sabaudis, Austriacis, & Genuensibus gestum, hanc urbem Niciensem, sedesque, proh dolor! fuit armorum, utinam fieret propediem pacis dulcissimæ quies & sedes. Causas autem hujus, de quo ago, Consessus exploraturus,* tres, *nisi me fallit augurium, offendo rationes.* Prima *est concordia Imperatorem inter, & Galliarum Regem innovanda. Et si hoc nomine ex verbis* Sadoleti, *Pontificem appellas* hortatorem * pacis, *& compositionis* publicæ, *omni ex parte Tecum consentio. Præclaram sane hoc ipso negotio in se suscepit Pontifex provinciam, paterne defunctus officio. Doleo saltem hos duos filios, parenti monitori, seu potius hortatori fuisse asperos. Testes enim sunt* Henricus Spondanus **, *&* Odoricus Raynaldus ***, *rem parum feliciter successisse. Audi Spondanum hæc commemorantem.* Uterque separatim Pontificem veneratus est. Numquam tamen ipse impetrare potuit, ut illi in mutuum conspectum & colloquium simul devenirent. Quod quamplurimi, ut Jovius, qui interfuit, & Onuphrius referunt, non tam mutuo ipsorum odio, quam invidiæ in Pontificem, parum inclementer attribuerunt; quasi existimarent, eum nequaquam studio Religionis aut Reimpublicæ, sed privatorum spe commodorum ipsorum colloquium expetiisse; quippe qui Margaritæ filiæ, nothæ Cæsaris, quæ Alexandri Medicis uxor fuerat, nuptias jam sibi a Cæsare oblatas pro nepote Octavio firmare (quod & factum est) & Victoriam neptem, quæ Guidobaldum Urbinatium Principem, postea maritum habuit, cognationi regiæ, conjectis in Vindocinensem oculis, inferere percupere videretur. *Ipse* Pallavici-

* Vid. l. c. p. 71.
** Vid. Tom. cit. ad ann. 1538. §. VI. p. 452.
*** Vid. Annal. Tom. XXI. Part. I. ad ann. 1538. n. 8. & n. 12.

vicinus * *tam ingenuus est, ut de hoc conventu hæc tradat*: Mensem unum per ea loca versatus est Pontifex, modo cum Cæsare, modo cum Rege sermone habito. Nequivit inter eos pacem componere, sed inducias in decem annos firmavit; haud tamen impetrare unquam potuit, ut illi simul congrederentur: quanquam postea regresso Paullo id evenerit prope Aquas mortuas; Gallus enim prius suapte sponte in manus Cæsaris sese tradidit, cymbula vectus ad illius naves. Postea vero Cæsar in Regis manus, ad eum terra progressus, biduumque apud illum commoratus. Id actum est, per mutuam amoris significationem, patefacta a Carolo voluntate gratificandi Francisco Regi, & cum eo pacem sanciendi, redditisque a Rege pariter promissis Cæsari opitulandi, tam ad hæreticos subigendos, quam ad Turcas propulsandos. *Incidit in tam turbulento Reipublicæ statu, exortis quoque funestis inter Imperatorem* Carolum V. *&* Franciscum *Galliæ Regem bellis, in mentem illud* Curtii **, firmissima est inter pares amicitia, & videntur pares, qui non fecerunt periculum virium. *Diuturnis bellis, e quibus* Carolus *Imperator superior discesserat, involuti ægre in veram & firmam amicitiam coire poterant hi duo Principes, & funestum, quod acciderat* Francisco *fatum, alta apud illum mente remanebat repositum. Id ipsum bene observat* Jacob. August. Thuanus * *hunc in modum de hoc Conventu* Niciensi *scribens*. Eodem anno Paullus Niceæ cum Francisco congressus X. annorum inducias, quo Concilium celebrari, & bellum adversus Turcas commodius instrui posset, inter Cæsarem & Franciscum firmavit, nec multo post ad fossam Marianam Cæsar cum Francisco collocutus fraterni amoris specie spem fecit, fore, ut certis conditionibus in posterum concordia inter ipsos firma, & constans posset coalescere. Sed vinculum, quod firmius constringere debebat, pæne amicitiam omnino dissolvit. Nam accidit anno sequenti, ut Gandenses insita genti levitate, an propter onera & tributa ipsis a Maria imperata, rebellarent, missisque ad Franciscum legatis, ut se veteres regni clientes, in fidem reciperet, orarent: quod ille omnino recusavit, caussatus inducias, & amicitiam, quæ sibi cum Cæsare intercedebat, quod ubi rescivit Cæsar, ne latius malum exemplo serperet, eo sibi proficiscendum quam primum existimavit. Sed quia videbat, nisi per Galliam iter haberet, magno exercitu, quem non tam subito quam pro rei necessitate conscribere poterat, opus esse, per legatos transitum a Rege petiit, quem sibi eo magis necessarium judicabat, quod ea re arctiorem inter

* Vid. l. c. Lib. IV. Cap. VI. p. 124. conf. Raynald. Annal. l. c. n. 13.
** Vid. Lib. VII. Cap. VIII. *** Vid. Histor. lib. 12.

ter se & Franciscum amicitiam coiisse ab omnibus creditum iri sciret, Gandensesque spe auxilii e Gallia destitutos facilius ad officium redituros, Id quo facilius impetrare posset, spem fecerat Georgio Silva Vaurensi Episcopo, qui Francisci nomine apud eum oratorem agebat, de Mediolano restituendo. Sed id petebat, ne in præsentiarum de ea re ageretur, ne necessitate adactus potius quam sponte in id consensisse videretur. *Nec mirum est, hunc Conventum* Niciensem *non ex animi sententia fluxisse, quum, ex nuptiis* Margarethæ *cum* Octavio Farnesio Franciscus, *Galliarum Rex, haud obesæ naris, facile olfaceret, quorsum Papæ tenderent consilia. Rex Galliæ appetebat ducatum Mediolanensem, aliosque terrarum in Italia tractus; Pontifex autem eosdem in suam familiam transferre cogitabat. Rex Galliarum suo insistebat desiderio impetrandi ducatum Mediolanensem. Eadem chorda oberrabat* Paullus. *Atque, ut eo magis* Franciscum *ad suas partes pelliceret recipiendas, Pontifex antea obtulerat connubia inter* Antonium Borbonicum, *&* Victoriam Farnesiam, *ducis Parmæ filia, nepotem nimirum* Paulli Tertii *contrahenda; sed* Franciscus *hoc consilium fortiter repudiavit, uti tradit* Abbas Fleurius *. *Vides itaque, quibus artibus usus sit Pontifex* Paullus, *ut modo* Francisco *Galliæ Regi, modo Imperatori se præstaret officiosum. Ubi vero suis ausis apud* Franciscum *excidit Pontifex, ad partes* Caroli V. *propius accessit, & suum, quem in oculis tulit,* Octavium Farnesium *in medium produxit, quocum* Margaretha *Austriaca iniret matrimonium. Imperator itaque hoc connubio inter* Farnesium, *&* Margaretham *constituto, tutam putabat cum Pontifice amicitiam, & firmum in Italia imperium. Expende nunc, quibus artibus hos tres diffidentes, rerumque suarum studiosos conciliaveris. Prius profecto Cretenses, quam hos conciliabis animos diversis, & maximi quidem ponderis commodis intentos. Litigatio non erat de lana caprina. Res Imperatoris, æque ac Galliarum Regis in discrimen venire poterant, & consilia Protestantium Pontifici & Imperatori fieri noxia; quum Rex Galliarum ipsorum faveret clanculum partibus. Ne igitur potentia Protestantium Sedi Romanæ fieret periculosa, studia privata, & domestica negligenda statuit Pontifex hos inter duos Principes, ut unita vi pro Sedis Romanæ auctoritate, tanquam pro aris & focis pugnari, & eadem jam jam collapsa servari posset. Haud firma tamen, & stabilis, sed saltem simulata fuit hæc Principum coitio. Quin &, teste* Seckendorffio **, *Galliarum Rex deinceps serio testatus est, se horum con-*

* Vid. Histor. Ecclesiastique Tom. XXVIII. p. 144.
** Vid. l. c. §. LXII. p. 171.

consiliorum contra Protestantes non fuisse socium, neque violenta media adprobasse. Quicquid hujus rei sit, id saltem ex eventu didicimus, divinam, quæ cuncta gubernat, providentiam, hos conatus fecisse irritos, & Galliarum Regi mitiorem ingessisse animum, ne manus ferret huic funesto spectaculo auxiliatrices. Non tamen omni emolumento, & fructu caruit hic, quem sæpe dixi, congressus, sed induciæ decennales inter hos duos Principes sunt constitutæ, quæ gloria induciarum Paullo Pontifici non est deneganda.

ANIMADVERSIO XXIII.

Nuptias, quas memoras inter Octavium Farnesium, Pontificis nepotem, & Margaretam Austriacam, filiam notham Caroli Cæsaris, haud dissimulavi superius, compositas fuisse in Conventu Niciensi, afferens ex Mauroceni Historia locum, quem ipse pariter recitasti. Quoniam vero id agens, silentio prætermisisti, quos ego statim in Opere illo meo subjunxeram, Cardinalis Sadoleti sensus, validi umbonis instar futuros ad ictus omnes repellendos, quibus Sanctissimi Pontificis memoriam ob genus suum, Summorum Principum prærogativis decoratum, impetere in more habent homines vestri, & passim nostri quoque (hi tamen ex religionis zelo cum quadam judicii asperitate conjuncto) hinc haud abs re erit, eosdem sensus oculis tuis hoc quoque loco subjici, quos ipsos communes fuisse censere debes Polo, Contareno, reliquisque Purpuratis Patribus, qui ea ætate Romæ florebant in omni eruditionis genere excellentissimi, & cum priscis Ecclesiæ Doctoribus conferendi, ut Wicelium, laudatissimum apud vos Scriptorem, testantem accepisti. Sadoletus igitur in Epistola ad Paullum III. ita loquitur: *Cum multa sint indicia divinæ erga Sanctitatem Tuam beneficentiæ, summæque liberalitatis, tum nullum est præstantius, quam quod eodem dono nunc Deus propugationem familiæ tuæ, & publicam pacem, ac tranquillitatem est complexus. Geminis enim pronepotibus ex summi Imperatoris filia, & nepote tuo in lucem nobis editis, addidit ille quidem decus generi, ornamentum familiæ, subsidium nomini, cujus recens hic partus perpetuitatem quandam denuntiat: sed in tanto privato Sancti-*

tatis

tatis Tuæ commodo, illa etiam major in ipsius animo lætitia insidet, quod omnibus jam suspicionibus penitus elisis, quæ nos sollicitos aliquandiu habuerunt, communi Italiæ paci, & otio a Deo est consultum. Duorum enim maximorum Principum sanguine in unum genus, unamque prolem derivato, atque conflato, animos quoque eorundem in unum sensum confluere necesse est. Qui sensus, si Tuæ Sanctitatis consilia valebunt, sicut certe valitura sunt, ad tranquillitatem publicam, ad quietem Italiæ, ad conservationem pacis, cujus ipsa tutrix semper fuit, sine dubio spectabit. Hoc ipsum argumentum pluribus postea prosequitur, eo semper spectans, ut privatum illud Pontificis gaudium cum publicis utilitatibus arcto vinculo connexum esse demonstret. *Etenim* (inquit) *habet obsides jam Resp. duos duorum præstantissimorum Principum liberos, qui utramque nobilitatem in unum genus jungunt, qui spondent, pollicenturque nobis omnibus immotam pacem, securum otium, animorum concordiam Romæ, & in Italia fore: quibus muneribus nullum nobis a Deo, in hoc præsertim tempore, accidere potest optatius.* Ad hos Sadoleti sensus respiciant, pervelim, justi rerum æstimatores, indeque nefas putent in judicando de Pauli III. gestis ab eo modo recedere, quem, nunquam satis laudati, religionis Antistites olim tenuisse dignoscuntur.

Maurocenus prodit nuptias, de quibus agitur, a Cæsare concupitas fuisse, quod hac ratione res Italicas confirmaturum se arbitraretur. Quid autem si etiam Paulo III. gratas fuisse dicamus, quod profuturas ipsas intelligeret ad tuendam Pontificiam potestatem? Hanc ut omnino e medio tollerent, non tantum quidem cœlum, & terram miscebant, sed Acheronta movebant Protestantes, veram Reformationem censentes,

Quæ converteret Papam in pauperem Plebanum,
Et Cardinales in miseros Capellanos;

ita ex Pasquilli carmine, quod vulgavit Schelhornius p. 254. T. VII. Amœn. liter.

KIESLINGIUS.

XXIV. *Me nunc ad* alteram *hujus conventus* Niciensis *caussam confero*. *Valde iniquum & injuriosum hujus consessus historicum appellas* Paullum Sarpium, *eumque nodum in scirpo quaesivisse, statuis, quo optima pacis, & concordiae consilia* Paulli Tertii *redderet suspecta*. *Sed salva res est*. *Satis bene suo defunctus est officio* Sarpius, *& ea, quae agebantur, sine invidia recensuit; multa quoque, quorum inscius fuit, recte omisit*. Pallavicinus, *cui ad arcana Pontificum accessus patuit*, alteram *hujus colloquii* Niciensis *rationem paullo planius, nec non liberius nobis exposuit, quod rei gestae documentum a Romanensibus non facile obliterandum, nobis auro, gemmisque aestimatur dignius*. *En insigne hoc veritatis testimonium a* Pallavicino * *prolatum*: In comperto erat, inquit, haud satis futuram ad perditos recuperandos, morum integritatem in Romana Curia, nisi Principum terror accederet. Altera populos simplicitate deceptos allicere potis erat; altero proceres ambitione tumultuantes coerceri oportebat. Et hujusmodi terror incuti non poterat a duplici quantumvis valida potentia, altera ab altera per mutuum certamen debilitata, Ea propter quam posset maxima sollicitudine Pontifex adnitebatur duos Reges ad concordiam cohortari. *Quid quaeso est*, populi perditi, *& simplicitate* decepti, recuperatio? *Quid* terror *Principum, qui huic populo incutiendus? Quid denique gravis in proceres ambitione tumultuantes* animadversio? *Haeccine sunt concordiae, & pacis consilia, ignem, ferrum, tormenta, deportationes, & quodvis devastationis, & cruciatuum genus spumantia in hoc consessu agitata? Hinc illae lacrymae! Sollicitus erat Pontifex de populo a simplicitate & servitute vindicato, ut illum denuo suo submitteret jugo*. *Inepte vero haec a* Pallavicino *dicta sunt, quo demum oculo illa contempler?* Primo *oppido falsum est, Lutherum sua doctrina, & emendatione populum simplicem corrupisse*. *Si enim, quod sat multi demonstrarunt, e quibus eminent documenta ab Elia* Vejelio **, *&* Salomone Cypriano *** *collecta, viri in sinu Ecclesiae Romanae & nati, & illius doctrinae inutriti, pii, sapientes, moderati, & haud capite censi, ipsam reformationem ante Lutherum desiderarunt, ecquis, bona fide, dicere posset, populum simplicem esse deceptum? Anne Tros,* Ru-

* Vid. l. c. Lib. IV. Cap. VI. p. 124.

** Vid. ej. Histor. & Necessit. Reformat. Evangel. edit. Ulmae 1692. Conf. S. V. Deylingii Obser. Miscell. P. IV. Exercitat. XI. de Sacror. emendandor. Necessit. temp. Lutheri p. 789.

*** Vid. Solida Demonstratio de Ortu & Progressu Papismi, & quidem Apolog. Cap. I. p. 710. seq.

Rutulusve Luthero adhæsit solus? Viri Luthero propemodum non fecundi, ab omni simplicitate, & stupore liberi huic emendatæ Ecclesiæ nomen dederunt, & doctrinæ capita a sordibus, & ærugine expurgata protensis amplexi sunt manibus. Fallitur porro, *quisquis* Pallavicino *hoc in argumento indulserit, & statuerit, Lutherum abusum esse simplicitate hominum. Nulla Lutherus hoc stupendo reformationis negotio recepit emolumenta, quibus illi inhiare solent, qui plebeculæ auram affectant, & ejusdem simplicitatem in sua commoda convertunt. Nullis fidiculis usus est Lutherus, quibus alias utuntur impostores.*

Quorsum ulterius spectat Principum terror *Protestantibus injiciendus? Misera sane Protestantium ad obsequium Romanæ Ecclesiæ invitatio, terribileque reformandi, & uniendi medium, quod Scriptura sacra, quin & ipsum jus naturæ detestatur. Eam ad societatem Christianam & unionem vocandi & invitandi rationem Romanus Pontifex, mitis ille, & pacificus, si credere fas est*, Paullus Tertius, *non a suo doctore Christo, cujus Vicarium se in litteris plus una vice apellat, didicit. Quid denique* Principum ambitione tumultuantium animadversio? *Ex ipsis, quæ unicuivis prostant, actis Comitiorum &* Augustanorum, & Wormatiensium, Spirensium, & Noribergensium *pervium est, Principes Lutheranæ doctrinæ addictos neutiquam ambitione intumuisse, aut officii sui, & obsequii imperatori debiti, unquam fuisse immemores, sed petendo, flagitando, exorando, obsecrando, veritatemque ad oculatam fidem demonstrando, quicquid agerent, in laudatis Comitiis, protulerunt. Falso itaque Principes veritatem evangelicam defendentes accusantur ambitionis; & quod pejus est, tumultus. Majori jure hæc in sinum* Paulli Tertii *refundenda sunt, quippe qui ambitione elatus summam auctoritatem in Principes & Electores Germaniæ adfectavit, & suam iram in illos, instigando, suadendo, & impellendo, nec non exsecrando Lutheri doctrinam, cum furore effudit. Tantæne animis cœlestibus iræ! Procul a Protestantibus fuit tumultus, licet deinceps fœdus* Smalcaldicum *in hoc violentum & vitiosum abierit apud Romanenses nomen. Eam autem maculam Protestantibus adspersam jamdudum abstersit* Adam Rechenbergius * *Theologus quondam nostræ Ecclesiæ, & Academiæ celeberrimus. Excussa nunc* secunda *hujus conventus causa, quæ* Paullo Tertio *neutiquam conciliare potest pii hortatorii, & pacis monitoris nomen, paucis me ad* tertium *hujus illustris Concilii finem confero.*

M 2 ANI-

* Vid. Differt. de Religion. armis defensa. Lipf. 1699.

ANIMADVERSIO XXIV.

Quandoquidem teſtimonium, quod Latine recitas ex Pallavicino, tanto cum plauſu excepiſti, ceu auro, gemmiſque pretioſius, ejus dignitas poſcit, ut hic loci nativo etiam idiomate compareat. En ergo ipſamet Pallavicini verba initio Cap. VI. Lib. IV. *A ricoverare i perduti vedevaſi, che non ſaria baſtata l'eſemplar vita della Corte ſenza il terrore de' Prencipi. L'una valeva co' popoli traviati per ſemplicità; l'altro richiedevaſi co' Grandi ſollevati per ambizione, e tal terrore non poteva muoverſi da due quantunque gran forze, che ſcambievolmente s'indeboliſſero co'l contraſto. Però con ogni maggior anſietà non riſinava il Ponteſice di confortare i due Re alla pace.* Ad hæc ita exclamas? *Hæccine ſunt concordiæ, & pacis conſilia?* ſubdiſque. *Inepte vero hæc a Pallavicino dicta ſunt, quo demum oculo illa contempler?* Non eo certe, quo ipſa contemplatus es, unde juſtam cauſam habeo Virgilianum illud indignabundus uſurpandi,

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Præiverat tibi in hac faſcinatione Seckendorfius, adverſus quem proinde opus habui calamum ſtringere p. CLXXX. Diatr. alterius Tomi, ibique tradidi, quidvis aliud potius ea Pallavicini verba ſignificare, quam animum Pontificis probe compoſitum, ut interpretatur idem Seckendorfius, ad offucias non Germanis ſolum, ſed orbi Chriſtiano, Cardinalibus etiam ſuis faciendas, perinde ac ſi ex diſciplina Pontificum foret, ut ille loquitur, fraudi vim ſuccenturiari. Neganti Seckendorfio *obtentui ſolum ſumptos eſſe defectus, & exceſſus Pontificum a Luthero*; ſubdentique, *Nihil enim prorſus lucratus eſt, nihil petiit, nihil niſi odium ſibi peperit, commoda, ſi quæ fuerunt, ad alios tranſmiſit*, breviter repoſui, lucratum fuiſſe Lutherum, ut Monaſtico cucullo abjecto voluptatibus corporis indulgeret, ac præterea laudem etiam aucuparetur ex ſuo candore, nam *ſuam fragilitatem* (verba ſunt Seckendorfii in Præloq. ad Commentar.) *ingenue profeſſus eſt cum libertate*; lucratum inſuper fuiſſe, ut tyrannidem in aſſeclas ſuos libere exerceret, cujus ipſum redarguunt non Eraſmi tantum, ſed Melanchtonis quoque Epiſtolæ. Hæc, & alia

alia a me non eo tantum loco, sed passim in Editionis meæ Voluminibus allata, baccaris instar esse percupiam, Kieslingi, *Ne tua* Lectori *noceat mala lingua futuro*.

Addis postea, Viros in sinu Ecclesiæ Romanæ & natos, & illius doctrina innutritos, pios, sapientes, moderatos, & haud capite censos, ipsam Reformationem ante Lutherum desiderasse; ac statim subjungis, *Ecquis bona fide dicere posset, populum simplicem esse deceptum?* Optima utique fide ipse dicam, ac tuebor, populi simplicitati illusum fuisse a Luthero, propterea quod Reformationis necessitatem prætexens illum abstraxerit a Catholicorum cœtu, cui firmiter adhæserant Viri illi, quos ante Lutherum eam Reformationem desiderasse, bona fide in dubium revocari profecto non potest. Quereris tandem de agitata in Conventu Niciensi *Principum ambitione tumultuantium animadversione*. Huic tuæ querimoniæ abunde jam responderunt loca a me superius recitata ex Sadoleti ad Germanos Oratione, atque istud præsertim, *Constitutis jam rebus, & publica firmata re, sive ea humana sit, sive divina, qui miscere, & novare res studuerunt, eos semper turbatores pacis, & concordiæ habitos fuisse*.

KIESLINGIUS.

XXV. Tertiam *nunc ingredior rationem, in qua*, VIR EMINENTISSIME, *mihi, quantum locus supra ad litteram * recitatus docet, admodum anceps & versipellis videris. Succenses* Courajero, *qui optimorum auctorum fide innisus, demonstratum dedit*, Paullum Tertium *in hoc Conventu* Niciensi *rerum suarum haud negligentem fuisse, sed cum Cæsare, ob connubium inter* Octavium Farnesium, *&* Margaretham *Austriacam, Imperatoris filiam, eamque notham celebrandum, de ducatu Mediolanensi clanculum egisse*. Pallavicinus ** *multo studio demonstrare allaborat, ut ostendat, in hoc Concilio* Niciensi *non commoda fuisse fandi tempora, ne concordiæ inter Imperatorem & Galliarum Regem stabiliendæ, injiceretur impedimentum. At enim vero maxima adest veritatis species, privatos intra parietes de hoc negotio esse actum, & Pontificem illustrandæ, & amplificandæ suæ familiæ studiosissimum aureos montes Imperatori esse pollicitum, eo potissimum nomine, quod,*

* Vid. l. c. p. p. 72. seq.
** Vid. l. c. p. 125.

quod, firmata hoc connubio amicitia, in tuto esse possint Imperatoris rationes variis exposita periculis. Id saltem in vado est, paullo post hoc Paulli *desiderium Imperatori a Patre purpurato* Farnesio *esse propositum, prout nobis commemorat* Sarpius * *edisserens*: Jam præter publica negotia erat Cardinali familiæ quoque suæ domesticum, de quo cum Cæsare ageret. Pontifex enim donato suis Camerino Nepique Ducatu sibi non satisfecerat, sed Parmam & Placentiam civitates eisdem dono dare satagebat. Eas cum non ita pridem Insubriæ duces possedissent, ut earum alienatio validior esset, Cæsaris consensus requirebatur. Hunc ut impetraret Cardinalis, ostendit Cæsari, e re sua magis futurum, si eæ civitates, Mediolanensi Ducatu finitimæ, penes aliquam familiam essent ipsi devotam ac devinctam, quam si in Sedis Romanæ potestate permaneant: in quam succedente Pontifice erga Cæsarem male animato, multa inde oriri possint incommoda, deinde ea alienatione patrimonio Ecclesiæ nihil decedere; quod ad Sedem Romanam Julio II. Pontifice primum pervenissent, neque ante Leonis Pontificatum confirmata erat possessio. Denique Ecclesiæ bono id cessurum, Pontifice permutationem inter eas urbes, & Principatum Camerini designante. *Quod si igitur concederem, hoc negotium non venisse in censum, anne propterea majoris erit hic conventus auctoritatis? Unius rei plures omnino sæpe sunt causæ. Satis est, me demonstrasse,* Paullum Tertium *hoc in Congressu, si vel maxime negligere vellem Ducatus Mediolanensis desiderium, id unice egisse, ut, restituta inter hos Principes pace, res Protestantium subverteret.*

Animadversio XXV.

Ingenue fateor, Kieslingi, oculos mihi omnino caligare in causa detegenda, ob quam titulo *ancipitis, & versipellis* hoc loco me honestaveris. Equidem Curayero succensui, propterea quod Pallavicinum prodiderit solius abnutivi argumenti auctoritate elevare Historicorum fidem, quibus Sarpius usus, Pauli III. consilia in Conventu Niciensi ad comparandum stirpi suæ Mediolanensem Ducatum spectasse contenderat. Annon, præter veteres Chartas a se inspectas, Pallavicinus suum confirmavit dictum allata in medium Relatione Nicolai Theupoli, Veneti ad eum Conventum Oratoris? Annon Pallavicini dicto consona deprehenditur Andreæ Mauroceni, Venetarum rerum ea ætate Scriptoris, narratio? Horum

* Vid. Lib. II. p. 198.

rum documentorum fundamentis innixus fas mihi utique esse putavi, Pallavicinum a contorta in ipsum a Curayero criminatione tutari. *At enim vero*, ais ipse, *maxima adest veritatis species, privatos intra parietes de hoc negotio esse actum*. Atque mox, *Id saltem in vado est, paulo post, hoc Paulli desiderium Imperatori a Patre purpurato Farnesio esse propositum, prout nobis commemorat Sarpius*. Tua hæc, *telum imbelle sine ictu*, Kieslingi, appellabo. Nec enim mihi datum fuit parietis Niciensis rimæ aures admovere, unde clancularios Pontificis, & Cæsaris sermones exaudirem, hisque non exauditis, haud mihi licuit eosdem vaticinari ex re, quæ non quidem paulo post, sed octo post annos evenisset. Contra rimatio illa, vaticinatio ista testem *ancipitem*, & *versipellem* demonstrant, potius quam nuda veterum documentorum expositio. Adeo autem nuda, adeo simplex ea fuit, qua Theupoli, & Mauroceni verba recitavi, ut minime dissimulaverim, postremum hunc, postquam repræsentasset Paulum III. totum in Christianam Remp. intentum, addere tamen, magnum domesticis ejus Pontificis rebus in illo Conventu incrementum, ac decus accessisse. Quid amplius præstare debebam, ut candorem meum æquis Lectoribus comprobarem? Quid vero, si dixero, in te primo, deinde in Curayerum transferri posse eam ipsam labem, quam mihi affinxisti? Dum Sarpium tuæ criminationis testem adhibebas, candoris lex omnino postulabat, ut silentio minime pertransires, Sarpii dicto Pallavicinum adversari, illudque appellare *enorme bugia*; id enim monens, te abesse a fuco Lectoribus faciendo ostendisses. Curayerus vero, Sarpianæ illius narrationis suffragator, peccavit & ipse adversus eandem legem, propterea quod Pallavicinum redarguat, qui minime nescius narrationem illam Adriani Historici testimonio inniti, *arcanas* Chartas a se visas confidenter ad ipsam refutandam laudaverit. Peccavit, inquam, quod inscium se confinxerit oppugnatam a Pallavicino narrationem illam fuisse non ex *arcanarum* dumtaxat Chartarum silentio, sed ex momento admodum valido, quod iste hisce verbis enunciavit: *Più enorme bugia è un altra ch'l Soave proferisce intorno a que-*

questa Legazione, mentre perseverando nella falsità convinta da noi avanti, che la messione del Cardinale tendesse principalmente ad ottener il consentimento di Cesare nella destinata investitura di Parma, e di Piacenza: lo introduce ad allettarvi Carlo con ragioni, le quali presupponevano la continuazione del Ducato Milanese nella Signoria di quel Prencipe. Ciò erano che a Sua Maestà fossero elle per dar minor gelosia con la vicinità, e minori ostacoli per la ricuperazione, quando Ei la tentasse, quelle Città poste in mano d'un Duca particolare che del Pontefice. Dal che si scorge che quest'huomo non è narratore, ma inventore: imperocchè in quel tempo era sì lungi, che Milano fosse considerato come in dominio di Cesare, che il Duca d'Orliens su quei giorni stessi era ito a ringraziarlo della dichiarazione fatta da Sua Maestà di sposar a lui la Nipote con l'investitura di quel Ducato. E la morte del Giovane che mutò l'ordine delle cose, avvenne poi nel succeduto Settembre. Itaque comparata ratione, quam ambo iniistis, tu quidem Sarpii narrationi assentiens, Curayerus vero Pallavicini narrationi repugnans, cum ratione a me inita in afferendis testimoniis, quæ attuli in re, de qua est sermo, judicet quivis, cuinam nostrum illud conveniat, *Astutam vapido servas sub pectore vulpem*.

KIESLINGIUS.

XXVI. *Vltimum, quo firmare intendis*, VIR EMINENTISSIME, *benignum, &* Paulli Tertii *in Protestantes, & totam Ecclesiam animum, est* Concilium Mantuæ *indictum. Remora huic Concilio imposita, ex tua sententia, in* Paullum *Pontificem non cadit, sed in Ducem Mantuanum, qui milites præsidiarios a Pontifice petierat. Ne igitur Pontifex manu armata ad Concilium per legatos venire videretur, justam & probam differendi illud Concilium habuit causam, quam ita recitas* *: „ Ex eadem Contareni Epistola discimus veram causam, quæ Pontificem impulit ad differendam Concilii Mantuæ indicti convocationem usque ad Calendas Novembris anni, cujus notam eadem præfert, quod scilicet Dux Mantuæ petiisset a Pontifice mille & quingentos pedites alendos Pontificis pecunia, ob civitatis Mantuanæ præsidium, quæ res, (*inquit*) visa est allatura fuisse calumniam „ no-

* Vid. l. c. Cap. IV. p. 61. 62.

„ nobis, utpote qui nollemus Concilium liberum, si armati hoc „ præsidio venissemus. Merito igitur Sarpio aliam afferenti cau„ sam, jurisdictionis scilicet, quam Mantuæ Dux exercendam „ contenderet a suis, non vero a Concilii administris, Pallavi„ nus contradicit, nec ab hoc diffidet Courayerus, monens ta„ men, in Bulla Indictionis Tridentinæ verba quædam legi, Sar„ pii narrationi haud parum consentanea. Mihi vero satis est in „ Contareni Epistola illa adnotare, justis semper de causis addu„ ctum fuisse Paullum Pontificem ad Concilium differendum, etsi „ sincera prorsus voluntate tam illud, quam Ecclesiæ Refor„ mationem exoptaret. Contarenus enim de ea re testimonium „ perhibens, haud certe idoneus fuit, cui quisquam in hujusmo„ di negotiis, quæ Romæ tractabantur, fucum faceret, aut ipse „ fuco aliis faciendo accommodatus, quem videlicet jure Palla„ vicinus lib. IV. pro Sacri Collegii Catone habitum fuisse affir„ mat, ubi de eo loquens in hunc modum scribit: *Quel famoso „ Catone del Collegio, e nulla dissimulatore dell'imperfezioni co„ nosciute nel Clero, e nella Corte, come testificano e gli Scritti „ di lui, e gli altrui Scritti sopra lui*. Eam Pontificis sincerita„ tem adeo Polus quoque pro certa habuit, ut die 20. Maji „ anni illius 1537. Contareno, qui reditum suum e Belgio Con„ cilii causa urgebat, ita scripserit: Jubet, ut, quod commodo „ meo, & causæ jacere possim, reditum maturem, ut in sacro „ Concilio Mantuæ celebrando præsto esse possim, quo, ut ex ra„ tione dierum colligo, multo ante Sanctitatem Tuam puto per„ venturam, quam ei hæ litteræ reddi possent. Præterea respon„ dens Contareni Epistolæ paulo ante laudatæ, valde animum „ suum exhilaratum fuisse fatetur, certior ab illo factus, Pon„ tificem ardenter perseverare in ipso suo instituto, & optimo „ suo animo de Reformatione. „ *Quam magnopere intentus fue-rit emendationi laudatissimus Pontifex, ulterius ex* Poli *demon-stras Epistola, quæ testatur, Papam, non obstante tristissima re-rum, ob varia bella, & motus, facie, nihilominus de Concilio convocando laborasse. Adferam Tua verba* *. „ In eo utique „ Paullum Pontificem vere perseverasse testatus est idem Polus „ Romam e Belgio redux in pluribus literis ad Cardinalem „ Leodiensem exaratis, quæ omnes in unico argumento versan„ tur, in facultatibus scilicet admodum amplis, quas illi Po„ lus a Pontifice impetravit, ut concessam Legati de latere po„ testatem ad Cleri sui reformationem in Exemtos etiam libere „ posset exercere. Inter cætera hæc habet: Maxime delectari „ ejus Sanctitas hoc sermone est visa, quæ eundem animum

N „ erga

* Vid. l. c. n. 62. 64.

„ erga Reformationem universalis Ecclesiæ ostendit, quem Illu-
„ strifs. D. V. erga suam. Sed cum quasi parvum navigium tran-
„ quillo mari sit Ecclesia Illustrifs. D. V. facile fructum tam
„ pii desiderii omnes sentiant, Illustrifs. D. V. brevi, ut spero,
„ faciet, quod in tam magna navi, tot fluctibus agitata, qualis
„ est Ecclesia universalis, tametsi Sanctitas ejus fructum semper
„ amittere non potest tam piæ voluntatis, tamen sentiri non tam
„ facile potest, præsertim cum tam multos præterea hostes ha-
„ beat. Sed Sanctitas ejus quo plura impedimenta videt, hoc
„ plus juvabit. Nunc habet hoc sacrum fœdus, quo Turcas est
„ aggressus una cum Venetis, & Cæsare. De Concilio vero ge-
„ nerali proximo mense Majo incœpturo, nulla res spem ejus
„ potest diminuere, quanquam hæc bella inter Principes videntur
„ debere omnem spem tollere. Sed Sanctitas ejus optimam spem
„ concepit etiam de pace, quam non cessat sollicitare, & per
„ novos Nuncios suos, quos post meum huc adventum ad utrum-
„ que Principem, & per Venetos, qui etiam ex suis, quod alias
„ non fecerunt, duos nobiles per equos dispositos ad utrumque
„ etiam Principem miserunt, ac Sanctifs. Dom. Civitatem Vicen-
„ tinam, Concilio celebrando maxime idoneum locum, concef-
„ ferunt. Datæ sunt eæ Epistolæ partim desinente an. 1537. par-
„ tim ineunte an. 1538. „ *Operæ pretium est invicta sane testimonia de* Paulli Tertii *cura, & providentia de Concilio celebrando, prolixius adducere, quum illa, quæ in nitido hoc opere leguntur, documenta, rara sint, & concertationi nostræ oppido consentanea. Ita vero scribis* *. „ At nulla ex Poli Epistolis,
„ quas prima duo Collectionis earum Volumina offerunt, magis
„ comparata ad comprobandas fervidas Paulli III. curas in uni-
„ versam Christianæ Reip. salutem, quam binæ datæ ad Camil-
„ lum Ursinum, prior quidem die 14. Januarii 1538. altera die
„ 21. Martii ejusdem anni. Camillus ille, de quo in ejus vita
„ Italico idiomate conscripta a Josepho Horologgio, ac Venetis
„ typis edita an. 1566. disertis verbis affirmatur, *Che Camillo*
„ *Orsino sia stato non pure il magior huomo che nascesse dell'Il-*
„ *lustrissima Famiglia Orsina così nei maneggi di guerra, come*
„ *nei governi de' popoli, ma ancora che fusse mai in tutta Ita-*
„ *lia*; tanta præterea Christiana pietate insignis fuit, ut in ipso
„ Polus reveritus sit sanctissimum morum præfectum, cui proin-
„ de, & nemini magis, conscientiæ suæ latebras aperire in iis-
„ dem litteris comperitur. At quod spectat ad hujus capitis ar-
„ gumentum, eæ ipsæ, ut dixi, certos nos reddunt, Paulli III.
„ in maximis terrarum orbis curandis utilitatibus ita incensum,
ita

* Vid. l. c. p. 64. 70.

„ ita fervidum fuiſſe ſtudium, ut nihil magis in ipſo deſiderari „ potuiſſe ſibi facile perſuadere poſſint veritatis amatores. Eas „ literas, quas a Camillo Polus acceperat, cenſuit iſte, potius „ quam literas, conſiliorum, atque exhortationum volumen, „ hocque nomine eaſdem inſignivit, ut conſtat ex ipſius reſpon- „ ſo. Quare eidem conſultius viſum eſt, plura earundem exem- „ plaria confici, quæ ſcilicet cum Contareno, & Caraffa com- „ municaret; nam ambos iſtos in negotio tractando cum Ponti- „ fice, Polo conſortes eſſe Camillus optaverat. Æque etiam om- „ nes inter ſe conſortes fuerunt in judicando, earum literarum „ ſcribam dumtaxat fuiſſe Camillum, authorem vero illum, qui „ mutos loqui facit, & ora obſtruit diſſertorum, cujus nempe „ tota foret cauſa illa, quæ in literis illis tractabatur. Itaque „ ſic perſuaſum habentes, Pontificem eo die, quem iſte iis con- „ ſtituerat, adeunt, referenteſque eidem copioſiſſimarum earum „ litterarum ſinguli partes ſingulas (nam tripartito illas inter „ ſe diviſerant) auditi primo fuerunt maxima cum animi inten- „ tione a Sanctitate Sua, deinde ab ea reſponſum tulerunt, cu- „ jus ſummam nobis ſervavit una ex binis illis Poli Epiſtolis, „ habendam utique ceu monumentum auro contra æſtimandum, „ ac propterea dignum, quod recitatis ipſiſmet Poli verbis huc „ afferatur. Ea hujuſmodi ſunt: Cujus (*Pontificis reſponſi*) ſum- „ ma hæc fuit: Cum plura in dies divina bonitas ſuæ volunta- „ tis indicia, in reſtauranda afflictæ Eccleſiæ ſalute præbeat, „ quæ quotide magis magiſque omnium bonorum animos ad ma- „ jores gratiarum actiones accendere debent, tum vero in iis „ non minimum ſignum, vel potius maximum ſe agnoſcere, „ quod de abundantia divinæ gratiæ, & effuſione ejus in te ſpi- „ ritus accepit. De quo etſi magnam cauſam habet præter cæ- „ teros gratulandi, vel antiquæ amicitiæ, vel propinquitatis, „ quod in te ſanguine ſibi conjuncto hanc tantam ſuam miſeri- „ cordiam oſtendere eſt dignatus, tamen multo majorem eſſe „ lætitiam, quam, ut Paſtor Eccleſiæ univerſalis hac de re acci- „ pit, in cujus bonum publicum, & commune, hæc in te dona „ Chriſtum Eccleſiæ Sponſum effudiſſe ſibi perſuadet, & eo ma- „ gis, quod videt, quantum Reſpublica Chriſtiana opus habet „ his temporibus tali & Viro, & belli duce, cum contra infide- „ les ſit pugnandum. Adeo ut ſi de quoquam, adjuvante Dei gra- „ tia, magna ſperare debet, de te quidem maxima, cui Deus „ ea ſpiritus dona dederit, quæ in tuæ profeſſionis hominibus „ jam multis ſæculis non ſunt viſa, & in te cum ſumma om- „ nium admiratione divinæ miſericordiæ, & potentiæ tanquam „ rariſſimum ſpectaculum admirabamur. Quare ſe primum inſi-

N 2 „ ni-

„ nitas gratias infinitæ, & inexhaustæ Dei benignitati agere, qui
„ tali tempore de tali duce Ecclesiæ suæ prospexit, quali ma-
„ xime populus Dei eget, cum contra infideles arma sunt su-
„ menda, qui non tam armis carnalibus, quam spiritualibus con-
„ tra eos uti possit, qualem prorsus te esse judicat, a Deo ipso
„ Ecclesiæ datum, qui docuit manus tuas ad prælium, & digi-
„ tos tuos ad bellum, ut non tam peritia armorum hostes vin-
„ cere, & delere, quam spiritus potentia, victos salvare, & ad
„ Ecclesiæ corpus adjungere, quod Christiano duci maxime est
„ sperandum, omnes merito de te sperent; hac autem spe præ-
„ ter cæteros se maxime frui cum ingenti gratiarum actione
„ horum tantorum in te donorum authori, qui hanc spem de
„ te excitavit. Deinde quod ad consilia, & exhortationes tuas
„ attinet, primum de adhibenda maxima cura, ut sana doctri-
„ na ante omnia in Ecclesia retineatur, & ut interioribus malis
„ primum succurratur, deinde exterioribus; sic quidem ejus
„ Sanctitas respondebat: Etsi nulli rei magis studere se, quam
„ ut hæc ipsa, & hoc modo fiant, quod summum Dei benefi-
„ cium agnoscit, qui ante omnia Concilii universalis indicendi
„ voluntatem, & pacis inter principes procurandæ studium, sem-
„ per post commissam curam universalis Ecclesiæ maxime infu-
„ dit; tamen hanc ipsam exhortationem sic gratam esse, ut,
„ quasi Deo per te exhortante, quo enixius laboret, in eo, in
„ quo nunquam nimis magnum studium poni potest, eandem li-
„ bentissime, & cum summa gratiarum actione audiat, quam
„ videt, quanto ardore spiritus, & caritate in Deum & Eccle-
„ siam, atque quanta animi sollicitudine scripserit. Qua in re,
„ ut habeas interim quo te spe etiam magna consoleris, hunc
„ optimum nuntium de induciis istorum Principum, præter om-
„ nem spem, cum maxime inter eos bellum ardere, & repenti-
„ no regis Christianissimi in Italiam cum maximis copiis transi-
„ tu, videretur, ut ad te scriberem jussit, atque hoc etiam ad-
„ scriberem de sua sententia: etsi induciæ appellantur, tamen
„ ea sane se de his induciis scire, ut verius pacis, quam indu-
„ ciarum nomen habere possent. Quare jubere te nunc, ut bo-
„ no animo esse pergas, de reliquis conforteris in Christo, &
„ sis robustus; habere te nunc, quod maxime in tuis litteris
„ optabas, pacem Principum, & quietem armis, quam sequu-
„ turam sperat eam quietem in religione, quam omnes præci-
„ pue desiderare debemus, cujus procurationi, quam nunquam
„ intermisit, se nunc eo enixius operam daturum, quo magis
„ hac porta a Deo aperta per pacem inter Principes, se ad hoc
„ magis invitari agnoscit. Quod vero ad Illustrissimos Dominos
„ Ve-

„ Venetos attinet, quos præcipue adjuvari ab ejus Sanctitate in „ hoc sancto bello optas, & deberi adjuvari multis rationibus „ ostendis, sic quidem se paratum esse in omnibus, quæ opus „ habent, omni auxilii genere illis adesse, ut, quod tu maxi- „ me cupis, de bonis Ecclesiæ fieri, hoc constanter ejus Sancti- „ tas affirmet, non solum se ut amicum, & confœderatum, sed „ ut patrem filiis cum illis esse conjunctum, &, si pater in filii „ carissimi salute procuranda negligens, aut parcens impensis „ esse potest, se tamen in iis filiis talem esse non posse, neque „ ullum patrimonium in Ecclesia, quod ad suum usum, vel alio- „ rum Ecclesiasticorum malit converti, quam Illustrissimorum Do- „ minorum Venetorum usus in tali causa, & tempore. Qua in „ re illis, quorum maxime interest, abunde satisfacturum pro- „ mittit. Quæ omnia ut ad te scriberem, in mandatis Sua Sancti- „ tas mihi dedit, cui suam, quam a Christo accepit, benedictio- „ nem, cum osculo charitatis mittit. Reliqua quæ pro tempo- „ re hic expedire posset, ut de re frumentaria, quod postula- „ sti, statim ejus Sanctitas negotium suis dedit, ut tibi satisfie- „ ret. Hæc autem omnia tibi jucunda esse non dubito, quæ non „ solum te invitant, ut forti animo in Christi causa milites, sed „ fortiori etiam, si fieri potest, orationes pro ejus Vicario fun- „ das, ut quam diutissime ad Christi honorem, & Ecclesiæ uti- „ litatem sua consilia dirigentem nobis incolumem servet.

ANIMADVERSIO XXVI.

Bene habet, Kieslingi, quod testimonia ista fideliter de tabulis meis recitaveris; rectius, quod iisdem ne verbulo quidem refragatus fueris; optime tandem, quod Poli ad Ursinum literas, quas maximopere comparatas dixi ad comprobandas fervidas Pauli III. curas in Christianæ Reip. salutem (præterquam quod superius p. 72. sq. a te recitatas, operæ pretium duxeris, hoc loco iterum exhibere, quo ipso honore dignatus es Contareni ad Polum literas, tua in hac lucubratione locum nactas æque p. 25. ac p. 50.) hoc proœmio exornaveris: *Operæ pretium est invicta sane testimonia de Paulli Tertii cura, & providentia de Concilio celebrando, prolixius adducere, quum illa, quæ in nitido hoc Opere leguntur, monumenta rara sint, & concertationi nostræ oppido consentanea*. Unum igitur superest, ut fatearis, eorundem auctoritate diremptam prorsus esse controversiam, in qua

qua modo versamur, ac proinde sole ipso clarius lucere sanctum ejus Pontificis propositum de Concilio convocando, & de Ecclesia emendanda, indeque sancte Polum in earum literarum conclusione Deum exorasse, & exorari ab Ursino postulasse, *Ut quam diutissime ad Christi honorem, & Ecclesiæ utilitatem sua consilia dirigentem nobis incolumem servet* Paulum III. ipsius Christi Vicarium.

KIESLINGIUS.

XXVII. *Concilii universalis & liberi indictionem consideraturi, in limine statim monemus, Protestantes gravissimam Decreto, in Conventu Norimbergensi evulgato, insistendi habuisse causam. Ea vero est hujus decreti, quod nobis tradunt* Sarpius *, Seckendorffius ** *norma*: Cum igitur perspicerent, cum eo nihil posse concludi, ad diem XVIII. Aprilis publicatus est recessus; simulque decretum, ut Pontifex de assensu Cæsaris primo quoque tempore indicat liberum Concilium in Germania loco idoneo; atque ut ordines Imperii conveniant Spiræ ad XI. Novembris, deliberaturi, quid esset sequendum, interea dum Concilium habeat initium, ut Principes in sua quisque provincia congregent viros pios & doctos, qui, quæ disputanda sunt in Concilio, colligant. *Repetit illud Imperatoris Caroli V. mandatum ad Imperii Germanici Proceres, ob Concilium intra Germaniam celebrandum clementissime evulgatum*, Sleidanus ***. *Audiamus ipsa hujus mandati verba, prout apud* Sleidanum *jam laudatum fluunt*: Quod insuper consilium ab ipsis petat in hac religionis mutatione, si quid pro salute Reipublicæ possint in medium consulere, facturos id cum libenter, tum ex officio. Nunc ergo cum non solum de Lutheri dogmate sit agendum, verum etiam de multis aliis gravissimis erroribus atque vitiis, quæ longa consuetudine robur assumserint, & depravatis hominum judiciis atque moribus jam excusentur, quod de ipso fateatur: videri sibi non aliam esse commodiorem viam hæc omnia sanandi, quam per pium, liberumque Concilium, quod ipse, & Cæsar, præcipuos orbis Christiani magistratus facile possint in aliqua Germaniæ civitate cogere, Moguntiæ videlicet, vel Argentorati, vel Medi, vel Coloniæ: fore etiam ex utilitate Reipublicæ si primo quoque tempore, & ad summum intra annum ejus fiat initium. *Concilio, quod attinet libero, & intra Germaniæ limites*

* Vid. l. c. Lib. I. p. 54.
** Vid. Histor. Lutheranism. Lib. III. Sect. IV. §. IX. §. 5. p. 21.
*** Vid. Lib. IV. p. 85.

tes habendo, nullo modo sese subtraxerunt Protestantes, sed libero pede se obtulerunt, quod ex ipsorum epistola, ad comitia Spirensia data, evidenter apparet. Legesis Imperatoris mandatum de his comitiis promulgatum, & Protestantium epistolam transmissam apud Spalatinum *, Hordlederum **, *& celeberrimum* Kappium ***. *Videbis ex laudata epistola, Protestantium Duces promtos extitisse, atque paratos, nullaque, quid demum criminis & calumniæ ipsis fuerit impactum, palluisse culpa. Nulla igitur est ratio, ob quam Protestantes Germaniæ Principes, Imperatoris sui indulgentissimi voluntate & mandato suffulti, a suo jure recedere, & se in jura aliena, eaque Italiæ Principum, & potissimum Pontificis, ejurati sui hostis tradere deberent. Nullus profecto*, VIR EMINENTISSIME, *ex purpuratorum numero suis juribus mittet nuntium, & se alienæ potestati, quam Pontificis Romani, faciet obnoxium. Electores & Principes Imperii Germanici Concilium a suo Imperatore, non in Apulia, non in Italia, sed in Germania promissum expectabant celebrandum. Recte igitur huic decreto Norimbergensi inhæserunt in Conventu Smalcaldico anno MDXXXVII. celebrato, uti* Spalatinus **** *tradit. Eam igitur rationem, qua Concilium intra Germaniam petebant, & gravibus moti caussis, Mantuam repudiabant*, Heldio, *Pontificis Legato in Conventu Smalcaldico, ita exposuerant, teste* Pallavicino *****. Idem itaque Heldio responderunt festo S. Mathiæ die, quod anno superiore Vergerio responderant: addentes sibi Ducem Mantuæ haud satis notum: scire quidem, ejus fratrem Romæ esse inter præcipuos Pontificis Senatores, ac proinde illius fidei se se committere nequaquam posse. Addunt ulterius, se non Pontificem, sed alios rerum suarum arbitros desiderare. *Lege ulterius* Pallavicinum ****** *ita edisserentem*: Postremo naviter objectabant, se a Pontifice tanquam hæreticos per diploma proscriptos, ac proinde & illum, & alios, qui ab eo penderent, sibi judices nolle. Sed facile intelligebatur, per ea objecta magis peti Cæsarem, Reges Galliæ, ac Poloniæ, ipsumque Britanniæ Regem, quam Paullum Tertium.

ANIMADVERSIO XXVII.

Adeo verum est, quod jam jam dixi, te ne verbulo quidem refragari testimoniis, quæ de meis tabulis recitasti, ut

* Vid. Annal. p. 85. 95.
** Vid. de Caussis belli tricennal. Tomo I. Cap. IV. fol. 8.
*** Vid. l. Spicileg. P. II. p. 68. seq.
**** Vid. l. c. p. 310.
***** Vid. Lib. IV. Cap. II. p. 116. ****** Vid. l. c. p. 117.

ut ea recitatione absoluta extemplo ad alia divertas, nimirum ad Decretum evulgatum in Conventu Norimbergensi, eaque de ipso tradis, quæ in Sleidani, Sarpii, & Seckendorfii libris legisti. At immensum miror, te Articulum istum verbis Pallavicini claudentem ad ea legenda me in hunc modum invitare, *Lege ulterius Pallavicinum ita edisserentem*: *Postremo naviter objectabant* (Protestantium Duces in Conventu Smalcaldico congregati) *se a Pontifice tanquam hæreticos per diploma proscriptos, ac proinde & illum, & alios, qui ab eo penderent, sibi judices nolle. Sed facile intelligebatur, per ea objecta magis peti Cæsarem, Reges Galliæ, ac Poloniæ, ipsumque Britanniæ Regem, quam Paullum III.* Profecto palam est, te, Kieslingi, minime intellexisse quodnam fuerit illud, quod, teste Pallavicino, *facile intelligebatur*; nam si intellexisses, tui muneris erat, ingenii tui acumen adversus eum Scriptorem exerere. Hic siquidem affirmando, per ea objecta Protestantium, magis peti Cæsarem, & Reges, quam Pontificem, eadem ceu prorsus infirma, & ficulnea exsufflare contendit. An res ita se habeat, judicabis ipsemet ex integro, quem statim recito, Pallavicini loco: *Per ultimo poneano gran forza che il Papa gli havea dichiarati già per Eretici nelle parole della Bolla, e però essi non voler per Giudice lui, ne altri da lui dipendenti. Ma era piano ad intendersi come pur questa objezione molto più feriva Carlo V. il Re di Francia, il Re di Polonia, e lo stesso Re d'Inghilterra, che Paolo Terzo.* Hæc ea sunt, ad quæ legenda me invitasti, ne dicam, coegisti verbis illis, *Lege ulterius Pallavicinum*. Legendum ulterius Pallavicinum, & ipse vicissim tibi propono, verbis ex eo a te allatis statim ista subjungentem: *Poiche gli uni* (Cæsarem, Regesque Galliæ, Poloniæ, & Angliæ intelligit) *erano quegli stessi individui, i quali avevano fulminate contro a' Luterani, come contro ad Eretici, severissime pene: il che specialmente Carlo, e gli altri Prencipi di Germania haveva fatto dopo havergli uditi solennemente in Vormazia, e in Augusta, la dove Paolo Terzo con una enunciativa incidente, la quale non fa prova in giudicio, gli havea nominati*

nati Eretici. Onde se questa ragion valeva, più giustamente potevan allegar sospetti tutti que' Principi, e tutti i sudditi loro, e voler un Concilio ristretto alla sola Dieta Smalcaldica. Ma siccom'essi tutti erano stati una volta Cattolici, e poi convinti, dicevano, dalla verità, s'erano mossi a impugnar quella Fede; così potevano considarsi, che sarebbe il Papa, o almeno i Vescovi, e gli altri della sua parte, quando apparisse loro la stessa luce. Quoniam vero Pallavicini argumentationem istam prorsus intactam reliquisti, hujus quoque exordium silentio a te transigi oportebat, qua ratione causæ tuæ melius consulendo, haud tibi dicendum fuisset, quod nunc dicas, oportet, *Vix limen tetigi, mox sum revocatus ab illo.* Multo cautior Curayerus, qui ad Sarpianam relationem de Smalcaldicis pro Concilii libertate motibus interloqui, seu admurmurare quidquam abstinuit. Seckendorfius vero ratus minime decere hujusmodi taciturnitatem Lutheranæ Historiæ laudatissimum parentem, vires suas adversus eandem argumentationem experiri opus habuit, idque quam infeliciter, colliget quisquis eum ita differentem audierit. *Levis argutia est* (Pallavicini) *cum, Protestantibus sævitiam in Evangelicos, tanquam hæreticos, objicientibus, Reges, & Principes monstrat, eandem exercentes, quos tamen illi ad Concilium omnino adhiberi volebant. Diversitatis enim ratio obscura non est, considerantibus, quod Principes nonnisi ex decretis, & sententiis Pontificum sæviebant, & executorum tantummodo loco essent. Sperari itaque poterat, constituto libero & legitimo Concilio, & examinata causa futurum esse, ut Reges, Principesque cæcum illud in posterum obsequium non sint continuaturi.* Levis hæc est, dicam ipse, Seckendorfii argutia, inepta omnimode, quæ Pallavicini sententiam evertat, aut debilitet, nam sperari poterat, ut, æque ac Reges, & Principes, Episcopi quoque *cæcum illud inposterum obsequium* longius eliminarent, nec amplius crederent ex Pontificis potestate suam pendere, idque pronius forte quam Reges; nam, ex Julii Cæsaris sententia, *homines natura libertati student, & conditionem servitutis odere.*

KIESLINGIUS.

XXVIII. *Interim tamen, ne suo officio laudati Principes ad Concilium evocati deessent, promti pariterque fuerunt ad Concilium, & Lutherus per litteras Electoris excitatus cum Theologis* Articulos Smalcaldicos *adornavit, ut doctores, hujus Concilii socii, scirent quid agendum esset. Lege sodes ipsam* Lutheri, *viri immortaliter de Ecclesia, nec solum Lutherana, sed & Romana meriti, præfationem * quæ ita fluit*: Cum Papa Paullus hujus nominis tertius Concilium indiceret anno superiori circa Pentecosten Mantuæ congregandum, & paulo post ab urbe Mantua alio transferret (unde nondum constat, quo illud convocare, vel velit, vel possit) & nobis quoque sperandum esset, ut ad Concilium etiam ipsi vocaremur, vel metuendum, ne non vocati damnaremur; injungebatur mihi, ut Articulos doctrinæ nostræ conscriberem & colligerem, si forte res procederet, ut constaret, quid, & quatenus Pontificiis cedere, & in quibus capitibus constanter perseverare & vellemus, & possemus. Conscripsi igitur hosce Articulos, & nostræ parti tradidi. A nostris illi recepti, & unanimi confessione approbati sunt, & decretum est, ut Concilio, si quod a Papa, & Pontificiis tandem sine mendaciis, & fraudibus, vero, legitimo, & Christiano modo institueretur, sicut omnino deberet, publice offerrentur, & fidei nostræ confessionem explicarent. *Et paullo post*: Cum autem Romana ista aula seu Curia adeò formidet Christianum liberumque Concilium, & lucem turpissime fugiat, ita ut etiam ipsis Pontificiis spes Concilii Christiani non tantum convocandi, sed etiam ferendi, & concedendi prorsus ademta sit, unde sane offenduntur merito multi Pontificii, & ægre ferunt negligentiam istam Papæ, ac inde facile colligunt, malle Papam interitum totius Christianitatis, & damnationem omnium animarum, quam sui, & suorum vel exiguam saltem reformationem, & quam tyrannidi suæ modum præscribi patiatur; ideo & nihilominus articulos hos in publicum emittere volui, ut si citius ex hac vita evocarer, quam Concilium congregetur, quod ita omnino eventurum esse confido & spero, cum lucifugi isti nebulones nimium in protrahendo, & impediendo Concilio laborent, ut, inquam, ii, qui post me vivent, & remanebunt, testimonium, & confessionem meam haberent, & proponere possent adjunctam confessioni, quam antea publicavi, in qua hactenus constanter permansi, & permanebo deinceps per Dei gratiam.

ANI-

* Vide p. m. 298. sq.

ANIMADVERSIO XXVIII.

Acturus de Concilio Mantuano, quod Paulus III. indixit, nonnulla præmittis ex Lutheri Præfatione ad Articulos Smalcaldicos ab ipso conscriptos. Fraudes, & mendacia, quorum ibidem Pontifex ille insimulatur, & una cum ipso Pontificii omnes, quam juste Luthero ipsi, suisque asseclis exprobrentur, proxima sat apertæ edocuit Animadversio. Quid enim efficacius ad comprobandum declinasse istos a convocatione ad illud Concilium, quam eorundem deliberatio de arcendis ab ipso Episcopis omnibus, seu aliis quotquot Romanum Pontificem pro visibili Ecclesiæ capite agnoscerent, ac proinde (ut unum tantum nominem) vel ipso M. Antonio Flaminio, qui profecto Apostolicum Pauli III. Primatum iis verbis explicavit, quibus nihil honorificentius.

KIESLINGIUS.

XXIX. *Male is omnino ageret, si diceret, Lutherum dicto fuisse inobedientem, & manum in sinum abjecisse. Promptus fuit, neque hanc ex Germaniæ regionibus ad Concilium* Mantuanum *declinavit evocationem. Ast in diem fuit hoc Concilium* Mantuæ *indictum, quia varia se se obtulerunt impedimenta, quæ*, VIR EMINENTISSIME, *bene observasti* *. Prima *remora huic Concilio injecta fuit præsidium urbis, quod suis sumtibus* Fridericus *Mantuæ Princeps noluit sustinere, sed impensas ad milites præsidiarios alendos a* Paulo Tertio *poposcit, quod satis cordate ita refert* Sarpius **: Ubi Concilium jam indictum accepisset, tum demum cœpit de securitate suæ urbis cogitare, & Pontifici per internuntium significandum curavit, quando futurum esset, ut in eum locum tot homines confluerent, necessarium esse tuendæ urbis præsidium; cumque illud non ab alio, quam a se, pendere non debeat, neque tamen suis sumtibus sit alendum; æquum esse, ut Pontifex, qui Concilium ibi celebrandum indixerit, in stipendia præsidiariorum pecuniam subministret. Quibus Pontifex respondit: multitudinem eam non esse militum, aut hominum armatorum, sed Ecclesiasticorum, & literatorum, quibus in officio retinendis sufficiat unus aliquis magistratus, quem ipse modico comitatu, satellitioque fultum, juri dicundo sit præpositurus: præsidiarios vero armatos omnibus fore suspectos, & loco Concilii, quod cum specie, tum re, pacem præ se ferre

O 2 deceat,

* Vid. l. c. p. 61. ** Vid. Lib. I. p. 134.

deceat, parum convenientes. Quod si Concilium satellitio armis munito opus habeat, periniquum esse, ut illud in alterius, quam Concilii ipsius, aut certe Papæ, qui caput est Concilii potestate fiat. *Leve est, quod in hoc argumento contra* Sarpium *attendit* Pallavicinus * *quasi primo concessisset, sed re satis expensa suam sententiam deinceps mutasset. Id enim in confessio est, rem revera a Duce Mantuano esse declinatam, nisi Pontifex sumtus suppeditaret, ut hospitibus & advenis undique confluentibus, de securitate prospicietur, quod non inficiatur* Pallavicinus **. *Nemo hunc ob causam Ducem Mantuanum sub judicum jure vocabit; quia sui officii esse æstimavit, curare, ne quid securitas publica detrimenti caperet. Nec eo nomine sub censuram est vocandus, quod sumtus ad alendos milites præsidiarios poposcit; quia ad faciendos hos sumtus non erat obstrictus*. Altera *causa hujus impedimenti fuit jurisdictio, quam in advenas, cujus demum ordinis essent, & dignitatis sibi reservabat Princeps, quam tamen affectabat* Paullus Tertius. *Audiamus igitur* Sarpium *** *hæc commemorantem*: Cum autem Princeps, qui probe sciebat jurisdictionem trahere secum imperium, replicasset, nunquam permissurum se, ut in civitate sibi subdita, alius, qnam officialis ipsius, jus administret; Papa, qui eximia erat solertia, responsione improvisa (quod raro illi contigerat) ictus, Ducis ministro respondit, se nunquam fuisse crediturum, ab hero ejus, Principe Italo, cujus familia tot tantisque a Sede Apostolica beneficiis fuisset ornata, & cujus frater germanus esset Cardinalis, id sibi negatum iri, quod a nemine unquam fuit controversum, quod leges divinæ, humanæque sibi concederent, quodque ipsi Lutherani sibi negare non possint, nempe, ut Ecclesiasticorum sit supremus judex; immo, quod Dux ipse non adimit Episcopo suo, qui de sacerdotum causis Mantuæ cognoscit. Concilio non alios interfuturos, quam Ecclesiasticos, qui cum familiis suis a foro seculari sint immunes; idque adeo manifestum esse, ut doctores unanimi consensu affirment, etiam concubinas sacerdotum foro subjici Ecclesiastico, cum ille tamen ne unum magistratum admittat, qui tempore Concilii ipsis jus picat. Dux nihilominus propositi tenax mansit, neque Pontifici jus dicendi Mantuæ concedens, & in postulandis militum stipendiis firmiter persistens. Cum autem eæ conditiones Pontifici duræ viderentur, & (ut ajebat) veteribus institutis contrariæ, atque a dignitate Apostolicæ Sedis, libertateque ecclesiastica alienissimæ, non modo assensum iis suum negavit, sed omnino statuit nullum Mantuæ Concilium celebrare, me-

* Vid. l. c. p. 117. ** Vid. l. c. p. 118.
*** Vid. l. c. p. 135.

memor quam male successisset Joann. XXIII. qui Concilium ibi coegisset, ubi alter fuerat ipso potentior. *Hæc non silentio prætcrit* Pallavicinus, *licet illum male habeat, ex inscio homine forte irrepsisse nomen concubinæ sacerdotis; quasi sacerdotes concubinas in suo comitatu habituri essent, quod personæ sacerdotum omnino esset indignum. Ita vero* Pallavicinus *: Contra vero a Mantuano peti milites ipsi obtemperantes, quippe qui jurisdictionem in Ecclesiasticos sibi arrogabat Concilio interfuturos; cui oppositum a Pontifice, non Ecclesiasticos modo, sed vel ipsam sacerdotis concubinam ex unanimi Doctorum sententia eximi profano foro. Quod inverecundum dictum, a calamo (nescio cujus imprudentis Legule) profectum, nulli ex Juris consultis melioris notæ probatur, nisi forte explicetur, eam concubinam in foro etiam Ecclesiastico pro delicto suo posse puniri, nec a Romanis tribunalibus accipitur, quæ neque fori immunitatem omnibus Clericorum famulis generatim concedunt, satis per se quisque intelligit, quanta verisimilitudine id voci hujusmodi Pontificis affingatur, qui ut exemplar prudentiæ vivit in memoria posterorum. Quo pacto autem poterat Mantuanus eam sibi arripere jurisdictionem in Concilio Ecclesiastico, si eam in suæ ditionis Clericos sibi neutiquam adscribebat? *Non curo dissidium circa concubinam, quæ demum persona hoc nomine intelligatur, meretrix ne, an lotrix, an famula; id saltem urgeo. Ducem Mantuanum jus, quod habebat territoriale, recte sibi reservasse, quod neutiquam Principi in sua ditione abjudicari potest. Quis demum ille sit Princeps, dominusque regionis, vel unius saltem lapidis, suam sibi omnino in hospites, si quid in sua ditione moliantur, vindicare solet summam potestatem. Quin & ipsi Legati, summo alias aucti jure & privilegio, certo respectu, si extra orbitam prolabantur, suscipiantque motus in Republica, jurisdictioni aliorum Principum sunt obnoxii, quod documenta sat multa demonstrant. Ne igitur hoc Concilium in suam, qua pollebat, auctoritatem fieret iniquum, summo cum jure prospexit Dux Mantuanus. Alienam igitur Pontifex sibi attrahere voluit potestatem, & summum jus in alieno tractu exercere annisus est, eo saltem nomine, quia esset Concilium virorum ordini sacro addictorum. Ast tam credulus, obediens, & simplex non fuit laudatus Dux, ut suo juri cederet, & suam potestatem in Pontificem transferret.*

Nec titivilitii est tertia, *quæ intercapedinem constituit, ratio, eaque politica, quam ita describit* Sarpius **: Fridehicus Mantuæ Princeps nihil ultra cogitans, quam ut Pontifici gratificaretur, civitatem ei illam concesserat ad Concilium inibi celebran-

* Vid. l. c. p. 118. ** Vid. l. c. p. 134.

brandum; sed bello inter Cæsarem & Galliæ Regem exardescente, ac reluctante Germania, cujus gratia in primis erat institutum, juxta hominum pervulgatam opinionem, nullum ea in urbe conventum expectabat. *Concesserat itaque hanc urbem Dux, ut Concilium celebraretur, sed intellexerat rerum gnarus omnium, hoc Concilium nunquam esse futurum. Cum autem illud urgeret Pontifex, metuebat, justis motus rationibus, ne in tam difficili rerum, & turbulento statu suam ditionem bellis & clandestinis, & publicis exponeret. Facile enim, quod usu sæpe evenit, accidere poterat, ut exortis in Concilio motibus, hæc ipsa urbs fieret belli funestissimi sedes. Quo igitur hæc damna, non sine causa metuenda a suis propulsaret terris, & principiis obstaret, quia deinceps sero medicina paratur, satis prudenter egit, quod de securitate sibi prospiciendum duxit. Quas si quis recta via secum reputaverit, offendet, caussas Ducis Mantuani non e trivio esse petitas; deprehendet denique, quæ demum vera sit causa, & qui anguis hic latuerit sub herba. Protestantes hujus remoræ neutiquam esse auctores, sed ipsum Pontificem alienæ potestatis cupidum, tam pervium est, ut illud nemini manibus gypsatissimis persuadere necesse sit. Evanuit itaque hujus Concilii spes, & ipsum Concilium a* Paullo Tertio, *quod tradunt* Sarpius *, Pallavicinus **, Sleidanus ***, & Seckendorfius **** *est procrastinatum, & suspensum usque ad Calendas Novembris, ita tamen, ut nullus novi Concilii designaretur locus rejecta ceteroquin omni in Ducem Mantuanum culpa. Anceps hæsit bonus* Paullus *Pontifex, quem in locum novum, quod meditabatur, transferret Concilium, id tamen a se impetrare non potuit, ut extra Italiæ fines celebraretur. Quod si nunc quis causam hujus Concilii prorogati in Protestantes transferret, idem ageret, quod in fabula egisse fertur vulpes, quæ insontem de aqua turbata accusavit agnum.*

Animadversio XXIX.

Epistola Contareni ad Polum, quam paulo ante dixi, bis in tua Commentatione recitatam fuisse, tertio hic erat afferenda, quippe quæ haud parum conduxisset imminuendæ auctoritati Sarpianæ narrationis, qua unice fretus causas prorogandæ Mantuani Concilii convocationis exposuisti. Ex ea enim Epistola liquet eam prorogationem contigisse ob caussam, quam memorasti primo loco: alteram causam attulit Sar-

* Vid. l. c. p. 135. ** Vid. l. c. p. 119.
*** Vid. Commentar. cit. Lib. XII. p. 329.
**** Vid. l. c. Lib. III. Sect. XVI. §. 161.

Sarpius, sed Pallavicino contradicente, a quo Curayerus minime dissensit; hicque tertiam causam hisce Onuphrii Panvinii verbis declarat, *Sed mox Ducis, qui Imperatoris vires timebat, rogatu locum mutavit*. Verba ista remorati Concilii culpam a Pontifice amoliuntur, at multo adhuc longius eandem amandat Contareni Epistola illa, & Poli etiam alia ad eundem Contarenum, qua e Belgio ita scribit: *Jubet* (Pontifex) *ut quod commodo meo, & causæ facere possim, reditum maturem, ut in sacro Concilio Mantuæ celebrando præsto esse possim, quo, ut ex ratione dierum colligo, multo ante Sanctitatem Suam puto perventuram, quam ei hæ literæ reddi possint.*

KIESLINGIUS.

XXX. *Interea dum hæc gesta sunt, novam, teste* Pallavicino * *Pontifex suscepit sacrorum emendationem, & inito cum Cæsare & Venetis fœdere, de novo Concilio* Vicentiæ, *in regione Venetorum celebrando ad diem VIII. Octobris cogitavit, quod hieme præsente iterum prorogatum, & ad Calendas usque Majas est translatum. Et ne sui officii partibus deesset* Paullus Tertius, *suos undique emisit Legatos, & pacis nuntios, & futuri Concilii oratores, ut Reges & Principes emollirent, & ad Concilium celebrandum præpararent. Ast saxo durior videbatur* Henricus VIII. *Angliæ Rex, qui contra Concilium, &* Mantuanum *&* Vicentinum *litteras evulgavit, in quibus Pontifici omne denegavit obsequium, quod male habet* Pallavicinus **. *Invitavit quidem Pontifex ex omnibus in Germania ditionibus Legatos, ut Concilium sua præsentia collustrarent; sed nova injecta est remora. Veneti enim rerum suarum studiosi, ne sibi molestias & suspicionem attraherent apud Imperatorem Turcarum, quocum fœdus inierant, testibus* Sarpio ***, & Pallavicino, **** *hanc urbem & rempublicam periculo exponere noluerunt. Spectaculo propemodum simile est hoc Concilium* Vicentiæ *indictum. Montes parturire visi sunt, si apparatus, & varias legationes hinc & inde institutas contempleris; sed ridiculum enatum est Concilium. Tribus enim vicibus est mutatum, & tandem spes omnis exspiravit. Concilium die octava Octobris anni MDXXXVIII. indictum ad Calendas usque Majas*

* Vid. Lib. IV. Cap. V. p. 121.
** Vid. Lib. IV. Cap. VII. p. 126.
*** Vid. Lib. I. p. 164.
**** Vid. Lib. IV. Cap. IX. p. 132.

Majas transmittitur. Esto, itineris incommoda esse ponderanda, & propterea justam habuisse Paullum Tertium *prorogationis causam, quod* Tibi *concedo; non tamen labe caret Pontifex, quod initium hujus Concilii simpliciter ad Calendas Majas reposuit, sibique in scrinio pectoris ipsum inchoandi Concilii diem reservavit. Novum illudque egregium Concilium, quousque demum libuerit, differendi medium. Hæc non comminiscor, sed bona fide ex* Raynaldo * *recito; qui Pontificis voluntatem publica epistola expressam ita refert:* Cupiens autem ante omnia dubitationis occasionem aut difficultatis, quæ circa inchoationem, aut aperitionem dicti Concilii, aut alias circa ipsum Concilium, modo aliquo oriri posset, tollere, & amputare, de eorundem fratrum consilio & assensu statuimus, & ordinamus, non solum dictum Concilium, etiam postquam dicta dies Kalendarum Maji venerit, inchoandum, aut aperiendum non esse, verum etiam generaliter diem ipsius Concilii inchoandi in aliam diem, per nos, de dictorum fratrum consilio declarandam, differendum fore, prout differimus. Declarantes, quod ante declarationem hujusmodi per nos, ut præfertur, faciendam, etiamsi eam post diem dictam Kal. Maji fieri contigerit, ipsum Concilium nullo modo cœptum, nec apertum sit, nec esse censeantur, nec per adventum dictæ diei Kal. Maji incipiat, aut aperiatur, aut incipi, seu aperiri valeret: immo dies ipsa inchoandi, aut aperiendi Concilii ante declarationem prædictam nullo modo cadat, aut veniat, nec venire, aut venisse quoquo modo dici possit, aut debeat, neque ab omnibus, quavis auctoritate fungentibus, sublata eis quavis alia judicandi, ac interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & interpretari debere decernimus, non obstantibus indictionis, & prorogationum dicti Concilii literis, in quibusvis constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo &c. Datum Placentiæ anno incarnationis dominicæ MDXXXVIII. VII. Kal. Maji Pontificatus nostri anno IV.

ANIMADVERSIO XXX.

De novo Concilio Vicentiæ indicto bina sunt Pallavicini Historiæ loca, ad quæ Lectores remittis, nimirum Lib. IV. Cap. V. & Cap. VII. ac silentio præteris ejusdem Lib. Cap. VI. etsi in postremo isto ea legantur, quæ ad concertationem nostram faciunt, cui bina illa priora nihil prorsus conducunt. Omissionem eam tuam ipse supplebo. Accipe ergo

* Vid. l. c. ad ann. 1538. n. 34.

ergo quæ Cap. illo sexto Pallavicinus edisserit. *La seconda imputazione data a Paolo dal Soave in questo fatto è intorno al Concilio. Per intendimento della quale si dee sapere che havendo il Papa ricercati que' Prencipi di mandarvi presentemente i Prelati ch'erano in lor comitiva, e poi tosto gli altri de' Regni loro: amendue chiesero dilazione, allegando che nè conveniva che i primi imprendessero soli un'opera così ardua, nè i secondi erano in termine prossimo di venire, onde nuovamente il Pontefice prorogò il Concilio in Genova, fin alla Pasqua futura con esprimere ch'il faceva in grazia sì di Cesare, e del Fratello, come del Re Cristianissimo.* Accipe modo verborum hujusmodi, quam Sarpius tradit, interpretationem: *Restò tanto facilmente sodisfatto il Papa della risposta, che lasciò dubbio, se più desiderasse l'affermativa, che la negativa.* Aculeum istum manifestæ improbitatis insimulat Pallavicinus, quin Sarpio suo Curayerus opituletur, quippe qui allatis Pallavicini verbis, videlicet, *E se il Pontefice non fu duro alla concorde lor petizione sopra l'indugio del convocarlo, non sapeva il Soave &c.* ista tantum subjungit: *C'est a dire qu'au fond il convient du fait, mais qu'il croit, qu'il y a trop de malignité dans la reflexion de Fra Paolo, & dans la consequence qu'il en tire, puisque si le Pape ceda si aisement, c'est parce qu'il lui étoit impossibile de ne le pas faire.* At operæ pretium est ea etiam verba recitare, quibus Pallavicinus Caput illud VI. quod intactum, ut dixi, reliquisti, concludit. Post allatas in medium quinque rationes, unde constabat, necessariam prorsus esse Concilii dilationem, hæc tandem habet Pallavicinus: *Sembrano queste ragioni forse di picciol conto? Ma dimentichiamole tutte. Non era molto che le tre principali Corone s'accordassero in domanda? Chi più di Carlo haveva desiderato il Concilio &c. Da che Egli dunque ne richiedeva la dilazione, si rendeva indubitabile ò l'impossibiltà ò la sconvenevolezza di ragunarlo in quel tempo. E videsi, che i Tedeschi sì avidi per addietro d'un presto Concilio, in quell'occorrenza non hebber pure una lingua, che si lagnasse della prorogazione.* Earum omnium rationum prorsus ignarum te præbens, novam ipse de

P tuo

tuo profers, hancque justam fuisse, mihi (qui tamen nullum de ea verbum feceram) concedis. Verum enimvero non ego tibi concedam, justam esse labem, quam ibidem Paullo III. inussisti, quod in scrinio pectoris sui diem inchoandi Concilii reservaverit, aisque, *Novum, illudque egregium, Concilium, quousque demum libuerit, differendi medium*. Medium istud quo pacto festinandæ Concilii convocationi magis inservire posset, quam dies eidem certo constitutus, Pallavicinus Cap. IX. ejusdem libri tibi explicabit; ipse vero addam, tam Sarpium, quam Curayerum multum abfuisse, ut labem illam Paulo Pontifici improperarent. Sarpius siquidem eam Concilii suspensionem *a beneplacito del Papa, e della Sede Apostolica* ne verbulo quidem exagitat, ejusque Interpres Curayerus Litteras Pontificias ex Raynaldo a te recitatas indicasse contentus, ab omni & ipse contumelia abstinet.

Kieslingius.

XXXI. *Satis astute versatus est* Paullus *Pontifex in hoc negotio. Et hoc modo in ipsius potestate fuit situm, res serias procrastinare, & Concilium non solum ad Calendas Majas, sed &, si libuisset, Græcas transferre. Commoda sese obtulit occasio, Concilium a Calendis Majis usque ad Festum Paschatis protrahendi. Nimirum Pontifex, qui alias ex sua dictatoria auctoritate egit, jam mitiora spiravit consilia, & cum Imperatore, &* Francisco *Galliarum Rege de tempore Concilii inchoandi deliberavit. Recitemus* Raynaldi * *verba*: Visum est, *inquit*, Pontifici, consulendos esse Cæsarem, & Franciscum Regem Francorum de celebrando Concilio, ut mutua animorum consensione ad præsules ad illud se suis regnis mittendos conspirarent. Eos vero prorogandum censuisse Concilium ob Turcici belli apparatum narrat Jacobus Sadoletus Cardinalis in litteris ad Joannem Cochlæum datis, nullam vero retardandi illius datam a Pontifice occasionem scribit. *Promulgarunt itaque novum aliquod de celebrando & inchoando, Festo Paschatis, Pontificis Legati decretum Genuæ XXVIII. Jun. MDXXXVIII. quod videre est apud* Raynaldum **. *Leguntur quoque ipsius Pontificis mandata hunc in finem edita*. Tertia *nunc vice Concilium dilatum ad ann. MDXXXIX. tantos in Germania excitavit motus, & clancularias susurrationes*,

* Vid. l. c. n. 31.
** Vid. l. c. n. 35.

net, ut Pater purpuratus Sadoletus *necesse habuerit*; *omnem Georgio Duci Saxoniæ adimere suspicionem retardati Concilii, & hac ad gloriosæ memoriæ Principem transcribere, quæ ex* Raynaldo * *refero*: Extortam porro temporum calamitatibus ac necessitate eam prorogationem scripsit Jacobus Cardinalis Sadoletus ad Georgium Ducem Saxoniæ his verbis: Cum tui desiderii eventum jam bona ex parte videamur nacti, duobus Principibus amicitia junctis, bello tetro, atque exitioso per inducias dilato, aut (quod ego malim) penitus sublato, spe pacis injecta, quam avidissime cuncti, & ardentissime expectamus, reliqua est cura, & cogitatio conventus publici, qui in urbe Vicentia, loco opportuno, & libero, omnibus, qui Christiana religione censentur, est indictus: post aliquas temporum prorogationes, quas necessitate fuisse expressas, qui sine cupiditate judicant, possunt facile cognoscere. Eo in conventu si concursus fuerit is, qui ad rem tantam requiritur, non diffido fore, quin non ad injustam cujusque potentiam, sed ad bonum commune consilia conferantur. Præsertim si Tu, & qui virtutum ac religionis tuæ imitatores sunt, Concilio interesse studuerint. Et paulo post: Non igitur quæro, quo pacto in Concilio me geram, sed quemadmodum erga adversarios Lutheranos mihi agendum sit, qui primum dubito intersuturi sint Concilio, nec ne. Quanquam si pax vobis divino beneficio donata fuerit, Imperatore Carolo soluto a bellicis curis, facile (ut arbitror) cogi poterunt, ut intersint, *Misera profecto & exilis Concilii dilati excusatio. Quasi vero Lutherani fuerint in mora, quominus agitatum fuerit Concilium* Vicentiæ *indictum. Monstro hoc simile est. Lutherani non reformidarunt Concilium, sed ipse Pontifex illud in diem, uti exposui, rejecit. Quid quæso opus erat coactione de qua scribit* Sadoletus? *Lutherani promti paratique erant, ut in arenam cum Romanensibus descenderent, & periculum facerent. Impudicæ erit frontis homo, qui culpam retardati Concilii in Lutheranos transtulerit. In aprico enim est, ex ipsis Ecclesiæ Romanæ scriptoribus* Paullum Tertium *hujus impedimenti fuisse reum.*

ANIMADVERSIO XXXI.

Exorsus es articulum istum intentata, seu denuo inculcata adversus Paulum Pontificem procrastinati Concilii accusatione, quam tamen refellunt vel ipsi Scriptores a te in testes adhibiti, nimirum Raynaldus, & Sadoletus; nam

 uter-

* Vid. l. c. n. 36.

uterque fatetur, temporum calamitatibus extortam fuisse ejus Conventus prorogationem, adeo isti distant, ut eandem Paulo III. vitio vertant. Incredibili igitur confidentia, post recitata eorundem Scriptorum testimonia, ipsum articulum ita concludis: *In aprico enim est, ex ipsis Ecclesiæ Romanæ Scriptoribus Paullum III. hujus impedimenti fuisse reum*. Apricum illud tuum memorat mihi Apricæ stationem, ex qua exordium capit clivus abruptus & præceps, unde ante tres menses ex Valle Camunica in Vallem-Telinam descendi. Æque enim in abruptum barathrum me defert tortuosa concertationis tuæ ratio, dum iis testimoniis, quæ sententiam tuam palam evertunt, ita uteris, ac si eandem palam comprobarent; quare contingit, ut filo identidem destitui me sentiam, quo *cæca regam vestigia*. Præter Sadoleti literas, quarum partem ex Raynaldo recitas, alias ille dedit pariter ad Georgium Saxoniæ Ducem, curam, consilium, & sapientiam Pontificis in obeundo suo munere his verbis commendantes: *Cum habeamus Summum Pontificem nil aliud cogitantem dies, & noctes, quam quo pacto ista, quæ dissidiis & alienationibus animorum distracta sunt, in unum quasi corpus coalescant, eundemque consilio, & sapientia singulari, hoc tanto munere Dei immortalis ad commune bonum Christiani nominis omnibus uti nobis licebit*. At male te habet quod Sadoletus in literis, quas affert Raynaldus, scripserit, soluto Imperatore a bellicis curis facile cogi posse Lutheranos, ut Concilio intersint. *Misera profecto, & exilis*, ais tu, *Concilii dilati excusatio. Quasi vero Lutherani fuerint in mora, quominus agitatum fuerit Concilium Vicentiæ indictum. Monstro hoc simile est. Lutherani non reformidarunt Concilium, sed ipse Pontifex illud in diem, uti exposui, rejecit*. An prompti, paratique forent Lutherani, ut Concilio Vicentiæ indicto se sisterent, an vero cogendi, Sadoleto omnium certissime utique innotuit, nec quisquam eo ardentius Conventum illum exoptavit, aut alius uspiam Præsul Catholicus mansuetius, quam ipse, cum Lutheranis agere in more habuit. Itaque coactionem, de qua idem scribit, æque dolenter ac vere testatum eundem fuisse credendum

dum est. At credidisses saltem, Kieslingi, Henrici Angliæ Regis adversus Concilium, pariterque Lutheri, Smalcaldicique Fœderis contestatis denuntiationibus, quas superius non memorasti tantum, sed suffragio tuo confirmasti.

Kieslingius.

XXXII. *Sic itaque denuo* Paullus Tertius *pacis hortator vana, & inani Concilii spe lactavit Germaniam. Nec ulla animum meum subit admiratio, Concilium* Vicentiæ *indictum, hunc habuisse eventum, quia eadem propemodum, quæ in* Mantuano *fuerant, in hoc quoque se se obtulerunt impedimenta. Animus statim præsagiebat Protestantibus, aliquid monstri alere Pontificem, dum manibus pedibusque impediret, quominus Concilium intra Germaniam celebraretur, quod ipsis tamen ab Imperatore erat promissum, quod* Carolus *Quintus plus una vice serio intenderat. Non adeo niger est* Jacobus Augustus Thuanus * *ut ipsius testimonium, de querelis moribundi Imperatoris* Caroli V. *in* Paullum Tertium *effusis, sublestæ esse fidei, statuam. Refert autem* Thuanus *inter varia Imperatoris monita filio regio, eique hereditario, data*, Multa de Paullo Tertio questum fuisse, cujus bonam fidem in Concilii celebratione procuranda requirebat. *Veneti justis ex causis hoc Concilium poterant suis e terminis eliminare, ne Ottomannum Imperatorem Turcarum deducerent in suspicionem, pace jam inita, se nova moliri consilia. Certe tam insignem Christianorum, & quidem a Regibus & Imperii Germanici Optimatibus emissorum multitudinem suo imperio minacem æstimare poterat Ottomannus, ita quidem, ut Venetis denuo bellum inferret. Quicquid igitur hujus rei sit, id omni caret dubio, Pontificem male defunctum esse sua sparta, quod talia saltem elegerit Conciliorum habendorum loca, quæ nimis remota & dubia fuerunt. Atque hoc argumento omnino inducti sunt Protestantes, rem Pontificem non serio agere, sed moras tantum nectere. Quid enim, quæso, Germaniæ Principibus negotii Mantuæ? Quid Vicentiæ? Illa remota loca, cur declinarent Germaniæ Proceres, causas habuerunt satis æquas & firmas. Locus Concilii liberi non extra, sed intra Germaniæ terminos ab ipso Imperatore erat designatus, & quidem, more Majorum, finitimus, ut eo facilius confluere possent totius Imperii, & Germaniæ Proceres, & oratores. Et si vel maxime hoc forum admittere noluissent Protestantes, culpa tamen prorogationis in solum redundat Pontificem, qui magis circumspecte agere, neque ejusmodi Concilii*

* Vid. Histor. lib. XXI. p. 405.

cilii liberi urbes seligere debebat, quæ aliquod impedimentum conventui indicto facile ponere poterant. Nemo itaque Henrici VIII. *Angliæ Regis judicium merito ac jure insulsum dixerit, quo, teste* Sleidano, * *in scripto, Concilio Vicentiæ indicto cum sale opposito, in hæc prorupit verba*: Quod per Mantuæ Principem se se purget Paullus III. esse ridiculum. Etiam cum tantam potestatem sibi arroget, cur non illum cogat? Si non possit, cur ad locum incertum, & quem in sua potestate non habuit, homines venire jubeat? Nunc, etsi Vicentiam delegerit ad eamrem, non dubium tamen esse, quin Veneti, tanta prudentia viri, non magis, quam Mantuanus, urbem suam tanta hominum multitudine velint absque militum præsidio compleri, & futurum, ut eadem sit ibi, quæ Mantuæ, solitudo. Ludibrium igitur esse, quicquid agit, neque tam effrenem licentiam ei diutius concedendam. Legitimis quidem Conciliis nihil esse melius, nihil salutare magis, cum autem ad privatum emolumentum atque commodum, ad confirmationem aliquorum potentiæ referuntur, incredibilem illa reipublicæ calamitatem adferre.

ANIMADVERSIO XXXII.

Bonam Pauli Pontificis fidem in Concilii celebratione procuranda pergis ergo, Kieslingi, in dubium vocare, audacterque pronuncias, eundem male defunctum esse sua sparta, indeque ductos juste fuisse Protestantes ad credendum, rem ab ipso non serio agi, sed moras tantum necti. Dum hæc loqueris, haud ullus erit, qui non adducatur ad credendum, multum te abesse a probandis Concilii Tridentina in Urbe celebrandi recusationibus, quas ex *Evangelicorum* Scriptis lato calamo recenset, ac recitat Seckendorfius l. III. Sect. 33. §. CXXX. Earum enim potissima, & princeps omnino causa est, *Quia Pontifici jus non sit Concilium convocandi, sed id ad Imperatores pertineat*. Itaque potius quam causari Paulum III. *qui*, ut ais, *magis circumspecte agere, neque ejusmodi Concilii liberi urbes seligere debebat, quæ aliquod impedimentum Conventui indicto facile ponere poterant*; criminí dandum ei Pontifici erat, quod spartam non suam adornare susciperet, quod serio se immisceret in negotio, quod ad alienum officium pertineret. Huic viæ insistens, Melan-

* Vid. Lib. XII. p. 344. conf. Seckendorff. l. Commentar. Lib. III. Sect. XXXIII. §. CXXX. n. 21. p. 610. qui has rationes uberius exponit.

Melanchthonis deinde ſententiam de judicio in controverſiis religionis conſtituendo ſi adoptaſſes, nihil mirarer: *Facile eſt* (ait iſte in Enarratione in Evang. Matth. VII.) *reſpondere ad uſitatum argumentum adverſariorum: Diſcedens ab ordinariis in Eccleſia poteſtatibus peccat: Lutherani, quos illi vocant, diſcedunt ab ordinaria poteſtate Eccleſiaſtica: Ergo & cetera. Reſpondeo primum ad Majorem. Diſcedens ab ordinaria poteſtate Eccleſiaſtica, ſcilicet ſine mandato Dei. Deinde ad Minorem, Lutherani diſcedunt, ſed faciunt hoc mandato Chriſti coacti, quo jubentur ſibi cavere a pſeudoprophetis: Sed hic diligenter videndum eſt, ne prætextu hujus mandati concedatur* δημοκρατία *in Eccleſia, quo ſtatu nihil nocentius excogitari poteſt*. Nulla, inquam, admiratio me ſubiret, ſi cum Melanchthone ita ratiocinareris. At accipe quæ ipſe repoſiturus forem. Id, quod *diligenter videndum* affirmat Melanchthon, illud eſt quod nullo pacto reapſe perſpici poſſe affirmamus Catholici, ſiquidem ab ordinaria poteſtate Eccleſiaſtica diſceſſeris. Quæ enim ratio cavendæ poſt eum diſceſſum temeritatis in judicando? Subdit idem Melanchthon: *Debet igitur fieri communicatio de doctrina cum aliis piis, & inquiſitio veritatis, qua inventa, ille credere debet, qui audit magis conſentanea Scripturæ ab alio offerri, juxta illud Pauli: Si fuerit revelatum ſedenti, taceat prior. Illa vero concertatio, qua ſuam quiſque ſententiam ex invidia, aut ambitione defendit pertinaciter, non fit propter inquiſitionem veritatis. Ergo non eſt propria piorum*. Conficiamus nunc, Kieslingi, ex Melanchthonis ſententiis iſtis nos quoque Syllogiſmum in hunc modum: Concertatio qua ſuam quiſque &c. Atqui, ex invidia, ambitione, & pertinacia atrociter a ſe invicem diſſenſerunt novarum Sectarum magiſtri, ut ex eorumdem Epiſtolis, quas ipſorum tabularia ſubminiſtrant, demonſtravi in litteris ante tres menſes a me datis ad Præſulem Cœnobii Deſertinenſis: Ergo, non fuit propria piorum. Crede mihi, Kieſlingi, nugæ ſunt, & tricæ quæcumque a vobis proferuntur adverſus bonam fidem Pauli III. in cogendo Concilio, in hujus loco, & tempore definiendis; quandoquidem id unum vobis

vobis propositum erat, quocumque loco, quocumque tempore Conventus ille haberetur, Ecclesiæ in eo convocatæ authoritatem despicere, ex mandato Christi, quemvis jubentis sibi cavere a pseudoprophetis.

Kieslingius.

XXXIII. *Oratio nunc ad Concilium* Tridentinum * *anno* MDXLII. *indictum esset transferenda, sed quia Tibi* Vir Eminentissime, *placuit, hoc argumentum maximi momenti & ponderis in vita* Paulli Tertii *præterire sicco pede, & alii forte tempori reservare, quia Tibi constitutum est, gesta* Paulli Tertii *primo saltem ejus Pontificatus quinquennio tradere, vela quoque retrahenda esse statuo. Paucis tamen adhuc meam sententiam de animo Pontificis erga Protestantes exponam, demonstraboque, hunc Pontificem rebus Lutheranorum parum fuisse amicum, adeoque ipsius pacis & unionis restituendæ consilia fuisse violenta, & summo Christi Vicario prorsus indigna. Obstupescit animus, consideraturus ea, quæ in Conventu Hagenoviensi ad annum MDXL. acta sunt. Legati enim Pontificis* Paulli Tertii, Farnesius, & Cervinus, *deposita omni verecundia, excussaque omni religionis pietate, palam hæc sunt professi coram Imperatore, uti tradit ex* Raynaldo, Pallavicino, & Sleidano, Sechendorfius **. Si autem Majestates suæ absque mala concordia religionis nihil contra Turcam obtinere possent, videndum est, quod sit majus detrimentum, & quid cedat in majorem Dei offensionem: an ipsius Dei veri cultum, ac religionem destrui; (quod fieret, quando Germania in malo per Concordiam conveniret) an ipsius Germaniæ auxilio contra Turcam destitui? Non enim facile discerni potest (ut Christiane loquamur) qui sint inimiciores Christo, Protestantes, an Turcæ? quia hi captivant, & occidunt corpus; illi captivas ducunt animas, & in perditionem trahunt: non cogunt hi religionem mutare, illi sub specie boni corrumpunt religionem ac destruunt.. *Ecquis, Bone Deus! cum veritate adseret, Protestantes esse hostes Christi magis ejuratos, quam Mahumetanos? Doctrinæ capita, quæ tunc temporis urgebantur, & agitabantur, non e Corano sunt petita, sed ex puriori Scripturæ sacræ fonte hausta. Forma doctrinæ, quam profitemur, non Lutheri est inventum, sed illam divinis Jesu Legatis, Apostolis, & ipsi Christo doctori nostro falli nescio, ferimus acceptam. Nec ulla nos inter, & Romanenses esset dissensio, si Romana Ecclesia huic*

* Vid. l. Raynald. ad an. 1542. n. 12.

** Vid. lib. III. Sect. XXI. §. LXXIX. Addit. 11. & p. 275.

huic doctrinæ Apostolicæ constanter fuisset addicta; sed quantum mutata sit ab illa, ex totius corporis compage demonstrarunt Nicol. Hunnius *, *&* Jo. Guntherus **, *viri de Ecclesia nostra hoc etiam nomine bene meriti. Quæ criminatio in Lutheranos temere effusa, non solum religionem in discrimen & suspicionem deduxit, sed & odium Romanensium erga nos plus quam Vatinianum luculenter demonstravit. Malæ causæ est testimonium, in examine doctrinæ aliquo modo suspectæ primordia a calumniis & cavillationibus capere. Si* Paullus Tertius *judex & arbiter esse voluit, liber omnino esse debebat a partium studio, nec unquam permittere, ut religio nondum in Concilio universali examinata convitiis proscindatur, quin & sententia nondum lata damnetur. Verum hic est tritum sermone proverbium, Calumniare audacter, semper aliquid hæret. Exteri, ad quos sero delata sunt doctrinæ a Luthero expurgatæ capita, vago perculsi rumore, & nimium Pontificum innixi auctoritate, Lutheranos Mahumedanis pejores æstimarunt, & quid distent æra lupinis, non dijudicarunt. Nostræ doctrinæ summa vel rigorosо submissa examini, nunquam Mahumedanæ superstitionis nedum primitivorum hæreticorum personam recipiet. Difficile erit demonstratu, religionem Lutheranam cum Mahumedana conspirare superstitione. Nemo profecto id pacis & concordiæ fuisse indicium, ex vero dixerit. Proletaria sunt hæc ad unionem restituendam media, quæ aversatur purpuratus* Richelius *** *saniora a veritate Religionis Romanæ suppeditans principia, paci, & unioni magis amica.*

ANIMADVERSIO XXXIII.

Quandoquidem, etsi Commentationis tuæ vela tibi forent retrahenda, ne extra quinquennium, Opusculo meo de Gestis Pauli III. constitutum, evagareris, genio tuo indulgens in medium attulisti Scriptum in Conventu Hagenoviensi a Legatis Pontificiis Cæsari exhibitum, id primum a te quæro, num in eodem (quod Raynaldus integrum recitavit, & Seckendorfius post ipsum) observaveris a prima ejusdem linea usque ad postremam, necessitatem Concilii quam citius celebrandi ita inculcari, ut sincerum de ea convoca-

Q

* Vid. Apostasia Rom. Eccles. 1638.

** Vid. ej. solid. demonstrat. quod Ecclesia Lutherana sit Apostolica, Romana vero Apostatica. Lips. 1708.

*** Vid. Traitè, qui contient la methode la plus facile, & la plus asseurèe pour convertir ceux, qui se sont separez de l'Eglise, a Paris MDCLI.

vocatione Pontificis propositum diffiteri nemini fas esse possit, nisi (ut tua verba huc aptem) *deposita omni verecundia, excussaque omni veritatis religione*. Clausulam tantum ejus Scripti recitabo quæ hujusmodi est. *Rmus D. Legatus est & hujus sententiæ, ut Concilium ante omnia celebretur, convocetur hoc anno, ut in Conventibus Germaniæ nihil de Religione tractetur, ut Fœdus Catholicorum augeatur, & corroboretur, ut eo Fœdere aucto Protestantes omnibus modis ad Concilium alliciantur: interim vero concludatur pax cum Rege Gallorum, & colligantur auxilia ex omnibus partibus contra Turcam*. Deinde quæro, quare verecundiæ pariter, & veritatis legibus adactus, comparationem non institueris inter damna, quæ Mahumedani captivorum corpori inferunt, & ea, quibus Protestantes captivas animas ducunt, & in perditionem trahent? Hæc ea est comparatio, quam urgent Pontificii Legati, non vero inter doctrinæ capita, de quibus ne verbum quidem in eo scripto. In Articulo ejusdem scripti, quem unice recitas, si Seckendorfium audiamus, *sentina quædam calumniarum, & convitiorum deprehenditur*. Ita quidem, si ii essent Protestantes, cujusmodi idem Seckendorfius ibidem describit, *qui per fidem in Christum unice salutem quærunt, & fidei per charitatem exercendæ student*. Contra vero dicendum, si fidei, & charitatis jura omnia suo e Catholica Ecclesia discessu pessumdedisse comperiantur.

KIESLINGIUS.

XXXIV. *Displicent porro acuta, & violenta, quæ hic* Paullus Tertius, *uti supra commemoravi, suggessit Imperatori* Carolo V. *consilia, rei Lutheranæ omnino exitialia. Sed mala consilia, quod rerum eventus satis confirmavit, consultori plerumque sunt pessima. Idem accidit* Paullo Tertio. *Evenerunt deinceps non solum inter nepotes* Aloysium, *&* Octavium, *sed & inter ipsum Pontificem & Imperatorem simultates, ut sibi ab ipso Imperatore metueret, & teste* Abrahamo Bzovio *, *præ animi mærore naturæ debitum redderet. Malum hoc Curiæ Romanæ domesticum, quod lacrymis appellatur majus, oppido est auctum infelici Concilii*

* Vid. Continuat. Annal. Tom. XX. ad an. 1549. §. V. p. 194.

cilii Tridentini ex sententia successu. Distulerat Pontifex, quamdiu fieri poterat, Concilium liberum, modo Mantuæ, *modo* Vicentiæ *celebrandum spe fretus: interim aliquid fit. Quæ Concilii prorogatio non levem in animis exterorum excitavit opinionem, Pontificem reformidare Concilium universale, & liberum, quam sententiam* Franciscus a Victoria *, *vir non infimi inter Hispanos loci, his professus est verbis*: Ab eo, inquit, tempore, quo propter novas opiniones doctorum Pontifices cœperunt timere Concilia, Ecclesia manet sine Conciliis, & manebit cum magna calamitate, & pernicie Ecclesiæ. *Pontifex itaque his clancularriis inter ipsos Romanenses sermonibus in pudorem datus, de Concilio Tridentino convocando cogitavit. Ast hoc in Concilio nova sese obtulerunt impedimenta, quæ Protestantes, nec illos solum, sed totam Ecclesiæ spem exoptati eventus defraudarunt. Præter enim quam quod prævidebat prudens ille senex* Paullus Tertius, *Germaniæ Principes hoc Concilium omnino esse repudiaturos, tanquam minus liberum, Pontifice summam dijudicandi auctoritatem affectante, sibi etiam in primis a Gallis metuebat. Non sine ratione suspicabatur Pontifex, Galliam Romanæ Curiæ valde esse minacem, futurum proinde esse, ut Gallia ad Concilium* Tridentinum *invitata & evocata non solum in stabiliendis, & confirmandis doctrinis, Romanæ Sedis auctoritatem imminuentibus, sed & in urgenda deperditæ disciplinæ Ecclesiasticæ emendatione admodum tenax existeret.* Pallavicinus ** *hæc pericula Romanæ Curiæ a Concilio universali imminentia non reticuit, sed tam ingenue scripsit.* Synodum Oecumenicam tentare, nisi urgeret extrema necessitas, perinde est, ac Deum plane tentare, & congregationem cogere, unde periculum immineret, ne in dissipationem Ecclesiæ perverteretur.

ANIMADVERSIO XXXIV.

Querimoniis, quas millies ingeminasti ob dilatum Concilium, probari flagrantissime a vobis concupitam fuisse ejusdem convocationem, nec ipse Judæus Apella crediderit, cui scilicet compertum sit, vos ad illud, statim hac in conspectum vestrum se dedit, exhorruisse, ceu ad donum exitiale Romanæ Sedis. Equidem, ut primo accepistis indictum istud fuisse Tridentum, ea ipsa vestrûm omnium menti sententia sedit, quam spectata Trojani equi mole Capys ille pro-

* Vid. And. Schotti Hispan. Biblioth. Tom. II. p. 232. Relect. IV. 11. 21.
** Vid. Histor. Concil. Tridentin. Lib. XVI. Cap. X. §. 9. p. 290.

pronunciasse fertur; quare inter vos quoque extemplo haud defuit Laocoon ardens, qui, magna comitante caterva, summa decurrens ab arce exclamaret,

Et procul, o miseri, quæ tanta insania, Cives,
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Ulysses?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros.

In vestros utique muros fabricatam fuisse Tridentini Concilii machinam, pronum vobis erat suspicari, siquidem ei cogendo Romanus Pontifex sese immiscuerat, primasque idem partes gerere debebat in rebus controversis definiendis, postquam Episcopi, præhabitis Theologorum consultationibus, suffragia sua exposuissent. Quid aliud hæc omnia vestro judicio, nisi donum, ut dixi, Romanæ Sedis exitiale? Convocatio illa, primæ illæ partes, ea suffragia, eæ consultationes, nil mirum, si oculis vestris horrendi Concilii faciem exhiberent, quandoquidem fixum animo vestro erat, ad illud rite & recte celebrandum opus prorsus esse ea singula monstra longissime submoveri.

Pallavicinus, quem pericula a Concilio Universali imminentia non reticuisse, sed ingenue fassum fuisse scribis, non ad *Romanæ Curiæ* (ut ipse de tuo parum ingenue addidisti) sed ad Ecclesiæ universæ pericula respexit; namque hæc ejus sunt verba loco a te citato; *che la lezione di questa mia Istoria, ov'ella non partorisse altro frutto, leverà uno scandalo assai comune di persone zelanti, ma non esperte negli affari civili, e nel corso del presente mondo politico: Cioè, che i Papi non usino a nostra età di raunare Concilii, come solevasi per altri tempi, come prescrivono i Canoni, e come par che richiederebbe il ristoro della sempre labile, e sdrucciolante disciplina. Senza dubbio in leggere i successi di quest'ultimo Concilio, eziandio sopra ciò che non è discordia fra me, e'l Soave, s'accorgeranno, che nel Cielo mistico della Chiesa non si può immagginar congiunzione, o più difficile ad accozzare, o accozzata, di più pericolosa influenza, che un Concilio Ecumenico.*

KIES-

KIESLINGIUS.

XXXV. *Nec sine causa hac metuit Curia Romana. Gallia enim jugi Romani pertæsa, in Concilio Tridentino per suos oratores reformationem Ecclesiæ, quoad mores, & disciplinam ursit, & triginta quatuor postulata, quæ recensent* Sarpius *, & Goldastus **, *attulit. Gallia exactionum, ac aucupiorum impatiens, publico in consessu declaravit per legatos, nisi suis votis & desideriis locus daretur, & illi abusus & vitiligines ordinis sacri eliminarentur, fore, ut medelam sibi ipsi adferat, vel renitente Pontifice Romano, Gallia.* Pius Quartus, *ut Gallis velificaretur, Curiæ suæ reformationem simulavit* ***, *& calicis Eucharistici communionem, & sacerdotis conjugium juris positivi esse, teste* Sarpio ****, *pronunciavit. Sed Galli consiliorum Romanorum haud expertes nonnullis in rebus emendationem libera auctoritate susceperunt, quorsum spectant linguæ vernaculæ in Sacris publicis usus, Missalis evulgatio, Bibliorum in patrium sermonem versio. Quæ omnia Pontifex Romanus tam indigne tulit, ut non solum Episcopum Parisiensem per litteras, de tollendis bis versionibus, adhortaretur, sed & illud Missale Romanum Gallice versum in indice librorum prohibitorum proscriberet* *****. *Ex eo tempore Gallia libertatem suam magis magisque vindicavit; adeoque, ut magistri Academiæ Parisiensis sacramento adserere cogantur, Concilium Œcumenicum Romano Pontifice esse superius, quod* Ioannes Launojus ******, & Ludovicus Ellies Du Pinius ******* *integris libris exposuerunt. Rebus ita constitutis Romani Pontifices Concilia, quantum fieri potuit, reformidarunt, eademque protraxerunt, ne quid Respublica Romana detrimenti caperet.*

ANIMADVERSIO XXXV.

Quoniam tibi placuit ad causæ tuæ munimen in scenam producere etiam Ecclesiæ Gallicanæ, quas vocant, libertates,

* Vide Lib. VII pag. 1124. seq.
** Vide Constitution. Imperial. Tom. III. pag. 576.
*** Vide Pallavicinus Histor. Concilii Tridentini Lib. XVIII. Cap. XI. §. XI. pag. 66.
**** Vide Lib. V. pag. 789. & seqq.
***** Vide Indic. Libror. Prohibitor jussu Alexandri VII. pag. 273. & Innocentii XI jussu Romæ edit. 1683. p. 200.
****** Vide Anti-Bellarmin. seu Defensio Libertatis Gallicanæ 1720. Devent.
******* Vide Differtat. Historic. de antiqua Ecclesiæ Disciplina 1691.

tes; id tibi reponendum puto, futilia esse, quæ recitas, præ ea veneratione, qua Fidei dogmata a Concilio Tridentino statuta Galli exceperunt. Lege Pallavicinum l. XXIV. Cap. X. §. 15. *Io dunque non saprei dire ciò che riferisse intorno a' fatti del Concilio qualche persona poco discreta, e forse anche poco informata, e poco veridica. Sò ben, che se ne diffuse in tutta la Cristianità, e segnatamente in Francia, un concetto di somma venerazione; e primieramente i decreti della dottrina furono quivi adorati come sacrosanti da tutti i Cattolici: secondo, benchè quei della disciplina s'abbattessero in difficoltà, perchè alcuni del Consilio, e del Parlamento gli colorirono quasi pregiudiciali a' privilegj del Re, e della Chiesa Galligana, nondimeno i Vescovi ne' Sinodi provinciali gli hanno imitati ad ogni potere, e con questa imitazione s'è migliorata fuor di misura la Chiesa in Francia. E molti anni dopo il Concilio il gran Re Enrico IV. promise con giuramento al Pontefice Clemente Ottavo di fare ogn'opera affinchè 'l Concilio fosse ne' suoi Regni interamente ricevuto: al che non sarebbesi indotto quel generoso, ed allora vittorioso Principe se avesse reputate quelle Sinodali constituzioni per ingiuste, ò per nocive. Ma vogliamo sentirne il vero da uno de' principali, e de' più saggi ministri, che avesse mai la Corona di Francia? Veggiamo le lettere stampate del Cardinal d'Ossat. Egli argomentandosi di persuadere al Segretario Villeroi, che conveniva al Re d'osservare un tal giuramento, scrive, che nel Concilio poco, o nulla il Parlamento avrebbe trovato onde lamentarsi, e che a quel poco, se vi fosse, sarebbe stato agevole il rimediare. E più liberamente significando al Re l'escusazione usata da sè col Pontefice Clemente VIII. a nome di S. M. esprime in due lettere le vere cagioni di questa malagevolezza oppostasi, cioè, che 'l Concilio di Trento in Francia dispiaceva a' più, ed a' maggiori; ed in primo luogo a tutti gli Eretici, i quali aborrivano ogni maniera di Concilio: oltracciò anche a' Cattolici, ed a' Signori, a' quali era grave, che fosse loro disdetto d'avere Beneficii incompatibili, e con que' rei usi, che dal Concilio son vietati. Ciò espose quel grandissimo uomo per nome del Re al Papa.* Ui

Ut autem intelligas quænam insit authoritas Gallicanis illis libertatibus, evolvendum tibi suadeo librum de iisdem conscriptum a M. C. S. Theologiæ Doctore, & impressum Leodii an. MDCLXXXVIIII. Authoris autem institutum in iisdem ad examen revocandis diserte aperiri comperies paucis iis lineis, quæ brevem ejus Operis Præfationem concludunt: *Ne quis igitur Ecclesiæ Gallicanæ splendore commotus miretur, quod nos ejus Declarationem examinare audeamus. Nam præterquam quod Ecclesia Romana, cujus defendendæ autoritatis studium ad majora viribus tentanda nos impellit, Gallicanæ sine dubio præstat, ipsiusmet Gallicanæ sensum, & doctrinam propugnamus.*

KIESLINGIUS.

XXXVI. *Novum ad nos exinde promanat veritatis firmamentum*, Paullum Tertium *omnia prius vel etiam armis experiri voluisse, quam res submitteretur Concilio. Eam ob causam suos Legatos ad Concilium* Tridentinum *amandatos tam occultis & ambiguis instruxit mandatis, ut res controversa in Consessu publico prolata semper maneret in incerto, & bivio. Audi, quæso, has agendi rationes in Concilio Tridentino observandas Legatis a* Paullo Tertio *demandatas ex* Sarpio * *hunc in modum scribente*: Jam Pontifex, cum Romæ consessus decreta conspicatus esset, rerum tractatarum gravitate considerata, cum animo suo statuit Concilii negotium pensius habere, quam hactenus habuisset. Itaque aucto Cardinalium & Præsulum numero, quibus Romæ inspectionem & curam rerum Concilii demandaret, de ipsorum sententia Legatos suos de tribus rebus monendos censuit: primum, ne in posterum decretum ullum in consessu promulgarent, priusquam illud sibi Romæ communicassent; atque utcumque nimia cunctatio in procedendo esset vitanda, cavendam certe multo magis festinationem, per quam fieri posset, ut de rebus non satis consultis aut concoctis aliquid statuatur, & tempus vix suppetat ad mandata de eo, quod in Concilio proponendum, deliberandum, concludendumque esset, Roma accipienda. Deinde, ne in capitibus controversis tempus consumant, quod ultimo consessu fecisse videbantur, de iis differentes, de quibus, quod principia sint indubitata, inter omnes conveniat. Denique, ne unquam quacunque de caussa ad disputationem de auctoritate Papa veniatur. *Si has regulas ex utroque consideres late-*

* Vid. Lib. II. p. 270. 271.

latere, Proteo, Vertumnoque mutabiliores dixeris hos Concilii Tridentini *Proceres*. Primo *nihil proponere debuerunt, nisi quod antea ex Sede Romana veluti ex tripode dictum ad ipsos emanasset. Diu jamjam in Curia Romana de doctrinis & ritibus, quos improbarat Lutherus, eras deliberatum, proinde Legati non demum sententiam e longinquo expectare debebant. Lente itaque festinandum esse duxit* Paullus Tertius, *quia deliberandum est diu, quod statuendum semel. His rationibus Concilium de religione initum facile per centum annos esset protrahendum*. Secundo *monet Pontifex, ne tempus de rebus controversis consumant. Sed, si primordia statim hujus Concilii species, offendes, multum omnino temporis & operæ esse deperditum de Concilii Præside, sede, dignitate, & aliis apinis. Ipsas autem sessiones, si adspicias, videbis hujus Concilii Præsides in rebus ad Statum Ecclesiasticum, & amplificandam Sedis Romanæ auctoritatem, admodum largos, sed in dijudicandis fidei doctrinis admodum parcos extitisse judices; rem semper cum anathemate confirmantes. Noluit* tertio *tangi Pontifex controversiam de auctoritate Papæ, quod argumentum tamen fuit maxime controversum, & apex concertationis. Nemo non videbit, hanc normam ita esse comparatam, ut de felici Concilii, quod demum sit, & quo demum in loco celebretur, exitu, prorsus sit desperandum.*

ANIMADVERSIO XXXVI.

Cur mandata, quibus Paulus Pont. suos ad Tridentinum Concilium Legatos instruxit, occulta, & ambigua appellari a te Kieslingi, mereantur; cur eosdem ex regulis ab eodem Pontifice sibi propositis Proteo, Vertumnoque mutabiliores dixeris, omnino me latet; mandatis enim illis nihil apertius esse, regulisque illis nihil justius, nihil prudentius haud diffitebitur quisquis Sarpii verba a te recitata perlegerit. Idque adeo verum est, ut vel ipse Sarpius nuda illa recitatione contentus, a conflanda seu mandatis, seu regulis iisdem invidia prorsus abstinuisse comperiatur; indeque Pallavicinus eam recitationem unice carpit, quod temporum perturbationem, levem tamen, inducat, quam dignam excusatione Curayerus affirmat, quod Sarpio haud datum fuerit suis oculis inspicere, ait ille, *ni les Actes, ni une grande partie des lettres originales des Legats*. At videris ipse, Kieslingi, quæ te maneat excusatio, dum injunctum

ctum a Pontifice Legatis fuisse scribis, *ne in capitibus controversis tempus consumant*, eoque monito eosdem opus habuisse causaris; nam Sarpii verba sunt ista: *La seconda* (Pontificis ad Legatos admonitio) *di non consumare il tempo in materie, che non sono in controversia*; indeque in Curayeri versione ita legitur: *La seconde de ne point employer le tems à des matieres qui n'étoijent point en controverse*. Quid autem? quum vel ipsa jam recitatis statim a te subjuncta errorem illum tuum manifeste redarguant: *Ne* (ais ipse) *in capitibus &c. quod ultimo consessu fecisse videbantur, de iis differentes, de quibus, quod principia sint indubitata, inter omnes conveniat*. Dispeream, nisi inter æquos quosvis tui hujus Opusculi lectores conveniat, natum te esse *Vertumnis iniquis*, & te te Proteum referre, de quo Virgilius inquit,

Omnia transformat sese in miracula rerum.

KIESLINGIUS.

XXXVII. *Ultimum denique, quod mihi in hoc* Paullo Tertio *minime arridet, est, quod eam sibi vindicavit potestatem, ut delata Augustana Confessione novam credendi & vivendi formam, teste* Abrah. Bzovio *, *præscriberet. Eam auctoritatem Pontifici competere aperte negarunt Protestantes, qui normæ in Scriptura sacra jam jam traditæ presso inhæserunt pede. Quid quis credere debeat, non ab auctoritate humana, sed a verbo divino dependet. Jes. VIII. 20. Galat. VI. 16. Nec ipsi Protestantes, & Augustanæ Confessionis conditores eam affectarunt actoritatem, sed sua confessione, quæ postulabatur, demonstrarunt, quibus in Articulis a Romana Ecclesia dissentirent. Accedit illos Articulos ex ipsa Scriptura sacra esse petitos, & normam credendi non esse primariam, sed secundariam. Quam temere vero egerit* Paullus Tertius, *novam, eamque non ad Christi, sed suum palatum credendi regulam adornaturus, prolixius demonstravit* Abrahamus Calovius **. *Et quam, quæso, normam credendi præscribere potuit* Paullus Tertius *aliam, præter eam, quæ nunc in Concilio* Tridentino *extat? Male vero ageretur cum rebus Protestantium, si hanc regulam credendi coacti recipere deberent, quippe Scripturæ*

* Vid. Annal. Tom. XX. ad ann. 1549. p. 195.

** Vid. Matæolog. Papisticæ e Concilio potissimum Tridentino Sect. I. de Regula credendi Controvers. X. p. 24. seq.

ptura sacræ in multis doctrinæ capitibus adversam, nec non novam. Omnis, quæ demum conficiatur, credendi, agendique forma, primo suo exemplari, Scripturæ, inquam, sacræ debet esse omni ex parte conformis. Invictum, indubitatumque est divi Paulli judicium: verum etiamsi nos aut angelus de cœlo vos diversum doceat ab eo, quod vos docuimus, esto detestabilis. *Gal. I. 8. Si nunc norma credendi in Concilio Tridentino tradita ad hanc trutinam revocatur, videbis, eam plurimis in doctrinæ, & institutorum capitibus adeo esse deformem, ut prius tenebras cum luce, quam hanc regulam cum Scripturæ sacræ norma conciliaveris.*

ANIMADVERSIO XXXVII.

Miseret me tui, Kieslingi, dum traditam in Concilio Tridentino credendi regulam, adeo deformem esse dicis in pluribus doctrinæ, & institutorum capitibus, ut prius tenebræ cum luce, quam ea regula cum Scripturæ sacræ norma, concilientur, miseret, inquam, me tui, nam ita sentiens, lucem tenebras, & tenebras lucem a te appellari demonstras. Fare, amabo, quodnam est caput illud doctrinæ a Tridentina Synodo statutum, in quo tam fœda, & tam horrenda deformitas manifestius oculis tuis compareat? Doctrina, dices ipse, fidei, bonorum operum, & justificationis, quandoquidem per illam operum nostrorum merito, potius quam Christo Redemptori, justificationem nostram adscribimus. Apage cum tuis hisce commentis. Nonne Sess. VI. Cap. VIII. ubi docemur, gratis hominem, & per fidem ex Pauli Apostoli doctrina justificari, diserte pronunciatur, *Quod nihil eorum, quæ ejus justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationem promeretur?* Nonne Cap. IX. traditur, *Neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata nisi gratis divina misericordia propter Christum?* At, instabis, definiri opportebat, hominem ex sola fide justificari, pariterque teneri ex fide, cui falsum subesse non possit, ad credendum se gratiam Dei esse consequutum, & se esse in numero Prædestinatorum. Repono ego, utrumque illud falsissimum esse, teque, Kieslingi, tuosque provoco, ut vel umbram ejus doctrinæ nanciscaris in Marci Antonii Flaminii Scriptis, videlicet in ejus-

ejusdem Paraphrasi, atque Explanatione in Psalmos, in qua, ex vestrorum hominum sententia, animi sui sensa de præcipuis Christianæ fidei capitibus ita exposuit; ut nemo *Evangelicæ Ecclesiæ* addictus aliquid amplius possit desiderare, imo nec ipse Lutherus vel tantillum in iis obelo dignum fuisset deprehensurus. Quoniam vero meæ isti provocationi nihil respondes, accipe quid ego subjungam. Qua ratione certum est, in Præfatione ad eas Explanationes sensus omnino Catholicos a Flaminio depromi de suprema Romani Pontificis potestate, ut recitata superius ejus verba comprobarunt; ita non desunt ejusdem Operis loca apta comprobare, eum Scriptorem ex Catholicorum mente spem æternæ salutis, eamque firmam, in divinam misericordiam admittere, rejicere vero invectam a Lutheranis certitudinem, unde absona quam plura consequuntur. Docet ille ad Psalm. CXXX. & ad ea verba, *Speret Israel in Domino*, in certamine conscientiæ, quum lex, diabolus, & sensus peccati nos accusant ad tribunal Dei (quod maxime quidem evenit imminente morte) difficillimum esse desperationi resistere, sed optime tamen sperandum ob infinitam Dei misericordiam. Socium modo faciam M. Antonio Flaminio Albertum Pighium, quod hunc quoque a partibus vestris stare in causa Justificationis gloriemini; nam ex vobis non defuit qui de ipso affirmaret, *Pontificiorum Achilles adversus Lutherum, totus noster est in causa Justificationis*. Quomodo præclarus iste Theologus totus in ea causa vester dici valeat; explicent verba illa, quibus tractationem suam de Fide, Operibus, & Justificatione concludit. Sunt autem ista: *Jam demonstratum est pleraque requiri in nobis, & in primis fidem, ex fide pœnitentiam, & detestationem vitæ veteris, deinde spem veniæ, ac fiduciam in Dei bonitatem, ac misericordiam, sed horum omnium consumatio est ille Dei amor sincerus, dominium in corde nostro jam obtinens, secum inseparabiliter conjunctum habens illum sanctum, & sollicitum timorem, & fidele studium voluntati ejus obsequendi per omnia*. Tuam jam fidem appello, Kieslingi, an vere dici possit, in capitali isto Christianæ fidei articulo, atque

ita capitali, ut, juxta vestrorum Magistrorum effatum, eo cadente cæteros omnes cadere, stante autem universam stare religionem oporteat, an, inquam, dici valeat, facilius tenebras cum luce conciliari, quam credendi regulam a Tridentino propositam, & a Catholicis doctoribus explicatam, cum sacra Scriptura cohærere? Si vero tricas serendi ansam caperes etiam ex internæ regenerationis necessitate, præsto adest eximius Meldensis Episcopus, qui in præstantissimo Opere, *Histoire des Variations des Eglises Protestantes l.* III. *n.* XXXV. postquam probasset, justificationem, regenerationem, Sanctificationem, si res satis bene excutiatur, eamdem omnino gratiam esse, mox subdit: *C'étoit aussi la doctrine de Luther, & de Melanchon. Ces subtiles distinctions entre la sanctification, & la regeneration ou la justification, ou l'on met maintenant tout la finesse de la doctrine Protestante, sont nées après eux: & depuis la Confession d'Ausbourg*. Et paulo post, Apologiæ a Melanchthone conscriptæ loca aliqua laudans, illud ipsum his verbis affirmat, *On ne voit aucun vestige du contraire dans la Confession d'Ausbourg, & il n'y a personne qui ne voye, combien ces idées, qu'avoient a lors les Lutheriens, reviennent aux nôtres*. Itaque si in eo Articulo, quo stante stare universam religionem affirmatis, lucem, eamque purissimam, Tridentinus Confessus ministrat, quid superest, nisi ut iste Virgilianum illud sibi præsumat, quod ipse tuæ Epistolæ initio usurpasti,

Non sum adeo informis, nuper me in littore vidi?

Atque hic Animadversionum mearum finem constituo, haud mediocriter gaudens, in postrema hac aditum mihi factum, Catholicum dogma, quo nullum capitalius, aliquanto fusius adstruendi; nam inde percipies, haudquaquam mihi vires defuturas quosvis alios Fidei Orthodoxæ Articulos in Epistola tua ludibrio a te habitos, iis fundamentis firmandi, quæ apertissime ostenderent, nihil falsius dici posse, quam eosdem a sacra Scriptura discrepare. Spectandum igitur tibi hæc ultima Animadversio præbuit non ex ungue, sed ex capite leonem. Abstinui vero a cæteris illis dogmatibus

tibus excutiendis, quod ipsa ad subjectum disputationi nostræ argumentum minime attinerent, gnarus, hanc, teste Horatio, ordinis virtutem esse,

Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

CLAUSULA EPISTOLÆ LIPSIENSIS.

At hic calamus subsistit, quia historiam Concilii Tridentini, *insignem profecto gestorum* Paulli Tertii *partem, nondum luci exposuisti publice; desiderant autem eam omnes, quotquot Tuam,* VIR EMINENTISSIME, *& cognoscunt & admirantur rerum sanctiorum notitiam haud vulgarem. Nec dissimulo, me hanc videndi historiam ardenti flagrare desiderio; quia eam tam raris, & exasciatis documentis instructam fore, certus sum, ut ea commentatio principem facile locum inter hujus argumenti scripta sit occupatura. Nec omnem depono spem, quia tot emissis operibus stupendi omnino laboris, & assiduæ industriæ hactenus declarasti Te, non ad otia, & voluptates, sed labores, eosque valde difficiles & arduos esse natum. Didicisti ex* Tullio * *litterarum studia adolescentiam alere, senectutem oblectare, secundas res ornare, adversis perfugium & solatium præbere, delectare domi, non impedire foris, pernoctare nobiscum, peregrinari & rusticari. Ec quid enim, Te,* VIR EMINENTISSIME *magis ornat Purpura ne, an laus eruditionis? Purpuram multi Patres gestarunt sordido forte pallio potius, quam Purpura digni. At in Te suavi, sororioque connubio consociata video hæc decora & Purpuram & eruditionis gloriam. Macte hac virtute! Servet Te Deus sospitem, nec ulla Tui nominis memoriam in sæculis remotissimis deleat oblivio. Vale. Dabam Lipsiæ die XXIV. Apr. MDCCXLVII.*

CLAUSULA ANIMADVERSIONUM.

Clausula, quam Epistolæ tuæ, Kieslingi, apponis, singularis tuæ erga me humanitatis sensus declarat, quibus, ut par est, me valde devinctum esse profiteor. Ego vero pro Animadversionum mearum clausula recitabo literas Reginaldi Poli ad Gasparem Contarenum, nuncias cooptationis in Cardinalium Ordinem trium præstantissimorum Virorum Joannis Moroni, Thomæ Badiæ, & Gregorii Cortesii. Contigit illa die altero Junii anno 1542. quodque aptissima reperiatur com-

* Vid. Orat. pro Archia Poet.

comprobandis rectissimis, sanctissimisque consiliis, quibus Christianæ Reipublicæ bonum a Paulo III. curabatur, demonstrandæque Purpuratorum Patrum in illud ipsum bonum conspirationi, ne excepto quidem adolescentulo Alexandro Farnesio, Pontificis nepote, profecto Epistola, quam de illa Polus, ad Contarenum scripsit, locum hic nancisci meretur, ceu idonea coronis eorum monumentorum, quibus cum in meo Opere quod ad trutinam revocasti, tum in aliis quoque sum usus ad evincendum Romanæ Ecclesiæ, cui Paulus III. præerat, eam fuisse faciem, quæ ad incredibilem sui amorem excitare valeret quotquot ad eam contuendam oculos minime limos contulissent.

Reverendissimo & Illustrissimo Signore.

Hora io vengo dal Consistorio stracho del corpo & molto consolato ne l'animo di questa operation del Spirito di Dio nella mente di S. Santità circa la Creation di questi dui novi Collegi, cioè D. Gregorio, & il P. Maestro, o più presto tre, adjungendo il tertio che fù primo nominato in questa Creatione, cioè il Vescovo di Modona, che non reputo manco *Opus Spiritus*. Ma perche di lui li homini potevano havere qualche conjectura verisimile, per questo la promotione sua non da tanta occasion di vedere la operation del Spirito, quanto, si vide chiaramente in questi due altri, ne anchora in D. Gregorio quanto nel P. Maestro, havendo già S. S. deliberato, come mi disse ne l'ultimo Consistorio precedente, di fare lui. Ma del Maestro non fu *ne cogitatio quidem*, quanto io poteva comprehendere, & per questo da più admiratione questa operatione del Spiritu, che *venit repente* a inspirare S. S. di fare electione di questo santo home, il quale avanti hieri sera tardi che S. S. lo fece chiamare per dirli la mente sua circa ciò e non sapeva nulla, ne volse intendere per niente quando S. S. li dissi l'animo suo excusandosi quanto più poteva, & recusando *quantum audebat*. Et quando pur vedeva che le sue parole non havevano mosso niente S. S. questa matina a bona hora avanti il Consistorio mi viene a trovare in Camera, obsecrando per tutto l'amore ch'io li portavo che volessi essere suo Advocato in questa parte per chiarire meglio l'animo suo a S. S. che non havea saputo far esso & che receveria per molto magior obligo d'esser lassato nel stato suo priore, & in questo mi astrinxe molto ch'io li promettessi di fare questo officio, come io l'ho fatto poi in Consistorio con S. S. *privatim* ma come relatore de la mente di un al-

altro, non come Cardinale quando è dimandata la mente sua. *Utramque prersonam gessi, sed meam multo libentius*, benche presi grande piacere, quando dichiarando l'animo del Maestro, S.S. mi preocupò dicendo che quanto più lui fugiva per riputarsi indegno, tanto più giusta causa dava d'esser eletto & più si mostrava degno. Et questo io scrivo a V. S. Rma più distintamente per farli distintamente cognoscere la operation del Spiritu di Dio a la gloria di Christo & grande frutto di questa Sede Apostolica provedendosi di simili istrumenti & di tutto mi allegro con V. S. Rma, tanto più quanto io sò che l'haverà caro d'entendere come il medesimo Spiritu che introdusse lei li abbia provisto di tali Collegi che *in unitate Spiritus*, sempre li saranno conjunctissimi a la gloria di Dio *per Jesum Christum Dominum nostrum, cui sit laus, honor, gloria, & jubilatio per æterna sæcula. Amen*. Di Roma alli due di Junio MDXLII.

Non voglio restare di direli questo chel Reverendissimo Fernese mi ha detto, che quando V. S. Reverendissima avesse avuto da eleggere dui Cardinali, era certo che non haveria eletto altri che questi, anzi si pò dire che il Signor Dio l'habbia in ogni modo usata per primo & principal instrumento in questa sancta electione per quello che V. S. Reverendissima ha fedelmente altre volte arricordato a S. S. ragionando di uno & de l'altro. *Deus confirmet quod operatus est in nobis*.

Non ne sentis, nonne vides, Kieslingi, Ecclesiæ Romanæ primates, qui utramque paginam faciunt in Diatribis ad singula Volumina Editionis litterarum Cardinalis Poli appositis, præstantissimis reliquis suis virtutibus adjunxisse etiam admirandam animi moderationem, ac proinde nullo pacto implicatos fuisse humana illa infirmitate, quæ homines ad dignitates, & commoda expetenda obtorto veluti collo passim adducit. Indubia ejusdem moderationis argumenta jam antea tradiderant Contarenus, Polus, Caraffa, Fregosius, atque Sadoletus. Ea præditum fuisse Contarenum testatur in ejus Vita Ludovicus Beccatellus his verbis: *A me ha detto il Cardinale, che in quel subito* (quo scilicet temporis momento nunciata ipsi fuit sua ad Cardinalatum evectio) *fu in dubio s'accettava quella congratulazione, o nò, e risolse di non resistere per non offendere la sua conscientia, & molti parenti & amici, da' quali sapeva che saria combattuto*. Fusius

sius idem Beccatellus in Vita Cardinalis Poli describit quam valide fuerit hic reluctatus, ne Purpura donaretur, suamque narrationem in hunc modum concludit: *Io mi trovai presente, quando M.r Durante in Camera di Sua Signoria comparse col Barbiero appresso, da lui condotto per fargli la Chierica. Il buon Signore quanto meno aspettava questa nuova, tanto più restò confuso, & mostrò nel viso segni di poca allegrezza. Ma poi che 'l tempo instava, & non era luoco da repliche, tanquam agnus coram tondente si mostrò ubbidiente.* Caraffam quoque magna constantia oblatum sibi Cardinalatum recusasse, nec illum suscepisse nisi ex Pontificis imperio, certum nobis reddunt plures ii testes, quorum dicta recitat Ciaconius in Vitis Pontificum, & Cardinalium. Imperio pariter, seu jure sacrosanctæ potestatis egisse Paulum III. cum Fregosio fidem facit Ubertus Folietta in Elogiis clarorum Ligurum, pariterque Oratio in illius funere habita a Jacobo Sadoleto Episcopo Carpentoractensi; recitatque utriusque testimonia idem Ciaconius. Ipsum tandem Sadoletum ægre admodum Purpuram accepisse ex pluribus hujus litteris certiores reddimur, in quarum unis ita scribit: *Ipso honore Cardinalitio non tantopere delector, qui etsi magnus, & expetendus omnibus videtur, mihi tamen boni multo plus abstulit, quam dedit. Abstulit enim ocium, quietem, libertatem; alia quædam reddidit, quæ nequaquam cum illa felicitate prioris vitæ, meo quidem judicio, erant comparanda. Sed quoniam oppressi subito optimi Pontificis beneficio, spatii ad consulendum, ac deliberandum nihil habuimus, pareamus sane Deo, qui nos huic subjectos oneri esse voluit.* Addam Petrum Bembum, qui in Epistola ad Sadoletum culpæ obnoxium se profitetur, quod in Cardinalium Ordinem cooptari se permisisset. Nec indictus abibit Jo. Matthæus Gibertus, Veronæ Episcopus, Cardinalibus, quos nominavi, quemadmodum studiorum, ita & virtutum necessitudine conjunctus; ne vero dignitate etiam iis ipsis conjungeretur, unam ejusdem moderationem in causa fuisse, verosimilis admodum conjectura est.

Brixiæ XXVI. Jul. MDCCXLVII.

EX EPISTOLA REFUTATORIA

BIBLIOTHECARII MEMMINGENSIS

PRÆFATIO.



Uidnam causæ sit, cur quatuor tantum abhinc mensibus certamine defunctus cum Jo. Rudolpho Kieslingio, Lipsiensis Universitatis Professore, arma in præsens iterum capiam adversus Jo. Georgium Schelhornium, Memmingensem Bibliothecarium, ex literarum, quas iste typis excusas ad me nuperrime dedit, exordio luculenter edisces. Illam siquidem fuisse intelliges, quod adductus fuerit ad existimandum, grave mihi esse manum ab ipso subductam fuisse a pertexenda cœptarum inter nos disputationum tela, quamvis ego in singulis fere meis lucubrationibus, Cardinali Polo, ac Paulo III. Pontifici vindicando destinatis, eundem vellicare pergerem usque adeo, ut prælo etiam vulgare non dubitaverim sententiam ex Athenæo San-Germanensi prolatam, scilicet, Animadversionibus meis primo Editionis Epistolarum Reginaldi Poli Volumini præfixis Schelhornium veluti fulmine percussum, ac in pulverem plane contritum esse. Itaque meæ illæ iteratæ provocationes hominem istum admodum eruditum, quod nemo inficiabitur, partæque suis studiis existimationis conservandæ haud injuria sollicitum, pertraxerunt ad scriptum aliquod in publicam lucem edendum, unde omnes, quorum ad aures earundem disceptationum fama pervenisset, certo cognoscerent, *Schelhornium adhuc* (hæc ejusdem sunt verba) *per Dei gratiam spirare, ac valere*.

Hujuscemodi propositum Schelhornii animo insedisse, nemo profecto mirabitur; at magna admiratione dignum reputari debet, in illo exequendo eam primum ab ipso rationem initam fuisse, qua, binis illis argumentis omissis, contentionis funem ad aliud quodpiam deflecteret, in quo

 trium-

triumpharet licet, ne hilum quidem seu Cardinalis Poli, seu Pauli III. vindiciæ a me susceptæ periclitarentur. Impetere enim aggressus est Paulum IV. quod sanctissimum Novemvirale Consilium de emendanda Ecclesia vetitorum librorum catalogo indere non fuisse veritum censuerit. Id agens Adversarius, ne se contritum in pulverem fuisse demonstret, pulveris nebulam excitavit, non quidem ad obscurandum duûm illorum luminum jubar, sed ad ejus famam fœdandam, quem tenebras iisdem calculo illo suo damnatorio offudisse contendit. Hoc utique si verum foret, Paulum videlicet IV. justam invidiam promereri, quod Consilium illud carbone notaverit, quis non videt, eam criminationem potius ad decus Pauli III. cujus auspiciis, & Cardinalis Poli, cujus præsertim opera confectum ipsum fuit, pertinere, dum tamen quisque expectasset, a Schelhornio in eos ipsos impetum fieri, statim ac se ille ad pugnam adversus me instaurandam comparavit? Inversa hæc præliandi ratio haud quaquam tamen efficiet, ut manus rursus cum eodem conserere refugiam, eoque magis quod ad amoliendam labem illam Pauli IV. nomini inustam haud pauca in meis illis Animadversionibus, & alibi etiam attulerim, parergi tamen loco, nec enim ad illarum disputationum caput illa spectabant. Ostendendum igitur suscipiam, Schelhornium irrito conatu pulvereum turbinem recens glomerasse, quo cœlum ipsum, si fieri possit, involvat. Equidem cœlum atra caligine prætexere censendus est, qui ejus Pontificis ingenio, cujus Apostolica in vitiis castigandis severitas vel nullos, vel paucos omnino superiores, Historicorum omnium judicio, nacta est inter beati Petri successores, *vitia potius tegendi*, *quam emendandi* studium accommodat.

Schelhornius, ut hac etiam in re ingenio suo velificetur, ex inferis suscitat putidissimam Petri Pauli Vergerii, Orthodoxæ religionis desertoris, calumniam, qua Paulo IV. maculam, de qua agitur, inspersit in Annotationibus in Ind. Libror. prohibitor. ejus Pontificis jussu evulgatum, suorumque Operum adversus Papatum T. I. insitis. Ibi enim his verbis inter cætera debacchatur: *Cum ergo Paulus IV.*

sen-

sensisset, sibi ac suae Romanae Synagogae inflicta esse, ac infligi cotidie ex isto libello vulnera non levia, propter liberiores scilicet illas, quas recitavi, voces, & confessiones, hunc quoque libellum, si Deo placet, projecit nunc inter eos, quos velit a nemine legi, hoc est inter haereticos. Sed quod caput est, & pluris quam omnia, ipsemet Paulus IV. fuit unus ex praecipuis, qui concinnarunt, & dictarunt libellum. Quis non stomachetur? quis non horrescat? Stomachentur, & horrescant, oportet, effrænem hanc maledicendi libidinem, quotquot noverint nec Sleidanum, nec Sarpium, seu hujus interpretem, & vindicem Curayerum, nec Sekendorfium Lutheranæ historiæ promum condum celebratissimum, vel unum verbum de ea per Romanum ullum Pontificem condemnatione fecisse, etsi iidem de libello illo enucleate edisserere susceperint, animoque, ut ubique, erga Romanorum Pontificum gesta, ac præsertim erga Indicem librorum ab ipsis prohibitorum maximopere infenso. Quæ demum insolentia est, calumniam, quam densis tenebris primipili illi insectandæ Pontificiæ potestatis studiosissimi addixerunt, ceu rem omnino compertam hac tempestate venditari? Ad causæ suæ patrocinium adsciscit Schelhornius Richerium, & Launojum, hosque ingentibus laudibus concelebrat, qui tamen, haud minus quam superius memorati Scriptores, longissime abfuerunt a condemnatione, de qua hic agitur, seu Paulo IV. seu ipsi Romano Indici exprobranda. Quid vero? quum Possevinus, & quotquot ex Nostris conquesti fuerunt, libellum eundem in Conciliorum Editionibus, excepta Crabbiana, desiderari, sua hac querimonia luculenter demonstraverint, nil prorsus ipsis suboluisse de eo damnatorio judicio; hujus enim vel sola suspicio obstitisset, ne quidquam adversus omissionem illam obmurmurarent. Denique neminem adhuc puto inter Catholicos Auctores extitisse, cui propositum fuerit ab ea contumelia Paulum IV. vindicare, idque ea certe de causa, quod buccinatum a Vergerio commentum ab heterodoxis ipsis despectui haberi deprehenderint. In censum horum omnium, quos nominavi, ac Sleidani potissimum, Sarpii, & Sekendorfii, par erat, ut Schel-

lhornius veniret, non vero calculum adjungeret tribus illis, aut quatuor Scriptoribus, quos post vulgatas Animadversiones illas meas Vergerianæ fabulæ sectatores a se detegi, & in lucem proferri potuisse, pœana quodammodo canit, eorundem ignorationem mihi vitio vertens. At vitium istud potius improperare debuisset suis illis ducibus, qui carpendorum Romanorum Pontificum provinciam administrantes, ne verbo quidem, ut dixi, facinus illud Pauli IV. indicarunt. Eosdem tamen, nec Vergerii Opera ante oculos suos habuisse, nec pervulgatam ab ipso in Romanum Pontificem contumeliam suis auribus percepisse, nec tandem manibus suis contrectasse ejus Pontificis Indicem, qui paucis adeo pagellis constat, ut intra horæ quadrantem legi, & relegi integer valeat, vix sibi quisquam persuadeat. Tantus hic stupor ne Sekendorfio tribui valeat, ipsemet obsistit memorans p. *601.* ad an. *1546.* Vergerii Scripta a se lustrata, disertamque mentionem faciens Annotationum ejusdem in Indicem Pauli IV. Demum, ut de aliis sileam, Jo: Rudolphus Kieslingius in Epistola, cui publice respondi, causas omnes venatus libelli de Emendanda Ecclesia sugillandi, nonne obvias habebat Schelhornii Amœnitates literarias? Cur igitur & ipse accusationem, de qua agitur, silentio suppressit? Eam certe telum imbelle sine ictu reputavit.

Hucusque breviter exposita summam efficiunt eorum, quæ in Animadversionibus meis ad Schelhornii Epistolam digesta statim oculis tuis subjiciam. Unum tantum addam, eam Epistolam a capite ad calcem adversari Joanni Launojo, quem tamen Schelhornius, ut suo loco constabit, adeo *egregium, & luculentum veritatis testem adversum Pontificios* deprædicat, ut cum Dupinio affirmet, eundem *nonnisi illos posse inimicos habere, qui preconceptas opiniones suas veritati præferunt.* Atqui de Consilio Novemvirali Doctor ille Parisiensis ita loquitur in Epistola, quam ex mea Diatriba allegat ipse Schelhornius: *Paulus III. non ingratum habuit, nec improbavit Jo: Petrus Caraffa Card. Theatinus, postquam Romanus Pontifex nomine Paulus IV. evasit, nec pervulgatus librorum prohibitorum Index confixit.* Quid ergo su-

supereſt, niſi ut Adverſarium, antequam collato pede ipſum adoriar, hiſce verbis compellem, *Patere legem, quam ipſe tuliſti?*

SCHELHORNIUS.

I. *SI meo mihi licuiſſet uti arbitrio, Purpuratorum Romanæ Eccleſiæ Patrum* EMINENTISSIME*, hanc, quam publice ad Te ſcribo, epiſtolam jam non legeres. Cum animo enim ſtatutum deliberatumque haberem, poſtquam Tuo juſſu repetita vice in diſputationem tecum ingreſſus eſſem, omne deinceps certamen detrectare: idque illis in Literis, quas cum animadverſionibus Tuis, varia doctrina plenis, alteri Epiſtolarum Cardinalis Poli tomo præfigere dignatus es, aperte indicaveram. Repugnabat ſcilicet mens mea Tibi devotiſſima, Tecum, cujus laudibus omnis facundia minor eſt, in arenam amplius deſcendere, verebarque, &c. pag.* 3. 4. 5. 6.

ANIMADVERSIO.

I. Prologo iſti quæ reponenda forent in Præfationem meam conjeci, ad quam proinde amandari, Lector, te ſinas. Unice vero adnotabo, ſat bene inter ſe convenire (quod nullo modo intelligi poſſe arbitratur Schelhornius) Proteſtantes eruditos a me ſæpius ſollicitatos fuiſſe, ac modo etiam urgeri, ut ex Bibliothecarum ſuarum armariis probatæ fidei monumenta, ſi quæ ibi inſint, immortalibus Pauli III. laudibus adverſantia, libere, & audacter depromant, meam hanc, inquam, efflagitationem ſat bene convenire cum eo rogatu, quo in dedicatione Vitæ Cardinalis Gaſparis Contareni excitandum duxi præclariſſimum Gurcenſem Antiſtitem, meique amiciſſimum, Joſephum de Thunn, *ad coercendos Sectarios, quibus nimis miſere jam abundat Germania, ut ab inſectatione nominis Pauli III. hactenus iniquiſſime facta deſiſtant*. Hujuſmodi coercitio annon juſta de cauſa poſtuletur, ſiquidem iidem poſt indubiæ etiam fidei documenta a me primum in medium allata ad vindicandam ejus Pontificis famam, hanc vexare pergant, veteres tantum cantilenas, meras proinde contumelias obganniendo? Nonne Reipublicæ expedit, ne improborum obtrectatorum procacitas fas ſibi eſſe putet, Supremorum etiam Principum ca-

capitibus insultare ? Dejectus a ducentis, & amplius annis per summam injuriam, nulla scilicet publica auctoritate, sed tantummodo factiosorum hominum protervia, Romanus Pontifex ab eo Primatu, quem in universam Christi Ecclesiam gerebat, eam tamen adhuc inter terrarum Rectores dignitatem, potestatemque obtinet, ut nulla ratione ferri posse videatur, eosdem homines, priscis opprobriis recantatis, ejus majestatis proscindendæ nullum finem facere. Itaque Præsulem illum, Catholicæ Fidei mire studiosum, iterum exoro, ut omnem navare velit operam *a costringere i Settarj, de' quali pur troppo miseramente abbonda la Germania, di desistere dalla persecuzione ingiustissimamente finora fatta al nome di Paolo III.* imo profiteor, scelestis hujusmodi ausibus frænum tandem injici ad cujusvis politicæ potestatis officium spectare seu ex orthodoxæ Religionis zelo, seu ex æqui, honestique legibus, quibus jubemur, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ac propterea nec etiam alteri fieri patiaris.

SCHELHORNIUS.

II. *Patere autem*, DOMINE, *ut ante omnia, ne andabatarum more pugnare videar, quod alicubi præter meam culpam vitio mihi dedisti, hac de re ipsa verba Tua in gratiam aliorum lectorum recitem, cum insignis illa Epistolarum Reginaldi Poli, Cardinalis Britanni, collectio maxime laudabili studio Tuo in dias luminis auras feliciter emitti cœpta, nuspiam apud nos venum prostet, nec ullo pretio ex ipsa Italia a nostris impetrari queat. Hujusce enim velitationis nostræ literariæ testes præcipue ac judices, libero ejusmodi scriptionibus in Italiam vestram aditu fere intercluso, esse cupio Viros doctrinæ, ac virtutum laude florentes e Germanis, quorum ubere proventu ætas nostra per Dei gratiam gaudet.*

Si igitur placet, recognosce Tua verba ita fluentia : „ De „ eo Consilio dum agerem in Diatribæ Cap. V. jam noram &c.

Locus ad quem sub initium provocas, non in Cap. V. sed Sexto, eoque ultimo Diatribæ tuæ doctissimæ p. 367. seqq. extat, e quo hæc tantum decerpere nostra refert : „ Indicatur his ver- „ bis (*Beccatelli scilicet, ac Duditbii in vita Cardinal's Poli*) „ celebre illud Consilium, quod anno 1538. Romæ evulgatum „ typis Antonii Bladi &c.

Me-

Meministi quoque hujus Consilii in Diatriba secundæ Epistolarum Poli parti præmissa, §. VIII. p. CXC. sq. tandemque in libri Tui de Gestis Pauli III. Farnesii primo ejus Pontificatus quinquennio Cap. IV. p. 58. sq. hæc habes : „ Quodnam judicium ferendum sit de libello, quem hoc titulo prænotatum, Consilium delectorum Cardinalium de emendanda Ecclesia &c., *pag.* 7. 8. 9. 10. 11.

Cardo itaque rei, inter nos transigendæ, in eo maxime vertitur, num novemvirale illud Consilium, tantis abs Te laudibus cumulatum, ac jubente Paulo III. conscriptum, in librorum prohibitorum syllabum sit relatum a Paulo IV. qui tamen, cum adhuc Jo. Petrus Caraffa Cardinalis Theatinus esset, ipse unus ex præcipuis fuit ad illam de emendanda Ecclesia deliberationem adhibitis, Tu, REVERENDISSIME PRÆSUL, *id in dubium vocas, omni studio efficere conatus, ut proscriptio, quam revera in Romano Indice legi haud diffiteris, cadere potius in Consilii ejusdem explicationes, sive ab Heterodoxis, quo nomine Jo. Sturmium designas, sive a vestris evulgatas, quam in ipsum Consilium censeatur. Mihi vero certum & extra omnem dubitationis aleam positum videtur, non Sturmii tantum epistolam, aliorumque explicationes atro in Indice Pauli IV. ac cæteris eum secutis carbone notari, verum ipsum etiam illud de emendanda Ecclesia Consilium.*

Sed agedum, liceat mihi jam prius, pace Tua, modeste excutere rationes, quibus aliquam verisimilitudinis speciem opinioni Tuæ ingeniose conciliare studes, ac deinde meam sententiam idoneis argumentis fulcire. Hoc enim pacto, uti spero, res, quæ Tibi maxime involuta, & ænigmati similis in eruditissima Diatriba, alteri Epistolarum Poli Tomo præfixa, p. CXCI. videtur, in plenam lucem collocabitur, licet probe Œdipum me haud esse norim.

Verba eam censuram indicantia, *scribis*, quæ non alia sunt, nisi, LIBER INSCRIPTUS DE EMENDANDA ECCLESIA, cur, ajebam ipse, accommodari non valeant Sturmii libello, in hunc modum, teste Niceronio Memoir. T. XXIX. prænotato : CONSILIUM DELECTORUM CARDINALIUM DE EMENDANDA ECCLESIA, JOANNIS STURMII EPISTOLA DE EADEM RE?

Ad hæc respondeo. Verba eam censuram indicantia sunt sane alia. Non enim sic fluunt : LIBER INSCRIPTUS DE EMENDANDA ECCLESIA ; *sed potius* LIBER INSCRIPTUS CONSILIUM DE EMENDANDA ECCLESIA. *Tres Indicis, auspiciis Pauli IV. A. MDLIX. primum editi, editiones inter reculas meas cimeliorum instar adservo, quarum duæ in Italia typis excusæ sunt, una Bononiæ*

eo

eo ipso anno cura fratris Eustachii Lucatelli Inquisitoris Bonon. diserte eam in omnibus & per omnia conformem esse editioni sibi Roma ab universali officio Romanæ inquisitionis transmissæ testantis, quod & nominis sui subscriptione Jo. Episcopus Bononien. *confirmat. Altera itidem in Italia, quod typi evincunt, in forma octuplici, sicuti prior, sine tamen loci & anni indicio lucem adspexit. Tertia debetur laudandæ industriæ Petri Pauli Vergerii, Episcopi quondam Justinopolitani, ac Pontificis Romani in Germania Nuncii, tandem vero derelictis Papæ partibus evangelicæ veritatis confessoris, qui eam animadversionibus suis oppido memorabilibus, lectuque dignissimis instructam Pforzheimii A. MDLX. in 8. publici juris fecit. In singulis his editionibus ita legitur :* LIBER INSCRIPTUS CONSILIUM DE EMENDANDA ECCLESIA; *in nulla vero :* LIBER INSCRIPTUS DE EMENDANDA ECCLESIA.

Niceronius, Vir diligentissimus, & longiori vita dignus, cujus commentarios biographicos jure magni æstimo, non plenum editionis Sturmii titulum exhibuit, sed his ille potius verbis absolvitur : Consilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda ecclesia. Epistola Joannis Sturmii de eadem re, ad Cardinales, ceterosque viros ad eam consultationem delectos. Argentor. 1538. *in* 4. *Exstat hæc Editio rarissime obvia in Bibliotheca a Rudolpho Augusto, Duce Brunsvic ac Luneburg litteratorumque, dum vitali frueretur aura, principe quondam collecta.* (a)

Ecquis vero, sodes, jam sibi facile persuaderi sinat, in Indice Paulino, & reliquis, ubi Consilium de Emendanda Ecclesia *diserte, nulla plane Sturmii mentione ibi habita, proscribitur, Sturmii duntaxat epistolam, vel etiam editionem tantum illius Consilii, epistola annexa, sub examen vocati, ab eo Argentinæ curatam configi, nisi qui perinde esse autumat, sive nodum seces, sive solvas, modo nihil Romanæ Sedi minus honorificum, quantumvis manifeste in oculos incurrat, concedatur? Si Sturmii tantum epistolam damnatam voluit Paulus IV. cur non, quod par erat, nec adeo difficile, proprio eam nomine indicavit? Haud ita sane obtusi erat ingenii rigidus ille Pontifex, ut non facile hariolari posset, fore, ut lectores sui Indicis, ac præsertim Protestantes, si notæ illi censoriæ,* Liber inscriptus Consilium de emendanda Ecclesia, *nihil præterea de Sturmio adjiceret, de hoc plane non, verum potius de illo delectorum Cardinalium ac Præsulum Consilio hac ratione damnato cogitent. Quam autem pudenda fuisset eorum, qui Indicem illius imperio consarci-*

(a) Teste Hermanno von der Hardt in tertio tomo operis, quod *Autographa Lutheri & Coætaneorum* inscripsit. p. 279.

cinarunt, incuria, quam turpis oscitantia, si non errori illi, quod vel verbulo de Sturmio addito facile fieri poterat, ivissent obviam?

ANIMADVERSIO.

II. Ultro assentior, in prolixioribus iis locis, quæ meis e Scriptis Schelhornius recitavit, pro *Cap. V.* meæ Diatribæ poni debere *Cap. VI.* & pro *Liber inscriptus de emendanda Ecclesia*, legi *Liber inscriptus Consilium de emendanda Ecclesia*. Æque assentiretur Niceronius, si in vivis degeret, Sturmianam ejus Consilii Editionem non decurtatum, qualem ille retulit, sed plenum titulum præferre, quem exhibuit Schelhornius.

Venio nunc ad graviora. Petit Schelhornius, quisnam ille sit, qui facile sibi persuaderi sinat suspicionem, quam ipse omnium primus excitavi, de Sturmiana Editione in Paulino Indice damnata? Sua ipsa verba adversus Schelhornium regerendo, petam ab ipso, Si Consilium ipsum damnatum voluit Paulus IV. *cur non, quod par erat, nec adeo difficile, propriis illud indiciis designavit?* Cur notæ illi censoriæ, *Liber inscriptus Consilium de emendanda Ecclesia*, nihil præterea de Paulo III. cujus jussu, de Cardinalibus, & Prælatis, quorum opera prodiit, adjecit, ne de alio Consilio, sed unice de Novemvirali damnato cogitari ab ullo posset?

SCHELHORNIUS.

III. *Evolve, quæso, haud gravatim*, DOMINE, *Pauli IV. Indicem, & mox post nostrum, de quo disceptamus, Consilium hanc notam invenies*: Lib. inscrip. Consilium Pauli III. datum Imperatori in Belgis, cum Eusebii Pamphili pia explicatione. *Vide, quam circumspectus sit Indicis fabricator, ne ipsum hoc Pauli III. Consilium damnasse videatur, sed junctum modo cum aculeata illa scriptoris ψευδωνύμου epicrisi.*

Acerbum diploma Paulus III. ad Augustissimum Cæsarem Carolum V. A. 1544. perferendum curavit, quum is in comitiis Spirensibus nonnihil Evangelicis indulsisset, ac in cogenda synodo & definiendis fidei controversiis aliquid potestatis sibi sumsisset. Protulit illud in lucem A. 1545. suppresso suo nomine, Joannes Calvinus, acerrimis scholiis castigatum, sub titulo: Admonitio paterna Pauli III. Romani Pontificis ad invictissimum Cæsa-

farem Carolum V. &c. cum fcholiis (*) *Hæ animadverfiones initium capiunt a pag. 43. & ad finem ufque libelli procedunt, hac ἐπιγραφῇ inftructæ*: Scholia in Epiftolam Pauli III. Pont. Max. *Hoc ipfo autem titulo occurrunt illa damnata in Indice Pauli IV. litera S. inter incertorum auctorum libros probibitos, ne fcilicet ad credendum lector inducatur, ipfam prædecefforis fui epiftolam, hifce fcholiis præfixam, quæ plane fibi erat ad palatum, ab fe nigro theta effe notatam.*

Ad hunc modum ei confuetum hic etiam fcribendum illi fuiffet, fi nihil Confilio ipfi derogare voluiffet, vel Confilium de emendanda Ecclefia cum Jo. Sturmii epiftola, *vel potius* Jo. Sturmii epiftola de Confilio de emendanda Ecclefia.

Idem Index, quem reliqui deinde ad noftram ufque ætatem fecuti funt, obelo in tertia Claffe lit. D. transfixit Diurnale Romanum, *fed ne quis ineptiffime fibi perfuaderet, cuncta eum e medio fublata voluiffe Diurnalia Romana, prudenter adjecit* impreffum Lugduni in ædibus Filiberti Rolleti & Bartholomæi Fraeni. *Annon & hic neceffitas notulam aliquam efflagitaffet, qua editionem tantum Sturmii, vel etiam Vergerii, aut aliorum Proteftantium, quos hæreticorum nomine vos inique oneratis, rejectam effe diluc ide fignificaretur?*

Expulfo A. 1538. Geneva quorundam inftigatione cum duobus collegis Joanne Calvino, Jacobus Sadoletus, Cardinalis & Epifcopus Carpentoractenfis, hanc occafionem ambabus arripiens manibus, ad Senatum populumque Genevenfem literas magna, qua plurimum pollebat, eloquentia fcriptas anno fequenti dedit, in quibus nihil eorum prætermifit, quæ ad eos in Romanæ ecclefiæ gremium revocandos pertineret. Illis autem Calvinus, Argentinæ tum degens, pari facundia ita refpondit, ut ille mox totum iftud negotium omiferit. Hæ binæ epiftolæ junctim dein publici fuere juris factæ. Locum igitur invenerunt in Catalogo librorum probibitorum, a Facultate Theologica Parifienfi A. 1542. confecto, ita vero, ut follicite caveretur, ne lectores Jacobi Sadoleti epiftolam atro carbone notatam fufpicarentur. Numero enim 60. hæc leguntur: Deux Epitres, l'une de Jaques Sadolet Eveque de Carpentras, & la feconde de Jaques (*leg. Jean.*) Calvin. LA DEUXIEME REPROUVEE. *Nifi omnia me fallunt, majus fuiffet operæ pretium pari follicitudine ipfum novemvirale Confilium diferte a Jo: Sturmii epiftola diftinguere, fi illud Indicis auctores non fimul fuppreffum voluiffent.*

ANI-

(*) Hunc libellum raro obvium in fplendidiffima Tua Bibliotheca exftare novi.

ANIMADVERSIO.

III. Schelhornio hoc quoque loco sua verba reddens, ita ipsum compellabo, *Evolve, quæso, haud gravatim Pauli IV. Indicem*, & invenies ibidem pari breviloquentia, ac Consilium, de quo agitur, libros quamplurimos, ne dicam plerosque omnes, prænotari. Atque ut sistamus unice in litera L. cui liber Consilii illius adscribitur, hi quoque libri sub ipsa recensentur: *Liber de auctoritate, officio, & potestate Pastorum*: *Liber in Orationem Dominicam*: *Liber de Providentia Dei*: *Liber de falsa Religione*. Quis negaverit hujuscemodi titulos valde & ipsos laconicos esse, ac propterea absque hariolatione vix certo hac ætate definiri posse, quinam sint libri iisdem designati, quandoquidem non Authoris tantum nomen, sed locus, sed annus impressionis eorundem reticetur? Quid vero dicet Schelhornius, dum inter eosdem sibi occurret etiam *Liber de Unitate Ecclesiastica*? Fateatur, oportet, haud defuturos qui suspicentur, eo titulo enuntiari librum a Polo exaratum, & Henrico Regi transmissum, atque ita cogitantes, pro re certa habituros Editionem Argentoratensem ejus libri a Vergerio curatam, cujusmodi apertis verbis in Indice Hispaniensi damnatur, non vero Opus ipsum vetitorum librorum classi accenseri. Æqua igitur potestas nobis dabitur existimandi, Sturmianam Editionem potius, quam Consilium ipsum, in Indice configi, siquidem compertum foret Novemvirale potius, quam aliud quodcumque Consilium, per Indicem significari. Si vero Schelhornius opponeret, librum *de Unitate Ecclesiastica* in eo Indice reponi inter libros incertorum Auctorum, cum autem, quem Polus conscripsit, Authoris sui nomen præferre; subdam ego, locum inter eosdem pariter sortitum fuisse Consilium de emendanda Ecclesia; aliud ergo habendum erit ab eo, quod in Romana Bladi Editione, & in aliis etiam, Auctores certos semel iterumque declarat; in fronte scilicet, ubi legitur, *Consilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia S. D. N. D. Paulo III. ipso jubente conscriptum*, & ad calcem, ubi Novemvirûm nomina exhibentur. Frustra quoque con-

tendit Schelhornius, quoniam Scholia in Epiſtolam Pauli III. Pont. Max. non vero Epiſtola ipſa, inter libros occurrunt damnatos in eo Indice, hujus accurationem inde certo certius omnium oculis patefieri. Fruſtra, inquam, nam petam, quænam ſit Epiſtola illa Pauli III. Pontificis? quænam ſint Scholia, quæ nigro theta notari commeruerint? Hujuſcemodi quæſtionibus obnoxios eſſe poſſe omnes ferme librorum titulos in Pauli Indice deſcriptos, fateretur abſque ulla dubitatione & ipſe Schelhornius, imo anſam inde deſumeret ei Pontifici inſultandi, niſi laudem diligentiæ, & ingenii non obtuſi, quam eidem hoc loco tribuit, in rem ſuam eſſe exiſtimaſſet. Caveas tamen quicumque mea iſta legeris ne putes, Indicis fabricatorem ceu parum circumſpectum in invidiam a me vocari ob compreſſionem, cujus eſt ſermo. Habet etenim iſta juſtam excuſationem inde profectam, quod libri in Indice confixi adeo ea ætate, qua iſte confectus fuit, in propatulo erant, ut fuſiori tituli deſcriptione, unde omnibus innoteſcerent, minime indigerent. Notiſſima vero Pauli IV. temporibus Sturmiana Conſilii Novemviralis Editio; contra, quæ Antonii Bladi typis prodiit, ut ſtatim conſtabit, lucem, quam viderat, ſubito amiſit, eaque proinde omnino carebat, dum Pauli IV. Index conderetur.

Schelhornius.

IV. *Sed hæc ad opinionem tuam infringendam ſufficere ratus, pergo Tecum*, Eminentissime Quirine. *Conjecturæ Tuæ patrocinari, ejuſque veriſimilitudinem augere exiſtimas, quod Paulus Sarpius in Hiſtoria Concilii Tridentini non admodum certe ſollicitus in ſupprimendis iis, quæ Romanæ curiæ & ſingulariter Pauli IV. honori parum faverent, de Conſilio illo Lib. I. loquens, ne verbulo quidem eam cenſuram deſignet, prodatque tantum, illud clanculum quidem, at Pontifice Paulo III. probante, tranſmiſſum fuiſſe in Germaniam Cardinalis Scombergii opera. Magis autem, magiſque confirmatum Te eſſe in ea ſententia addis, quod Sarpii ſilentium imitati eſſent ſcriptores alii, erga curiam illam ſeu nihilo, ſeu paulo melius, quam Sarpius, animati, interque hos Joannes Launojus.*

Vera hæc eſſe lubens fateor. Ignorarunt hi Viri cordatiſſimi, digitum in Indice intendi in illud delectorum Cardinalium ac Præſulum Conſilium. Quid vero tum? Nihil hinc mea ſententia amittit

tit roboris, firmis rationibus nixa. Argumentari enim ab unius alteriusve scriptoris silentio, vel ignoratione etiam, ad ipsius facti negationem haud licere, Tute ipsemet fateberis. Non sequitur, *inquit Bellarminus*, Lucas & Paulus non dicunt Petrum fuisse Romæ, igitur Petrus non fuit Romæ.

ANIMADVERSIO.

IV. Utique ab unius, alteriusve Scriptoris silentio, vel ignoratione etiam, ad ipsius facti negationem argumentari haud licet. At ego facti, de quo agitur, negandi argumentum desumsi non ab uno alterove Scriptore, sed a confertissimo Scriptorum manipulo tam Catholicorum, quam Acatholicorum, de quibus certe absque ulla verisimilitudinis specie affirmetur, idem factum seu ignorasse, seu silentio pressisse. Non sequitur profecto, Beatum Petrum Romæ non fuisse, propterea quod iter istud Lucas, & Paulus non memoraverint. Sequitur vero, Sleidanum, Sarpium, Sekendorffium, & alios hujusmodi, maximæ apud Protestantes auctoritatis, Scriptores, de Consultatione Novemvirali differentes, animo erga Romani Pontificis imperium, unde illa prodiit, quam maxime hostili, & ne verbulo quidem indicantes, eandem a Paulo IV. inter libros proscriptos, quorum Indicem iidem ante oculos habebant, repositam fuisse, silentio isto suo palam declarasse, eam condemnationem habendam esse pro fabulosa. At eandem, dicit Schelhornius, pro re explorata habuerunt primo Vergerius, qui buccinam inflavit, ut Pauli IV. scelus denuntiaret, deinde nonnulli gregales sui, qui ejusdem buccinæ sonum repercusserunt. Inde ergo consequetur, repono ego, accusationem illam in Paulum, & in ejus Indicem celebritatem hujusmodi habuisse, quæ certius evincat, Scriptorum superius memoratorum silentium non ex facti ignoratione ortum duxisse, sed ex indubia eorundem persuasione, causam, quam Vergerius suscepit, adeo iniquam esse, ut ipsorum patrocinium nullo pacto promereretur.

SCHE-

Schelhornius.

V. *Addo. Non sequitur, Sarpius, Possevinus, Pallavicinus, Launojus, & alii plerique omnes ignorarunt Consilium de emendanda ecclesia Romæ typis esse excusum, quod Tu,* Domine, *nos primus edocuisti; ergo non fuit ibi editum. Hinc vero etiam infero: Non sequitur, Sarpius, Launojus, aliique nescierunt Consilium illud inter libros damnatos a Paulo IV. fuisse relatum; ergo hoc factum haud est.*

Animadversio.

V. Quod addit Schelhornius, nihil prorsus ejus causæ suffragatur. Ut enim suffragaretur, necesse foret eundem demonstrare, I. Romanam Consultationis Novemviralis typis Bladi Editionem æque celebratam fuisse ex Scriptorum testimoniis, ac celebrem reddidit ejusdem assertam condemnationem, quem dixi, buccinæ sonitus. II. Certum olim ejusdem Editionis documentum in libro omnino obvio extitisse, par scilicet illi, quod, teste Vergerio, eam condemnationem adstruebat in Pauli IV. Indice. III. Adeo magni momenti fuisse Editionis illius notitiam sibi parare, publicamque facere, ac intererat tam Orthodoxorum, quam Sectariorum innotescere, & vulgari condemnationem illam; horum quidem, ut eandem Sedi Apostolicæ exprobrarent; illorum vero, ut in ea collaudanda caute se gererent. Hæc tria, ut dixi, necesse foret Schelhornium demonstrare, quod nunquam profecto præstabit.

Undenam adductus sit Schelhornius, ut in me laudem contulerit, quod primus edocuerim Consilium de emendanda Ecclesia Romæ typis excusum fuisse, plane non video; nec enim eandem ego mihi arrogavi, sed contra de typis illis ita scripsi: *Hi laudantur in Bibl. Script. Ord. Præd. T. II. p. 133. & ab aliis etiam*. Quæ mea verba quum allegaverit ipse Schelhornius, peregre ejus animum fuisse dicam, dum eam mihi laudem, liberalius quam deceret, adscripsit.

Sche-

SCHELHORNIUS.

VI. *Si lustrare Viris illis doctissimis datum fuisset Vergerii animadversiones in Indicem Pauli IV. optimæ frugis plenas, siquè judicii, quo uterque pollebat, longe perspicacissimi intendissent aciem, in ejus sententiam ipsos fuisse descensuros haud dubito. Vidit tamen Launojus, illud Consilium sui ævi Inquisitoribus minus probari. Ita enim ille in epistola ad Henricum Barrillonium, abs Te etiam allegata.* Sub excommunicationis pœna legi prohibent, quod Paulus III. sub excommunicationis pœna fieri voluit. Proh nefas! Nam ut prohibitorio Indici liber adscribatur, omnino satis est, si in eo Consilium delectorum Cardinalium laudetur, quod tamen Paulus III. gratum ratumque habuit, nec aliter habere potuit, cum tam severe jusserit, ut Consilium fieret.

ANIMADVERSIO.

VI. Haud opus erat a Viris doctissimis Vergerii Animadversiones lustrari, ut spretæ sanctissimæ Consultationis infamiam, cujus ille Paulum IV. insimulavit, edíscerent; namque Indice tantum, quem Pontifex iste vulgavit, perlecto, flagitium illud in eo deprehendissent, qua ipsa ratione Vergerius deprehendere potis fuit. Præterea Vergeriana Scripta plane ad palatum Protestantibus fuisse omni ævo, in dubium vocari nequit, quemadmodum certa res est, a Sekendorffio eas Animadversiones inter ea Vergerii Opera laudari, quæ oculis suis patuerunt, Histor. Luther. p. 601.

Nego vero, Launojum vidisse, eandem Consultationem sui ævi Inquisitoribus parum probari; id enim dumtaxat suspicari voluit, & injuria quidem, ut, quæ Schelhornius ipse recitavit, verba ista mea declararunt: *Quis autem non indignetur, dum Joannem Launojum in Epistola ad Henricum Barrillonium affirmare deprehendit, hodiernos Inquisitores sub Excommunicationis pœna legi prohibere Consilium illud, atque ut prohibitorio Indici liber adscribatur, omnino satis esse, si in eo illud laudetur?* Quoniam Schelhornius in Nota, quam hoc loco subjungit, Epistolæ scilicet suæ p. 16. Launoii doctrinam maximis laudibus exornat, velim, Lector, oculis tuis iterum usurpes, quæ in Præfatione mea legisti; sunt enim hujusmodi, ut Schelhornio insolentius Docto-

ctoris illius Parisiensis auctoritatem jactanti vetus adagium regeri valeat, *Hic Rhodus, hic saltus.*

SCHELHORNIUS.

VII. *Neque caussæ, cujus patrocinium suscepi, quicquam officit, quod scriptores vestris placitis addictissimi, inter quos Antonium Possevinum nominatim recenses, se dolere professi sint, Consilium illud, quod in Collectione Conciliorum Petri Crabbe Colon. Agripp. A. 1551. luci exposita comparet, in Suriana aliisque posterioribus desiderari. Licet enim inde prono fluat alveo, eos de censura in laudatum Consilium nihil rescivisse, quod illorum de ista prætermissione querelæ satis indicant; ea tamen ipsa illius ex collectionibus Conciliorum, post Petri Crabbe industriam editis, non Suriana tantum, sed reliquis etiam ad unam omnibus rejectio pro mea sententia corroboranda valide pugnat; subitque mirari, Viris, ceteroquin ingenii acie non destitutis, inde haud suboluisse, caussam sane fonticam huic omissioni ansam præbuisse, quæ non alia facile esse potuit, quam illius Consilii ac eo contentorum veritatis testimoniorum ab ipsa Romana Curia orta suppressio.*

ANIMADVERSIO.

VII. Prætermissa in Conciliorum Editionibus Novemviralis Consultatio tunc solum justam causam præberet suspicandi, eandem, ceu in Romano Indice proscriptam, locum sortiri in iisdem, Editorum judicio, non commeruisse, quando aut ipsi Editores, aut saltem illis coævi Scriptores Catholici mentionem aliquam ejus censuræ fecisse comperimus. Accidit vero contra, neminem adhuc ex iis Scriptoribus a condita illa Consultatione usque ad præsens tempus eandem memorasse, quin ipsam ceu sanctissimum, & sapientissimum Opus ceu excellentem Christianæ doctrinæ, & pietatis typum collaudaverit. Hæ ipsæ laudes, quas eidem deberi in confesso apud Catholicos scriptores omni ævo fuit, effecerunt, ut Possevinus, aliique ex ipsis, vehementer de prætermissione, de qua sermonem facimus, doluerint; indeque certum argumentum trahimus, eosdem nec per umbram de ejus libelli per Indicem Romanum damnatione cogitasse, ac proinde longissime abfuisse, ut putarent eam obstitisse,

ne

ne idem libellus in Conciliorum Editionibus sedem nancisceretur. In Crabiana utique non desideratur. Istam autem cum Author emiserit aliquot annis ante Indicem a Paulo IV. confectum, nec ipsa certe in eodem censuram evasisset, nisi absque dubio foret, nullo pacto eandem subiisse libellum illum.

SCHELHORNIUS.

VIII. *Censes quidem*, DOMINE, *in doctissima Tua Diatriba, quæ primam Epistolarum Cardinalis Poli partem condecorat, p. 367. Antonium Possevinum querela sua de ejus Consilii in Surii Conciliorum corpore omissione supersedere potuisse, si animadvertisset, locum eidem in Conciliorum Collectionibus non deberi; quod hujusmodi Consultationes ea auctoritate, quæ inest Conciliis, destituantur. Verum enimvero si hoc nomine locus illi in grandibus istius generis Syllogis dandus haud fuit, concedendus tamen ei jure merito erat tanquam insigni, Te judice, monumento zeli pontificii, quo viam sternere ad supremam manum emendationi Ecclesiæ eo felicius in Concilio imponendam voluisse Paulum III. ejusque hac in re consiliarios, haud dubie arbitraberis. Nonne enim æquum est, ut in magnis istiusmodi collectionibus ad acta Conciliorum reddenda, quantum fieri potest, omnibus numeris absoluta etiam ea exhibeantur monumenta, quæ nexum cum Conciliis habent, sive illa præcesserint, sive proxime secuta sint?*

Ipse sane Severinus Binius &c. p. 18.

ANIMADVERSIO.

VIII. Instat ergo Schelhornius, & quærit, quænam igitur fuit causa, ut Consultatio in Collectionibus illis omitteretur? Antequam ego respondeam, ab ipso postulabo, ut causam mihi afferat, cur Scripti illius versio Germanica a Luthero edita cum Præfatione, & Notis ad marginem satis aculeatis, exstet quidem in ejus regionis Bibliothecis, in Tomos autem Operum Lutheri relata non fuerit? Huic interrogationi non aliis verbis Schelhornium puto satisfacturum, nisi a Sekendorffio usurpatis, videlicet, *Nescio qua causa*. Satis igitur foret, si, par pari reddendo, Schelhornio sciscitanti ejus prætermissionis causam, reponerem & ego, *Nescio qua causa*. Attamen haud ita reposui, quemadmodum constat ex meis verbis a Schelhornio recitatis, quæ hujus-

jusmodi sunt, *Consilium illud quod in Collectione Conciliorum Petri Crabbe Colon. Agripp. an. 1551. comparet, in Suriana (unde autem id acciderit, in Diatriba explicavi) aliisque posterioribus desiderari*. Rejicit quam attuli explicationem Schelhornius, objiciens, plura in Collectionibus illis comprehendi, licet, Novemviralis Consultationis instar, haudquaquam recenseri valeant inter conditas in Conciliis definitiones. Plura ergo, & non omnia (aio ipse) quod Collectores singuli in eorundem acervo conficiendo nulla lege adstrictos se senserint, ac proinde seu genio tantum suo indulserint, seu amplioris sibi supellectilis parandæ facultate caruerint. Quam autem causam afferemus, cur in Regia Conciliorum Editione locum invenerint ea etiam monumenta, quæ, si Gallos Scriptores audiamus, maculam memoriæ Regum Franciæ adspergunt, decretisque regiam potestatem circumscribentibus, & Regno schismatis notam impingentibus conciliant auctoritatem? cur etiam Acta Conciliorum ab Joanne Harduino auspiciis Ludovici XIV. Galliarum Regis, imo nutu, jussuque publicata e Regia Typographia plura complectantur, ut contendit Du-Pinius in Scripto ad Parlamentum Parisiense, Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Regumque potestati contraria? Habere ista multo difficiliores explicatus, quam prætermissio a Schelhornii stylo vexata, nec Schelhornius ipse in dubium revocaverit.

SCHELHORNIUS.

IX. *Hinc Edmundus quoque Richerius, Vir optimus, quem ingenuus candor monarchiæ pontificiæ patronis adeo reddidit invisum, ut non omnia duntaxat ejus opera in librorum damnatorum censum referrentur, sed ipse etiam carcere & vinculis, ac tandem, quanquam jam grandævus, vitæ dispendio sinceritatem suam lueret. Richerius, inquam, ille, ex gestis Conciliorum ecclesiæ primitivæ dignosci censet, hoc antiquis patribus semper propositum fuisse, ut omnia acta diligenter referrent, quæ aut præcessissent, aut secuta essent Concilia, cujus quidem rei gesta primæ Synodi Ephesinæ, Concilii Chalcedonensis, &c. certissimam fidem faciant; valde igitur dolet, sæculo, quo ars typographica florebat, omnia acta Synodi Tridentinæ fideliter edita non fuisse, quorum quidem prœmium & fundamentum commentarii fidu-*

duciæ Adriani VI. ad Franciscum Cheregatum Nuncium Pontificium in Germania cum articulis jussu Pauli III. pro ecclesia & curia reformanda conceptis facere illi videntur. Laudat deinde Petrum Crabbe, quod Consilium Paulo III. datum Synodo Tridentinæ in sua collectione præfixerit, miratus, quonam casu vel instituto hoc a Laurentio Surio prætermissum aut expunctum fuerit. De Severini autem Binii collectione & Romana Conciliorum editione non esse ita laborandum existimat; cum ipse Binius fateatur, se in sua Sylloge Baronium & Bellarminum auctores sequi, quibus hoc propositum esse nemo ignoret, ut temporalem curiæ Romanæ monarchiam quovis jure vel injuria vindicent, & nullâ indigere emendatione, aut saltem, quæ ab alio quam a summo & falli nescio Monarcha ecclesiæ fieri debeat, demonstrent. Unde in hoc studium præsertim incumbant, ut omnia acta, quæ curiæ & ecclesiæ reformandæ necessitatem indicant, abrogent.

Philippus quidem Labbe &c. p. 21.

ANIMADVERSIO.

IX. Vidisti jam, Lector, superius, quam male Schelhornius rationibus suis consuluerit, Jo. Launojum mihi objiciens ceu integerrimum, ac luculentissimum adversus Pontificios testem, tantæque authoritatis, ut ejus dictis refragari idem prorsus sit, ac veritatem respuere; male, inquam, propterea quod diserte professus fuerit Launojus, non Paulum III. non Paulum IV. Novemviralem Consultationem unquam reprobasse, nec per Romanum Indicem eandem unquam confixam fuisse. Modo autem ostendam, quam incommodæ iisdem rationibus cedant eximiæ laudes, quibus ille hoc loco Edmundum Richerium condecorat. Ac primo observo, Richerium miratum quidem fuisse, Consilium Novemvirale in Surii, aliisque collectionibus omissum fuisse, at de libello illo in Romanum Indicem relato, ac proinde de Vergeriana accusatione nec vola, nec vestigium apud eundem Richerium. Cur igitur hujus modestiam imitatus non est Schelhornius in ferendo de ea omissione judicio? Observo deinde, Commentarium fiduciæ Adriani VI. ad Franciscum Cheregatum Nuncium Pontificium in Germania, haud minus quam Articuli de Ecclesia, & Curia reformanda jussu Pauli III. conscripti, dignum a Richerio existimatum fuisse, qui

V 2 Actis

Actis Concilii Tridentini, ceu eorum prooemium, ac fundamentum præponeretur. Atqui in eo Commentario prooemium, & fundamentum eorum, quæ mandantur, hæc faciunt: *In primis declarabis eis maximum dolorem, quo affligimur ex prosperatione sectæ Lutheranæ, ob id potissimum, quod videmus innumerabiles animas Christi sanguine redemptas, & curæ nostræ pastorali commissas illius occasione a vera fide, ac religione averti, & in perditionem ire, idque in natione, ex qua nobis secundum carnem origo est, quæ ab initio, ex quo ad Christum conversa fuit, usque ad istos proximos annos semper exstitit fidelissima ac religiosissima. Ac propterea nobis vehementissimum desiderium esse, ut huic pesti celerius occurratur, priusquam Germaniæ ipsi contingat, quod Bohemiæ olim contigit; nosque paratissimos esse ad faciendum omnia in hunc effectum, quæ ex parte nostra exspectari poterunt, ac summopere desiderare, ut etiam unusquisque eorum hoc ipsum pro viribus facere studeat. Utque id faciant, nos quantum possumus, unumquemque eorum hortari, & rogare*. Exordio hujuscemodi, quod gerit Commentarius ille, alia omnia in eo tradita respondent, ac propterea vix oculis meis credo, dum video Schelhornium, æque ac Richerium, dolere Commentarium illum Collectionibus Conciliorum inditum non fuisse. Pugnat ergo Schelhornius adversus seipsum, Sectamque suam, dum pro Vergeriana calumnia tuenda, quam ejusdem Sectæ Antesignani prorsus despexerunt, iis utitur præsidiis, quæ susque deque vertunt non Lutheranæ tantum, sed Sectarum omnium a Catholica Ecclesia dissentientium dogmata, seu melius deliramenta. Heterodoxi, quibus sanum sit sinciput, cavere omnino debent, ne in ullo controversiarum genere testes adhibeant ad sententias suas firmandas seu Richerium, seu Launojum, seu alios hujusmodi Scriptores; nam statim a nobis regeri poterit, ut eorundem igitur authoritate permoti agnoscant, ac fateantur semper quidem laborandum esse in Ecclesia pro corruptelis extirpandis, at visibilem eam semper perstitisse, nec unquam posse deficere. Inter Launoii Epistolas una exstat, cui hujusmodi lemma præfigitur,

In

In ea Epistola totus est Launojus, ut Tridentini Concilii utilitatem prædicet. Collatis inter se Nicæna, & Tridentina Synodis, ostendit longe plura in Ecclesiam commoda ex secunda, quam ex prima evenisse. Attamen non dissimulat enata ex utraque incommoda, quæ hominum malitiæ unice adscribenda sunt. Marcum Antonium de Dominis, & Fratrem Paulum acriter perstringit.

Subdit in Notis ad hunc locum Schelhornius Epistolam de Richerii rebus, quam *memorabilem* dicit, Bartholomæi Morisoti, Viri, ut ille ait, gravissimi. Ea ad rem nostram nihil facit, quemadmodum ejusdem initium, quo Sanctorum coram Deo pro nobis intercessio adstruitur haud scio, an ad doctrinam suam conferre Schelhornius affirmarit.

SCHELHORNIUS.

X. *At enimvero neque hi* (Surius, Binius, regiusque Conciliorum Collector) *neque ipse Labbeus, nec post eum Harduinus, ac Nicolaus Coletus, qui tamen plurima alia documenta ad Synodi Tridentinæ historiam elucidanda spectantia, laudando studio Collectionibus suis inseruerunt, Novemvirale illud Consilium adjunxere: cujus omissionis non aliam quidem causam hariolari possum, quam quod istud in probibitorum librorum Indicibus damnatum sit.*

ANIMADVERSIO.

X. Neminem novi, a quo hariolationem istam suam acceperit Schelhornius, etsi perspicacissimi ingenii homines non defuerint, qui Conciliorum Collectionibus versatis ad eam omissionem animadverterint. Itaque erit ille contribulibus suis magnus Apollo. Velim ego, ut eo ipso munere modo fungatur in causa afferenda, ob quam haud dispar omissio in Lutheri Operum Collectione contigerit, ea, inquam, omissio, cujus superius memini. Id agens, se acutius sagacissimis illis hominibus, & Sekendorffio ipso cernere voluisse demonstrabit. Causam omissionis a Schelhornio adeo exagitatæ aliquam superius ego attuli n. VIII.

Quandoquidem vero eadem homini illi nihil satisfaciat, hariolationem meam de omisso in Lutheri Operum Collectio-

ctione Consilio Novemvirali ab ipso in lucem educto cum Annotationibus maximopere venenatis, percipiat. Puduit vel eos Collectores operæ a Luthero collocatæ in ea Editione curanda, hanc omnino sordidam rati præ Sturmiana, quæ passim in Germania omnium manibus terebatur. Quodnam fuerit utriusque discrimen, Cochlæi verbis in Epistola ad Sturmium exarata declarabo: *Attamen nihil dubito epistolam tuam longe æquiori animo a doctis & gravibus viris legi, quam Teuthonicam adversus viros illos Lutheri interpretationem. Tu enim a convitiis nonnihil temperas: Lutherus autem non veretur, tantos viros (quorum eruditionem vitæque integritatem, quam & tu fateris, novit ac laudat universa Italia) dicere perditos ac deploratos Nebulones. Tu Latine scribis, ut illi queant intelligere, quid approbes & quid reprehendas, atque quid amplius ab eis desideres: Lutherus autem Teuthonice ad rudes Germaniæ plebes, illos nequiter traducit, sicut fecit olim adversus Ezechiam Regem improbus Rapsaces. Tu eos in quibusdam laudas ac probas: Lutherus absque discrimine cuncta refutat; aut si tam manifeste bona sunt quæ illi dicunt, ut a nemine, nisi ab impiis & insanis, sensuque communi carentibus, reprehendi queant, ipse per calumniam in contrarium retorquet sensum, tanquam ficte ac dolose, aut per ironiam mentisque perversitatem ab eis dicta sint. Tu hortaris illos ad cæpta perficienda. Ille vero dira eis imprecatur, pro ejusmodi pacis & reformationis consilio. Tu Synodum generalem non omnino rejicis, aut respuis: Ille compluribus libellis variisque figmentis & picturis, atque Teuthonicis rythmis omnem Synodum Œcumenicam calumniatur ac recusat. Tu spem aliquam ad concordiam nobis relinquis. Ille jampridem minatur nobis bellum perpetuum, ut nec vivus nec mortuus, ullam nobis pacem aut quietem sit permissurus &c.* Sat bene intelligo, fore, ut meam istam hariolationem Schelhornius risu prosequatur, qua ratione par mihi reddet, qui suam multis sibilis dignam existimavi: *Veniam petimusque damusque vicissim.* Tigurini ipsi, quorum typis Schelhornius suam hanc Epistolam concredidit, fateri ultro debebunt, furore plusquam hæ-

hæretico plena esse Lutheri Scripta, siquidem ad memoriam revocent, eorum Majores cuidam hujus libello respondentes, ita dixisse: *Prophetæ, & Apostoli, Dei gloriæ, non privato honori, non suæ pertinaciæ, & superbiæ studebant, sed peccatorum salutem quærebant unice. Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & confestim Satanæ tradit quotquot illius sententiæ non illico subscribere velint, & in omnibus correptionibus suis plurimum maligni spiritus, quam minimum vero amici, & paterni ingenii deprehenditur.*

SCHELHORNIUS.

XI. *Provocas deinde, ut alterius progrediar,* CARDINALIS EMINENTISSIME, *ad Pallavicinum commemorantem, se ob oculos habuisse plures Pauli III. instructiones, quibus cavebatur, ne reformationis eo Consilio comprehensæ capita alicui* in iscritto, *de scripto darentur ullo modo, & præterea Cardinalis Aleandri ad Coeklæum literas, in quibus ita loquitur:* Multa haberem scribere de republica; sed mali custodes estis rerum arcanarum. Consilii Cardinalium promulgatio cum invectiva Sturmii manibus hominum teritur, antequam vel ab auctoribus edita, vel executioni fuerit demandata. *Unde infers, Consilium illud ea cautela Romæ servatum, ne manu etiam exaratum prodiret, nulla ratione Indicis censuræ obnoxium esse potuisse, eaque propterea dum emanavit, tantum in Sturmii libellum ut prolaberetur necesse fore; huc etiam facere existimans verba Vergerii, Amœnit. liter. Tom. VII. p. 268. a me recitata, atque a Te repetita. Addis, hæc omnia simul juncta, dum diatribam sæpe laudatam scriberes, conjecturam Tuam pro re omnino explorata proferri a Te posse Tibi persuasisse, nisi una simul compertum Tibi fuisset, quod allatos in medium Scriptores plerosque omnes qua ratione fugere potuerit, Te vix intelligere innuis; nimirum Consilium illud novemvirale vix Paulo III. Pontifici exhibitum in ipsa Urbe vulgatum fuisse A. 1538. typis iis ipsis, qui Indicem Pauli IV. vulgarunt, scilicet Antonii Bladi Cameralis Impressoris: alium etiam typographum, videlicet Gotardum de Ponte, præferre editionem ejusdem Consilii confectam eodem anno, quam in manibus Te habere, & in ea locum impressionis quidem sileri, at in fronte comparere stemma Pauli III. indicas, quod satis sit ad probandum, Pontificis auctoritatem eidem non defuisse.*

Hæc quidem legens, plane levatum me labore respondendi primum rebar: Sed confestim, quod una manu liberaliter dedisse vi-

videbaris, altera iterum nobis eripere conaris, quod verba Tua his subjecta affatim comprobant. Ita enim pergis: „ Ut ergo vela contraham, ingenue quidem modo fateri cogor, conjecturæ Illi meæ deesse validum illud subsidium, quod ipsi præbebat Romanæ editionis ignoratio (qua eos Scriptores laborasse satis mirari non possum) non ideo tamen causam omnino deserendam puto, sed adhuc litem sub Judice esse posse contendo, num Consilium de emendanda ecclesia in Indice ictum, illud ipsum sit, quod ex Romanis typis profluxit, an quod Germaniæ typi, adjuncta Sturmii Epistola, in lucem eduxerunt. Ut primum nulla ratione credatur, confert ea ipsa ignoratio, de qua modo dicebam, nam illa invicte probat, Romanam Editionem vel in ipsa Urbe Cimmeriis, aut adhuc obscurioribus tenebris contectam latuisse, ut perinde se haberet, ac si nusquam exstaret; ita vero latens quid opus erat, ut proscriptis libris accenseretur, eoque pacto ad hominum notitiam deduceretur? Addam, ita sepultam jacuisse, ut Vergerius in iisdem Annotationibus in Pauli IV. Indicem, opus sibi fuisse existimaverit, probare, eandem non confictam ab Hæreticis, sed vere germanum partum esse, idque ex literis, quibus Contarenus, & Sadoletus Sturmio rescripserunt, nec non ex verbis Petri a Soto, quem per contumeliam Brentius primo, deinde Vergerius Asotum appellarunt.

Celatam primo summopere voluisse Paulum III. eam consultationem, ex illa ipsa compertum nobis est. Ita enim laudati novemviri inter alia: Ut omnia liberius inter nos tractari possent, tibique a nobis explicari, jurejurando non obstrinxisti, addita etiam excommunicationis pœna, ne cuipiam aliquid hujus nostri muneris proderemus. *Hujus occultationis caussam Pallavicinus in loco abs Te citato ex variis Pauli mandatis hanc nobis prodidit; nimirum si cuiquam de scripto traderetur, mox hæreticorum typis impressam proditura esse, & si quid aulam Romanam tangeret, illico exprobratum iri, prout Adriani monitis a Cheregato Norimbergam delatis acciderit: Nec Romanæ aulæ vitia proferenda, ut evitaretur, quod obtigerat Miltitio, ad Saxonem a Leone misso, cujus narrationes quam facete, tam inconsulte ab ejus popularibus acceptæ sint, quasi luculenta testimonia aulæ Romanæ, atque pro hujusmodi in* Wormatiensibus *Comitiis exprobrata. Nec alia de caussa semper in Senatu statutum esse porro scribit, ea documenta clam habenda, & per opera potius, quam per leges complenda.*

An hoc, quod postremo loco tradit Pallavicinus, revera sit effectum, ac Pontifex ille diligens fuerit monitorum, a novemvirali isthoc Collegio ei subministratorum, executor, nos quidem val-

valde dubitamus, in altera id epistola curatiori disquisitioni nostræ subjecturi. Hominum autem oculis luculenta illa de Romanæ aulæ ac ecclesiæ corruptelis testimonia, quibus refertum est Consilium, voluisse plane subducta eos, qui vitia tegi maluerunt, quam emendari, facile credimus.

Nec sollicitudo illorum erat inanis, fore, ut si emanaverit nimis ingenua ista confessio, Protestantes eam typis recusam, inque suos usus conversam omnium conspectui exponant: Id quod Lutherus, Sturmius, ac Vergerius reapse magno Romanensium cordolio præstiterunt. Mirum vero, famosum illud Consilium in lucem exiisse, quantumvis ante aliter visum fuerit Paulo III. & purpuratorum Patrum Senatui, Romæ, quod plane ignorabat Pallavicinus, Tuque, DOMINE, *primus nos edocuisti, idque typis Antonii Bladi, Impressoris Cameræ, quam nuncupatis, Apostolicæ: atque adeo haud nesciente aut improbante Pontifice. Quis enim, eum sine superiorum permissione ac ipsius Papæ præscitu id facinus ausurum fuisse, sibi persuadeat?*

ANIMADVERSIO.

XI. Rudem indigestamque molem Lectoribus exhibent quæ hoc loco Schelhornius consarcinat. Ea vero magnam accipient lucem ex Pauli Sarpii narratione, quæ Schelhornio, ut reor, nullam falsitatis suspicionem movebit. Ita ille se habet: *Il Pontefice, ricevuta la relatione di questi Prelati, la fece considerare a molti Cardinali, & propose poi in Consistorio la materia, per prenderne deliberatione. Frate Nicolò Scomberg, dell'Ordine Dominicano, Cardinal di S. Sisto, con altro nome chiamato di Capua, con longhissimo discorso mostrò che quel tempo all'hora presente non comportava, che si riformasse alcuna cosa. Primieramente considerò la malitia humana, che sempre quando li è impedito un corso al male, ne ritrova un peggiore: & che è manco male tolerare il disordine conosciuto, & che per essere in uso, non dà tanta maraviglia, che per rimediar a quello, dare in uno che come nuovo restarà più apparente, & sarà anco più ripreso. Aggiunse, che sarebbe dare occasione a Lutherani, di vantarsi, che havessero sforzato il Pontefice a far quella riforma, & sopra tutte le cose considerava, che sarebbe stato principio, non di levar gli abusi soli, ma ancora insieme i buoni usi, & mettere in maggior pericolo*

tutte le cose della religione: perche con la riforma si confesserebbe, che le cose provedute, meritamente erano riprese da Lutherani; il che non sarebbe altro, che dar fomento a tutta la lor dottrina. In contrario Giovanni Pietro Caraffa, Cardinale Theatino, mostrò, che la riforma era necessaria, & grande offesa di Dio essere il tralasciarla: & rispose, essere regola delle attioni Christiane, che siccome non s'ha da fare alcun male, acciò ne succeda bene: così non si debbe tralasciare alcun bene di obbligatione, per timore che ne venga il male. Varie furono le opinioni: & finalmente, dopo detti diversi pareri, fu concluso, che si differisca di parlarne ad altro tempo: & commandò il Pontefice, che fosse tenuta segreta la rimostranza fattagli da Prelati. Ma il Cardinal Scomberg ne mandò una copia in Germania: il che da alcuni fù creduto non essere fatto senza saputa del Pontefice, acciò fosse veduto, che in Roma vi era qualche dissegno, & qualche opera ancora di riformatione. La copia mandata fù subito stampata, & publicata per tutta Germania; fu anco scritto contra di quella da diversi, in lingua Thedesca, & latina. Et pur tuttavia nella medesima regione cresceva il numero de' Protestanti, essendo entrati nella loro lega il Rè di Dania, & alcuni Prencipi della casa di Brandemburg. Ex hac narratione planum est, primo loco inferre, per summam calumniam a Schelhornio, suarumque partium hominibus affirmari, *Hominum oculis luculenta illa de Romanæ Aulæ, ac Ecclesiæ corruptelis testimonia, quibus refertum est Consilium, voluisse plane subducta eos, qui vitia tegi maluerunt, quam emendari*. Inferas deinde, Sarpium affirmantem Purpuratos Patres a capienda in eo Concistorio deliberatione abstinuisse, aditum nobis facere ad credendum, rem ita accidisse; scilicet prævaluisse rigidi Caraffæ sententiam, indeque Consilii illius per Romanos typos publicationem, fatis jam functo Schombergio paucis omnino mensibus post habitum illud Concistorium, factam fuisse per Antonium Bladum, Pontificis utique præscitu, statim vero ipso jubente circumscriptam, retentamque fuisse Editionem illam, quod Lutheri, & Sturmii

mii Scripta, quæ ad Urbem convolaverant, ita decerni postulassent. Frustra igitur sunt quæ scribit Schelhornius, *Mirum vero famosum illud Consilium in lucem exiisse, quantumvis ante aliter visum fuerit Paulo III.* Non ante, sed postea aliter Paulo III. visum fuit, idque accidit, non quidem, ut facile (videlicet temere) se credere dixit Schelhornius, quod vitia tegi maluerit, quam emendari, sed justis illis de causis, ob quas Schombergius censuerat, nullo pacto opportunam fore ejus Consilii præproperam publicationem. Paulo Sarpio eas causas exponenti fidem nisi adhibeant Heterodoxi, novo illud documento erit, nullos certos fines sibi ab iisdem constitui, siquidem de maligne interpretandis Catholicorum rebus agatur. Quid vero, quum Curayerus etiam non tantum ceu innocuam occultationem illam repræsentaverit, sed præterea æque innocuam transmissionem Consilii illius per Schombergium in Germaniam, ad vadum quodammodo tentandum, explorandos scilicet amici sui cujusdam mentem, seu sensus de fortuna, quæ Scriptum illud maneret, si publicum redderetur? En illius verba: *Quoiqu' il soit vrai, que* Paul *dans toutes les Instructions donneés aux Nonces eût ordonné de tenir secret cet Ecrit, comme* Fra Paolo *le reconnoit, est il impossible, que* Schomberg *l'eût envoyé secrettement en croyant en faire bonneur à ce Pontife sans que celui-ci lui eu aît su mauvais gré, parceque n'étant point publié avec autorité on étoit toujours en état de le desavouer?* Quum nullam itaque labem seu Sarpius, seu Curayerus cum in Schombergii, tum in Pauli Pontificis voluntate deprehenderint, Sectarios utramque carpentes quis non arguat de inverecunda prorsus, & propudiosa maledicentia?

Tandem Lectorem moneo, caute legenda quæ Pallavicinus l. 3. c. 5. ex Sarpio recitat in hunc modum: *Che il Pontefice per mezzo dello Scombergio lasciasse andar una copia di quelle divisate riformazioni in Germania per dare a credere agli emuli che si attendeva al negozio.* Sarpii autem verba sunt ista, *Acciò fosse veduto che in Roma vi era qualche disegno, e qualche opera di riformatione;* quibus ex-

acte respondet Curayeri versio, in qua legitur, *A fin que l'on vit, qu'à Rome on avoit quelque vue de réforme, & qu'on pensoit a y travailler.*

SCHELHORNIUS.

XII. *Imo aliam quoque ejus editionem memoras typis Gotardi de Ponte eodem anno exscriptam, in qua quidem locus impressionis sileatur, at in fronte compareat stemma Pauli III. quod satis Tibi videtur ad probandum, Pontificis auctoritatem eidem non defuisse. An Gotardus ille de Ponte artem typographicam Romæ exercuerit, Tu, harum rerum longe callentissimus, omnium optime noveris. Ego in Mættarii Annalibus typographicis alibique, nisi mei me deceperint oculi, ne ejus quidem nomen reperi. Solum autem Pauli III. stemma titulo adjectum id, quod asseris, nondum conficit. Est enim mihi ejusdem Pontificis* Bulla prorogationis sacrosancti generalis Concilii, *A. 1537. excusa, cujus in fronte itidem comparet illius stemma: Sed neque Romæ, neque præscitu Papæ eam editionem esse curatam, tam aculeatissimæ animadversiones margini apposita luce meridiana clarius demonstrant, quam hoc* Pasquilli carmen in Paulum III. Papam fugitivum a facie Concilii Mantuani, *ejus stemmati subjectum*: * Quid est tibi Papa, quod Concilium fugisti = Et vos Cardinales, quia conversi estis retrorsum = A facie reformationis mota est Curia = A facie reformationis veræ = Quæ converteret Papam in pauperem Plebanum = Et Cardinales in miseros Capellanos.

ANIMADVERSIO.

XII. Quemadmodum minime dubitandum ego censui Consilii Novemviralis publicationi non defuisse Pauli III. authoritatem, ea etiam de causa quod editio illius libelli typis Gotardi de Ponte exscripta stemma ejus Pontificis in fronte præfert, ex pari ratione in dubium minime revocandum puto, Bullam Pauli III. excusam anno 1537. quam memorat Schelhornius, Pontificis præscitu in lucem prodiisse. In hujuscemodi enim exemplaribus, quibus primitivæ Romanæ Editiones repræsentantur, diligentia Typographorum, ut plurimum haud omittit stemmata apponere, quibus eædem ornantur. Ornamenta autem Animadversionum, & Pasquilli, quæ addita visuntur Bullæ illi a Schelhornio al-la-

* Ex Amœnit. liter. Tom. VII. p. 254.

latæ, authoritatem unice accipiunt ab eorum ingeniorum nequitia, quibus volupe eſt, omne ſacrum profanare. Quoniam vero ea ornamenta huc transferenda duxit Schelhornius ex Tom. VII. ſuarum Amœnitatum literariarum, me quodammodo invitat, ut in memoriam ei revocem Georgii Wicelii Conqueſtionem, cujus ille recitat fragmenta in eodem Tomo ſeptimo, quin in ea ipſa Commentatione, cui Bullam eandem inſeruit. *Ego ſane* (ita loquitur in querula ſua illa Scriptione Author præclariſſimus, magnæque fidei, Proteſtantium judicio) *Paulum* (*III.*) *excuſo*, *ut qui ex animo toto concupierit Concilii effectum*, *tantum abeſt*, *ut refugerit*. Et paulo ante de optima ejus Pontificis voluntate in ſtatuenda Reformatione verba faciens, *Porro Pontificem ſuum* (inquit) *ultro ſequentur Cardinales presbyteri*, *quos hodie Italia habet in omni eruditionis genere eruditiſſimos*. *Nec me ullus e Roma rumor perinde adficit*, *quam quoties audio Cardinales presbyteros eruditos illic vivere*, *ut qui cum antiquis Eccleſiæ doctoribus certare poſſint*. Fugiat, oportet, convertatur retrorſum Schelhornius, ita loquentem audiens Wicelium illum, cui Hermannus Conringius hoc texit elogium in Præfat. ad *Viam Regiam*, ejuſdem Wicelii Opus, *Quis paulo doctior vero non optet de omnibus Eccleſiæ diſſenſionibus libere diſſerentem audire* Wicelium *tanta virum doctrina*, *& fama?* Conrigium autem Schelhornius in Amœnit. ceu Virum ſummum collaudat, & in hac ipſa Epiſtola ſua neminem eidem, in Germania ſaltem, ingenio, & doctrina ſuperiorem fuiſſe, paucoſque pares affirmat.

SCHELHORNIUS.

XIII. *Quicquid vero hujus rei ſit*, *divinæ nos providentiæ acceptam ferimus illius memorabilis Conſilii editionem*, *hoc pacto poſt Hadriani VI. Inſtructionem*, *quam vocant*, *ſuo in Germaniam Nuncio Cheregato ſuppeditatam novo domeſtico*, *eoque omni exceptione majori*, *teſtimonio de perditiſſimo curiæ Romanæ ſtatu locupletati*. *Minus profecto mirandum eſt*, *a Paulo III. facti pœnitentia ducto illud Conſilium*, *quod ejus permiſſu typis ante excuſum erat*, *deinde ſuppreſſum fuiſſe*, *quam quod prius illud in lucem exire paſſus ſit*, *cujus inſtituti non aliam ego rationem perſpicere poſſum*, *quam ut ſic orbi emendandæ curiæ & eccleſiæ ſtu-*

acte respondet Curayeri versio, in qua legitur, *A fin que l'on vit, qu'à Rome on avoit quelque vue de réforme, & qu'on pensoit a y travailler.*

Schelhornius.

XII. *Imo aliam quoque ejus editionem memoras typis Gotardi de Ponte eodem anno exscriptam, in qua quidem locus impressionis sileatur, at in fronte compareat stemma Pauli III. quod satis Tibi videtur ad probandum, Pontificis auctoritatem eidem non defuisse. An Gotardus ille de Ponte artem typographicam Romæ exercuerit, Tu, harum rerum longe callentissimus, omnium optime noveris. Ego in Mattærii Annalibus typographicis alibique, nisi mei me deceperint oculi, ne ejus quidem nomen reperi. Solum autem Pauli III. stemma titulo adjectum id, quod asseris, nondum conficit. Est enim mihi ejusdem Pontificis* Bulla prorogationis sacrosancti generalis Concilii, *A. 1537. excusa, cujus in fronte itidem comparet illius stemma: Sed neque Romæ, neque præscitu Papæ eam editionem esse curatam, tam aculeatissimæ animadversiones margini appositæ luce meridiana clarius demonstrant, quam hoc* Pasquilli carmen in Paulum III. Papam fugitivum a facie Concilii Mantuani, *ejus stemmati subjectum:* * Quid est tibi Papa, quod Concilium fugisti = Et vos Cardinales, quia conversi estis retrorsum = A facie reformationis mota est Curia = A facie reformationis veræ = Quæ converteret Papam in pauperem Plebanum = Et Cardinales in miseros Capellanos.

Animadversio.

XII. Quemadmodum minime dubitandum ego censui Consilii Novemviralis publicationi non defuisse Pauli III. authoritatem, ea etiam de causa quod editio illius libelli typis Gotardi de Ponte exscripta stemma ejus Pontificis in fronte præfert, ex pari ratione in dubium minime revocandum puto, Bullam Pauli III. excusam anno 1537. quam memorat Schelhornius, Pontificis præscitu in lucem prodiisse. In hujuscemodi enim exemplaribus, quibus primitivæ Romanæ Editiones repræsentantur, diligentia Typographorum, ut plurimum haud omittit stemmata apponere, quibus eædem ornantur. Ornamenta autem Animadversionum, & Pasquilli, quæ addita visuntur Bullæ illi a Schelhornio al-

* Ex Amœnit. liter. Tom. VII. p. 254.

latæ, authoritatem unice accipiunt ab eorum ingeniorum nequitia, quibus volupe est, omne sacrum profanare. Quoniam vero ea ornamenta huc transferenda duxit Schelhornius ex Tom. VII. suarum Amœnitatum literariarum, me quodammodo invitat, ut in memoriam ei revocem Georgii Wicelii Conquestionem, cujus ille recitat fragmenta in eodem Tomo septimo, quin in ea ipsa Commentatione, cui Bullam eandem inseruit. *Ego sane* (ita loquitur in querula sua illa Scriptione Author præclarissimus, magnæque fidei, Protestantium judicio) *Paulum* (*III.*) *excuso*, *ut qui ex animo toto concupierit Concilii effectum*, *tantum abest*, *ut refugerit*. Et paulo ante de optima ejus Pontificis voluntate in statuenda Reformatione verba faciens, *Porro Pontificem suum* (inquit) *ultro sequentur Cardinales presbyteri*, *quos hodie Italia habet in omni eruditionis genere eruditissimos*. *Nec me ullus e Roma rumor perinde adficit*, *quam quoties audio Cardinales presbyteros eruditos illic vivere*, *ut qui cum antiquis Ecclesiæ doctoribus certare possint*. Fugiat, oportet, convertatur retrorsum Schelhornius, ita loquentem audiens Wicelium illum, cui Hermannus Conringius hoc texit elogium in Præfat. ad *Viam Regiam*, ejusdem Wicelii Opus, *Quis paulo doctior vero non optet de omnibus Ecclesiæ dissensionibus libere disserentem audire* Wicelium *tanta virum doctrina*, *& fama*? Conrigium autem Schelhornius in Amœnit. ceu Virum summum collaudat, & in hac ipsa Epistola sua neminem eidem, in Germania saltem, ingenio, & doctrina superiorem fuisse, paucosque pares affirmat.

SCHELHORNIUS.

XIII. *Quicquid vero hujus rei sit*, *divinæ nos providentiæ acceptam ferimus illius memorabilis Consilii editionem*, *hoc pacto post Hadriani VI. Instructionem*, *quam vocant*, *suo in Germaniam Nuncio Cheregato suppeditatam novo domestico*, *eoque omni exceptione majori*, *testimonio de perditissimo curiæ Romanæ statu locupletati*. *Minus profecto mirandum est*, *a Paulo III. facti pœnitentia ducto illud Consilium*, *quod ejus permissu typis ante excusum erat*, *deinde suppressum fuisse*, *quam quod prius illud in lucem exire passus sit*, *cujus instituti non aliam ego rationem perspicere possum*, *quam ut sic orbi emendandæ curiæ & ecclesiæ stu-*

ſtudium oſtentaret, cui tamen eventus haud quaquam reſpondit. Æternis vero poſtea, quantum in ipſo erat, iſtud additum voluiſſe tenebris videtur, cum rem aliter cadere, atque a Proteſtantibus, ac Sturmio potiſſimum (cujus epiſtolam ejus conſpectum ſubiiſſe, nullam dubitandi cauſſam habemus) tam male id excipi, atque in aulæ Romanæ opprobrium converti intelligeret.

Animadversio.

XIII. Multo equidem ſincerius, quam Schelhornius, & ſui Lutherani, Sectariique omnes, acceptum ferimus nos Orthodoxi divinæ Providentiæ bina illa Scripta in vulgus emanaſſe, atque adhuc exſtare; nam quæcumque in iis leguntur eruditioni noſtræ ſingularem in modum inſervire profitemur. Quare Pallavicinus l. 4. c. 5. ita ſcribit de Articulis Conſultationis Novemviralis: *Ma è accaduto con provvidenza di Dio, che tali avvvertimenti appariſſero al mondo, acciocchè ſi vedeſſe quali erano per verità le più interiori piaghe del Governo Eccleſiaſtico ricercate con ogni cura, ed eſpoſte con ogni libertà da huomini d'un incomparabile zelo, e ſapere. Non falſità di dogmi, non depravazion di Scritture, non iniquità di leggi, non politica inorpellata di ſantità, non baldanza di vizj, come latravano i Luterani, ma ſoverchia condeſcenſione nell'impunità degli errori, o nella derogazione a quei mandamenti, a cui Lutero fece molto più ampia derogazione, quando gli arſe pubblicamente a Vittemberga, e liberò del tutto i ſeguaci ſuoi dall'obbligation di effettuarli.* Hæc tradens Pallavicinus, omnium noſtrûm voce eloquutus fuiſſe cenſendus eſt. Nunc quæro, quænam ſit Schelhornii, & Heterodoxorum omnium vox, dum in Hadriani VI. Inſtructione legerint quæ in ipſa contineri ſuperius ſignificavi recitato ejuſdem exordio, cui placet alium in præſens Articulum adjungere. *Non debet autem revocari in dubium, quod per Concilia generalia & univerſam Eccleſiam conſtat eſſe approbatum tanquam fide tenendum: Injuriam namque facit Eccleſiæ Synodo, qui ſemel recte diſpoſita nititur in dubium revocare. Quid enim unquam certi eſſe poterit inter homines? Vel quis contentionum diſputationumque finis erit, ſi præſumptuoſo & perverſo cuique libertas*

ſeu

seu licentia erit recedendi ab his, quæ non unius neque, paucorum, sed tot sæculorum & tot sapientissimorum hominum consensu, & Catholicæ Ecclesiæ (quam Deus in his quæ sunt fidei, nunquam errare permittit) determinatione sancita sunt, cum tamen unaquæque civitas leges suas inviolabiliter observari exigat? Quomodo non omnia turbationibus & scandalis & confusione plena erunt, nisi ea, quæ semel, immo sæpius maturo judicio constituta, ab omnibus inconcusse observentur? Cum igitur Lutherus & sui Concilia Sanctorum Patrum condemnent, sacros canones comburant, & cuncta pro arbitrio suo confundunt, ac totum mundum perturbent, manifestum est, eos tanquam publicæ pacis inimicos & perturbatores ab omnibus ejusdem pacis amatoribus exterminandos esse. Hæc est vera, & potissima, quam in suo illo Commentario sanctissimus, & optimus Pontifex præscripsit, Reformatio, a cujus facie mirum est ni moveatur universa Lutheranorum Curia, dum ibidem legit, Lutherum damnari ceu Mahometem alterum, & ejus asseclas, ceu miseros Hæreticos; ni moveatur, inquam, imo vero contremiscat, quandoquidem allatis septem Articulis ad Reformationem illam spectantibus Pontifex Nuncio suo ita mandat: *Hortaberis nostro nomine dictos Principes, Prælatos, ac populos, ut tandem expergiscantur, & excitentur ad obviandam tam grandi injuriæ, quam Lutherani Deo, & sacræ Religioni ejus, & maximam ignominiam, quam toti Nationi nostræ Germanicæ, ipsisquemet Principibus, & maxima opprobria, & maximam contumeliam, quam Majoribus eorum, quos, ut diximus, in effectu ad Gehennam condemnant, inferre noscuntur; & ad exequtionem sententiæ Apostolicæ, ac Imperialis Edicti facti omnino procedant.* Utinam! Utinam! hæc omnia Lutherani ita æquis auribus accipiant, ac accipi a se profitentur Catholici Articulos ad Reformationem pertinentes, quos Hadriani Commentarius, & delectorum Cardinalium Consilium divino prorsus afflatu proposuerunt.

SCHE-

SCHELHORNIUS.

XIV. *Evulgatum, Te ipso teste, Romæ typis Antonii Bladi, Impressoris Cameralis, A. 1538. Vix vero prodierat, quod ineunte anno factum esse oportet, cum nulla interposita mora, Sturmius, vir eruditione, rerum agendarum peritia ac eloquentia insignis, denuo id prelo subjectum, sub incudem vocaret. Ejus enim epistola, Consilio annexa, jam 3. Non. Apr. ejusdem anni Argentorati exarata est.*

Quod autem ex summa editionis Romanæ, per ipsum Paulum III. suppressæ, raritate colligi posse, contendis, illam, quam vel in ipsa urbe Cimmeriis, aut adhuc obscurioribus, tenebris contectam latuisse scribis, in Indice Pauli IV. ictam haud fuisse, sed eam tantum, quam Germaniæ typi, adjuncta Sturmii epistola, in lucem eduxerunt, nemini facile Te persuasurum esse autumo, nisi qui Romanæ Sedis studio cuncta, nonnihil incommodi ipsi adferentia, licet sint manifestissima, quovis jure, quavis injuria negare ac pernegare haud veretur. Quædam jam ejus exemplaria in hominum manus pervenerant. Unum certe nactus erat Lutherus, imperterritus ille ac invictus heros; alio potitus fuit Sturmius; & quis hos duntaxat tam felices fuisse, ut id soli adipiscerentur, contendat? Haud dubie in Italia etiam nonnulla ad alios emanarunt. Omnia, quantum pote, pudore ductus, prorsus ex hominum oculis manibusque sublata voluit Paulus III, cui monitis illis locum dare non expediebat.

ANIMADVERSIO.

XIV. Dum Consilii, de quo agitur, per Bladum Romæ excusi, plura Exemplaria ad Germanos emanasse colligit Schelhornius ex Lutheri, & Sturmii acerbis in illud, quod denuo prœlo iis subjecissent, declamationibus, excidisse ex ejus memoria dicendum est, quod ipsemet, teste Surio, p. 17. narraverat, nimirum ejusdem Consilii exemplar manu tantum exaratum a Cardinale Schombergio in Germaniam transmissum fuisse; excidisse quoque mea verba ab eodem p. 22. recitata, quæ ita se habent, *Addam, ita sepultam* (Bladi Editionem) *jacuisse, ut Vergerius iisdem Annotationibus in Pauli IV. Indicem opus sibi fuisse existimaverit probare, eandem* (Consultationem) *non confictam ab Hæreticis, sed vere germanum partum esse, idque ex literis, quibus Contarenus, & Sadoletus Sturmio rescripserunt, nec non ex verbis Petri a Soto, quem per contumeliam Brentius* pri-

primo, *deinde Vergerius Asotum appellarunt*; & tertio excidisse etiam quæ propius scilicet p. 23. allegaverat de Epistola a Cardinale Aleandro ad Cochlæum conscripta, ex qua nempe hæc ipsa recitat verba, *Consilii Cardinalium promulgatio cum invectiva Sturmii manibus hominum teritur*, *antequam vel ab auctoribus edita* (cor. editum) *vel executioni fuerit demandata* (cor. demandatum); nec tandem pervidisse, quæ paulo post, videlicet p. 28. ex Ittigii testimonio verba erat ipse allaturus, hæc videlicet, *Cum enim prædictus Cardinalis Capuanus scriptum hujus Consilii exemplar in Germaniam ad amicum misisset*, *sive conscio Pontifice id factum fuerit ...... contigit ut illa Præsulum de emendanda Ecclesia monita ad Lutheri manus pervenirent &c.* Nonnulla autem ex impressis illis Exemplaribus per Italiam emanasse, Schelhornio etiam non dubitante alii dubitabunt.

SCHELHORNIUS.

XV. *Hinc tanta editionis Romanæ raritas*, *ut major esse non possit*. *Si vero ipse Paulus III. præcipuus ejus consultationis ἐργοδιώκτης*, *illud de emendanda Ecclesia Consilium*, *quod ejus primum permissu ex Romanis typis profluxit*, *supprimere non dubitavit*, *quis*, *quæso*, *Paulum IV. in Indice suo* Consilium de emendanda Ecclesia, *nulla plane limitatione adjecta*, *probibentem*, *Romanam editionem permissam*, *ac Sturmianam tantum Vergerianamque censura sua istam voluisse arbitretur? Ipsum potius Consilium hominum manibus excussum*, *& ex eorum memoria erasum cupiebat Pontifex*, *ubicunque tandem locorum*, *sive Romæ*, *sive Argentinæ*, *sive alibi impressum*, *tanquam antecessoribus suis*, *& Sedi Romanæ minus honorificum*, *quodque præterea hactenus executioni non datum noverat*. *Hinc etiam*, *nec alia de caussa*, *in Indice suo atro carbone notavit vindicias ejusdem Consilii adversus Sturmium a Joanne Cochlæo emissas*, *quibus hunc titulum indidit*: Æquitatis discussio super Consilium delectorum Cardinalium &c.

ANIMADVERSIO.

XV. Eos omnes, qui superiores Animadversiones expenderint, mecum arbitraturos confido, Consilium de emendanda Ecclesia in Indice Pauli IV. enuntiatum, aut non esse Novemvirale Pauli III. jussu a delectis Cardinalibus,

 & Præ-

& Præsulibus conscriptum, sed aliud quodvis, cujus incertus foret Author, aut ad Novemviralis illius Editiones tantum, cujuscemodi, antequam Index ille construeretur, in Germania prodierant, Indicis censuram referri, non vero ad ipsummet Consilii libellum, qui, statim ac Romæ vulgatus fuit, perinde se habuit ac si nunquam in lucem prodiisset. Bene utique, sapienterque contigit subita hujus suppressio, postquam compertum fuit, eundem, potius quam ad deliniendos Protestantium animos, pertrahendos scilicet ipsos ad pios Nostrorum conatus laudandos inserviret, arma multo magis quam antea furialia ipsorum improbitati ministrasse, quod sperarent ex statuta in eo libello Reformatione aditum arrogantiæ suæ factum ad obtinendam insuper dogmatum Catholicæ fidei eversionem. Cæterum verbis Indicis hisce, *Liber inscriptus Consilium de emendanda Ecclesia*, Novemvirale nostrum haudquaquam designari, sed aliud, ut dixi, Authoris nobis ignoti, novum argumentum suppeditant verba illa, *Æquitatis discussio super Consilium delectorum Cardinalium &c.* Ea etenim probant, Novemvirale illud, ne cum alio confunderetur, Authorum suorum expressa mentione facta, in Indice etiam, declarari debuisse, qua ratione ipsum declarant omnes superius memoratæ Editiones, nimirum Sturmiana, Cochlæana, Crabbiana, Vergeriana, uti & Romana Bladi, aliæque, quæ istam exscripserunt. Ipsa Cardinalis Aleandri jam jam laudata Epistola Consilium illud ut certo monstraret, *Consilium Cardinalium* absque alio additamento dixit. Data est Viennæ in Austria mense Julio an. 1539. quum nondum, ut ex ipsa constat, eidem Cardinali Editio Bladi innotuisset.

Schelhornius.

XVI. *Sed pergamus. Vlterius instas*, Præsul Eminentissime! Ut autem recta adoriar, quam ipse velut ab inferis excitasti, Vergerianam accusationem, adnotabo; neminem ex priscis vestris Scriptoribus, etsi Romani Indicis auctoritati infensissimis, quibus certe, æque ac tibi, Vergerii scripta comperta; neminem, inquam, seu a te, seu ab aliis (quod quidem sciam) afferri, qui in eo Indice aureum illud Consilium damnatum repe-

pe-

periri conqueftus fuerit, idque Catholicis exprobraverit, ut fuperius etiam indicavi: Quod profecto filentium non aliunde profluere potuiffe videtur, quam ex agnita vel ab ipfis Heterodoxis ejufdem accufationis falfitate. *Telum hoc, quod recta in me contorques qui Vergerianæ accufationi meum adjeceram calculum, retundere, & argumentum, quod ex noftrorum de illa infimulatione filentio deducis, elumbe reddere, nullius fere negotii eft: &c. p. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32.*

ANIMADVERSIO.

XVI. Siquidem nullius negotii fuerit Schelhornio retundere telum, quod in eundem contorfi, jam dixi fuperius, fore, ut inde confequatur, grave per illud vulnus infligi Scriptorum illorum authoritati, quorum præftantiam in Amœnitatibus fuis concelebrat, quodvis ii præfidium caufis, quas tuendas ibidem fufceperit, contribuant. At abfque eo quod Amœnitates illas adeamus, Proteftantium una vox eft immortales laudes deberi Hiftoriæ Lutheranifmi a Ludovico Sekendorffio confcriptæ. Has autem nimium deterere cenfendus erit Schelhornius, dum accufationem Vergerianam, de qua agitur, valde celebrem fuiffe probat eo ipfo fæculo, quo floruit Sekendorffius. Is enim non quidem carptim, fed lato calamo argumentum, ad quod illa fpectabat, pertractans, nihilque prætermittens ad extenuanda Pontificis merita, cujus juffu confcriptum fuit Confilium illud, attamen ab eadem feu firmanda, feu etiam memoranda prorfus abftinuit, ut in fuperiori Præfatione indicavi, ibidem adnotans, eidem fat bene compertas fuifse Annotationes Vergerii in Indicem Pauli IV. Igitur eruditioni, & induftriæ Sekendorffiani illius Operis multum detractum iri nemo non videat, quando ejus accufationis mentio omnis in ipfo omifsa ignorationi tribuatur, non vero falfitati. Hanc autem potius quam illam ei prætermiffioni caufam dedifse, mordicus propugnare Acatholici omnes adftringuntur, ut eidem Operi, quantum in ipfis eft, fuus femper honos maneat, laudefque perfiftant. Inter iftas autem ea maxime huc facit, quam hifce verbis defcribit celeberrimus Heumannus in Poecili T. II. l. I. p. 17. *Sekendorffius non folum Hiftoricus eft, fed etiam pa-*

patronus Lutheri, *ejusque dicta & facta studiosissime defendit*. *Non igitur plane* ὑπὸ παθῶν *scripsit*. *Illud tamen*, *qui eum curate legerit*, *verum cognoscet*, *justos eum habuisse adfectus*, *non turpes*, *ac tantam adhibuisse fidem*, *ac tantam diligentiam*, *quanta in hominem videtur posse cadere*; huc, inquam, f.cit, fides, & a turpibus affectibus vacuitas, quas laudes Sekendorffio tribuit Heumannus; nam ambæ in magnum discrimen vocarentur, si accusationi illi suum ipse calculum adjecisset. Suum tamen adjicere non dubitarunt, ait Schelhornius, *Theologus maximi nominis*, *& immortalium in orthodoxam Ecclesiam meritorum D. Joannes Gerhardus*; pariter *Polynistor summus*, *qui omni ævo*, *in Germania saltem*, *ingenio & doctrina paucos pares*, *neminem fortassis superiorem habuit*, *D. Hermannus Conringius*; tertio, *Theologus quondam Lipsiensis*, *& in omni historia Ecclesiastica longe versatissimus*, *D. Thomas Ittigius*. Triumviros istos Schelhornius, quantum ei libet, jactet, & extollat, dummodo affirmari a me sinat, eorundem ἀνάξιον prorsus habendum Sekendorffium; eoque magis quod huic datum fuit Gerhardi, & Conringii Scriptiones consulere, eas namque collaudat in Histor. Lutheranismi. Parem potestatem mihi facturum puto Clariss. Pfaffium, quem tribus illis testibus superpondii loco Schelhornius adjungit. Adjungam & ipse Sekendorffio superpondii pariter loco Sarpium, Curayerum, Launojum, Richerium, & Kieslingium, in quos omnes penitius de Consilio Novemvirali disserentes cadere potuisse & Vergerianorum Scriptorum, & Paulini Indicis ignorationem, is tantum contendet, cui omnis exciderit verecundia, quique ignoret quidnam sit veritati litare. Penitissime autem argumentum illud discussit postremo loco nominatus Professor Lipsiensis in Epistola publice ad me ipsum data, cui publice etiam respondi. Is rei inter nos controversæ apicem palam fatetur in eo ipso argumento consistere, ac proinde suas in illud transfert meditationes, demonstraturus, *Susceptum* (ait) *a laudato Pontifice Paullo Tertio religionis emendandæ negotium*, *nec non consilium de instituendo aliquo ad componenda partium dissidia Consilio*,

tan-

tanti non esse æstimandum, quanti illum fecisti. Ita Kieslingius num. VII. suæ Epistolæ in hac Urbe recusæ, quibus consonant quæ leguntur num. X. *Devenio* (inquit) *ad illud quod rei caput est, ad Pauli Tertii Emendationem, quam insigniter nobis commendas; sed lubens fateor, me prorsus ignorare hujus Pontificis in emendanda Ecclesia, merita.* Quis non videt ignorationi isti suæ solidum fundamentum statim locari a Kieslingio potuisse, si intentatam a Vergerio accusationem suo etiam suffragio adstruxisset? Hanc enimvero nullum omnino locum nactam fuisse inter Kieslingii meditationes illas, ii tantum non mirentur, qui hunc censuerint, eandem inter delirationes, seu somnia ablegasse. Ne ignota siquidem ipsi illa fuisse dicatur, intercedit Schelhornius, qui Kieslingianam lucubrationem ingenti mactat elogio, *doctissimam* vocans *Epistolam viri exquisita eruditione præditi, ac variis scriptis eximiis magnam nominis famam adepti D. Jo. Rudolphi Kieslingii, Professoris Lipsiensis, qua de Gestis Pauli III. Pontificis ad emendationem Ecclesiæ spectantibus, præclare disserit.* Hæc habet Schelhornius in Præfatione suæ hujus Epistolæ, eaque nulla ratione sinunt, inscium dici posse Kieslingium insignis illius emolumenti, quod Index primo Paulinus, deinde Adnotationes Vergerii in eundem, insuper Gerhardi, Conringii, Ittigii, Pfaffii loca a Schelhornio recitata, causæ suæ impertiebantur, inscium tandem eorum, quæ de eo argumento congessit Schelhornius suis in Amœnitatibus. In eadem Præfatione profitetur Schelhornius, se velitationis nostræ literariæ testes præcipue, ac judices esse cupere non Italos, *libero* (inquit ipse) *ejusmodi Scriptionibus in Italiam vestram aditu fere intercluso*; sed *Viros doctrinæ, ac virtutum laude florentes e Germanis, quorum ubere proventu ætas nostra per Dei gratiam gaudet.* Schelhornii Amœnitatibus liberum aditum interclusum esse in Urbem, in qua publicam Cathedram obtinet Kieslingius, si quis diceret, is statim falsi argueretur, quandoquidem illæ in fronte præferunt, *Francofurti, & Lipsiæ.* Uterque, nisi fallor, artes suas advocabit, ne divulgatus a me mimus iste alterutrius famam lædat, indeque occasio

mi-

mihi dabitur Ovidianum illud occinendi, O! *mira calliditate Viros*.

SCHELHORNIUS.

XVII. *Isthæc vero singula, quæ hactenus disputavi, probe ac* ἄνω κάτω *considerata, si* TUÆ EMINENTIÆ *minus satisfaciant, prorsus tamen satisfactura esse Germanis meis non spero tantum, sed etiam confido, nec ullam dubitandi de eorum suffragio caussam habeo. Italis autem Tuis, inter quos non paucos hodie florere Viros omnibus ingenii ac doctrinæ ornamentis perinsignes lætus fateor, vobisque hoc nomine plausum meum publice testor, doctis, inquam, Italis de hujuscemodi argumentis libere ex animo profari, quæ sentiant, haud licet.*

ANIMADVERSIO.

XVII. Frustra fortasse sperat, imo confidit Schelhornius, sententiæ sua in hac Epistola propugnatæ eruditos Germanos suffragaturos; nam inter ipsos quoque (ni suscepti negotii amor me fallit) haud deerunt, quibus illa minus adhuc satisfaciat, quam liber ab eodem exaratus, quo mitissimi ingenii hominem, agnum profecto, cujusmodi certe toto vitæ suæ tempore exstitit Reginaldus Polus, in leonis, in tygridis, serpentisque formam commutaret. Judicium enim, quod de hisce Schelhornii Scriptis e Lipsiensi Athenæo prodiit, testantur literæ, quas in manibus habeo, lucubrationes meas ad tuendam ejus Cardinalis innocentiam compositas his verbis exornantes: *Quam docte, & acute Burnetii, & aliorum, qui partium studio abrepti de tanti Viri* (Poli) *memoria detrahere ausi sunt, commenta, & calumnias profligasti! ut qui eas in posterum repetere velit, se omnium ludibrio certissime sit expositurus*. Quodnam vero sit doctorum Italorum de præsenti hac nostra controversia judicium, Schelhornium certum facient aliquot literæ, quas nudius tertius accepi. In unis ita scribitur: *Ho letto i tre fogli dell'Epistola che V. E. va pubblicando contro lo Schelornio con tutto quel piacere che mai può aversi in leggendo Opere dottissime, e concludenti. Risponde Ella con tanta chiarezza, e con tanta forza all'impugnazioni di quel Protestante, che con tutta verità si può dire che sotto i colpi vibrati dal-*

dalla risposta di lei finirà egli di vivere. In alteris vero hæc habentur: *Resto sempre più persuaso che nessuna cosa faccia l'uomo apparire, ed essere più debole di una vera incostanza, mentre se in questo caso il Schelhornio avesse persistito nel suo savio primo proposito, avrebbe mantenuta la sua stima in qualche grado maggiore di quello che in avvenire sarà appresso gli uomini del mestiere, li quali sicuramente non gli perdoneranno il passo falso che ha fatto, vantaggioso per altro alla nostra causa, che sempre più forte si dimostra mediante le dotte osservazioni &c.* Tertiæ hæc habent: *A me sembra, e così sembrerà a tutti, che V. E. tratti il suo argomento con tutto il nerbo possibile; convince l'Avversario, e lo riduce a termine di mai più rispondere*. In aliis tandem ita scribitur: *Non ho balsami per confortar lo Schelornio. A spese sue apparerà ad esser più cauto*. Judicia hujusmodi, ad quæ in medium producendi Schelhornius me provocavit, falletur ipse, si putet, Romana tantum ex Urbe prodire potuisse. Vaticana, quæ scitatum misissem, oracula proferens ego, famoso Amœnitatum Concinnatori nil aliud viderer, quam Persephonem, inamœna regna tenentem, adiisse. Bonos Venetos integritatis laude præstantes ea judicia auctores habent, nec erit cur recuset Schelhornius, ni forte suspicetur, indignatos eosdem adversus se fuisse ob fidem, quam Sarpii narrationibus detraxit. Equidem in controversia, quam in hac Epistola sua Scriptor ille mihi proposuit, adeo ipse diversus est a Sarpio, ut nihil magis. Sarpius ne verbo quidem innuit, Consultationem Novemviralem, de qua lib. 2. fuse differit, seu a Paulo IV. seu ab ullo Romano Pontifice in vetitorum librorum Indicem relatam unquam fuisse, etsi diligenter in lib. 6. describat quæcumque a Tridentinis Patribus ventilata in utramque partem fuerunt de Pauli IV. Indice aut omnimode retinendo, aut ad novam formam redigendo. Præterea sententiam ejus Consultationis illico publicandæ quam valide adversus Cardinalem Schombergium in Consistorio propugnaverit Cardinalis Caraffa, fidem facit idem Sarpius, cujus de hac re verba superius retuli. Schelhornii autem

autem verba ſunt iſta, ut paulo ante vidimus: *Fortaſſe præter ejus* (Caraffæ) *mentem Conſilium illud typis olim excuſum eſt*. Jure itaque Clariſs. alius Civis meus inſigni inter cæteras animi dotes in alienis Scriptis carpendis manſuetudine præditus, cujuſque omnijugam eruditionem non Italia tantum, ſed Europa univerſa jamdiu admiratur, primis Animadverſionum mearum foliis perlectis, Schelhornium his verbis ſtatim adoritur, *Dove ha Egli quì i ſuoi Sleidani, i ſuoi Sarpi, i ſuoi Sechendorfi, che lo ſuffraghino? L'Apoſtata Vergerio, che gli viene in ſoccorſo, è un Autore sì ſcreditato che &c. V. E. ha riſpoſto a tutto con tal forza, e con tal' evidenza che nulla ſi può aggiungere, e nulla di vantaggio a deſiderare rimane, ſe non foſſe il finimento della Riſpoſta, che ſarà facilmente il poſſente &c.* Alia poſtea ſubjungit, a quibus lubens manum abſtineo, ut Schelhornio par reddam, qui *mei*, ut ille ait, *reverentia ductus* tria Julii Crotti Cremonenſis in Paulum IV. Epigrammata recitare prætermiſit. Literarum bono natus Vir ille præſtantiſſimus, earundem ſtudiis in præſens etiam impenſe admodum, etſi octoginta numeret annos, incumbit, idque teſtatum omnibus facient lucubrationes, qnibus omnino recens operam ſuam appulit, publicam lucem quantocius viſuræ. Utinam vitali ille luce diutino adhuc tempore perfruatur, dignus profecto quam maxime, qui

Multa virûm volvens durando ſæcula vincat.

Quodnam futurum ſit de noſtra hac controverſia Gallorum etiam judicium Schelhornio obvium erit hariolari ex recenſione Editionis Poli literarum, quam exhibent tam *le Journal des Savans*, quam *les Memoires de Trevoux*.

SCHELHORNIUS.

XVIII. *Supereſt adhuc epiphonema Tuum, quo Tuis animadverſionibus coronidem imponis*. Id unum fateamur omnes oportet, haud parum profecto intereſſe Romanæ ſedis, ne laudatiſſimus præſtantiſſimorum Cardinalium & Præſulum fœtus, cujuſmodi Conſilium illud, ejuſdem auctoritate proſcriptus cenſeatur. *Equidem hoc utraque Tibi manu largior, At enim vero inter nos jam non diſquiritur, quid aulæ Romanæ interſit, ſed quid verum ſit. Quam multa, obſecro, ſunt hiſtoriarum monumen-*

mentis testatissima, inprimis ad gesta Pontificum vestrorum spectantia, quæ sedis Romanæ maxime interest, vera ne esse censeantur, cum haud leves illi maculas inurant? An autem propterea istbæc vera esse desinent? An ideo in dubium ea vocare, vel plane inficiari æquum & justum foret? Non arbitror.

ANIMADVERSIO.

XVIII. An merito, vel immerito ex meo illo epiphonemate ansam sumpserit Schelhornius commemorandi historiam sesquisæculi, scilicet decimi, & dimidiæ partis undecimi, æquo cuique, ac sapienti Lectori judicandum relinquo. Arbitratur ergo homo ille, si ejus verba expendamus, secum invicem pugnare dicentis adfectus, dum is veritatem adstruere conetur, quam seu suis, seu etiam publicis commodis conferre profiteatur. Equidem communi me sensu orbatum existimarem, si in Vol. II. Amœnit. Hist. Eccles. Liter. p. 460. de fragmentis Epistolarum Didaci de Mendoza e Scorialensi Bibliotheca in publicam lucem eductis Hagæ Comitum an. MDCCXVI. cum notis & observationibus Guidevillii, deprehendens ego a Schelhornio ita scribi: *Cumque nostra maxime intersit, præ ceteris, quam potest fieri, penitissime cognitos habere illos Pontifices Romanos, qui per Legatos suos Synodum Tridentinam moderati sunt, ea non possunt non nobis esse gratissima, utpote in quibus Paulus III. qui primus Concilium convocavit, ita graphice & vivis veluti coloribus a laudato illo Caroli V. Oratore depingitur, ut, qui ejus pectus, sanctum Dei Spiritum inhabitasse persuasum sibi habet, toto errare cælo jure dicendus sit*, hæc, inquam, si a Schelhornio scribi deprehendens ego, confestim argumentarer, veritatem igitur nihil ab ipso pensi fieri, ut suorum utilitatibus inserviat. Absit, absit hujusmodi argumentationis flagitium. Rectam autem, solidamque esse, quam statim subdam, contendo. Recitat eo loco Schelhornius Genituram Pauli III. ex Hieronymi Cardani libro Geniturarum depromptam, inventamque, ut ibidem traditur, inter arcana Petri Aloysii Farnesii, Parmæ, & Placentiæ Ducis, certumque ex eadem argumentum affirmandi desumit Pontificem illum deliramen-

tis hisce fidem præstitisse. Atqui, ajo ipse, revera contigerunt, quæ in Genitura illa Pauli III. prædixit Astronomus Paris de Mantua, nimirum Paulum ad summum gradum Pontificatus evectum iri non quidem in Comitiis, quæ post Leonis X. Papæ obitum habenda essent, sed anno dumtaxat Domini 1534. graviter vero se habiturum cum magno vitæ discrimine, unde, ut censebat Astronomus, evadere non posset, an. 1549. Superest ergo, ut ipse quoque Schelhornius adactum se sentiat ad fatendum non ita inanem, ridiculamque esse conficiendarum Geniturarum artem, ac habendam censuit in eo ipso Volumine, prolixam scilicet a pag. 609. ad pag. 619. de argumento illo Observationem instituens, fassusque vel ipsum Melanchthonem insaniam illam insaniisse, indeque in hujus discipulos præsertim Martinum Chemnitium, Hieronymum Wolfium, & omnium maxime Joannem Garcæum propagatam eandem fuisse. Meam istam argumentationem in dilemma modo converto. Aut germana est, aut subdititia Pauli III. Genitura a Schelhornio post Cardanum in medium allata: Si primum, ergo ars ex syderibus præsagiendi minime aspernanda, quam tamen Schelhornius aspernatur, irridetque: Si secundum, ergo commentum pro re certa in odium Pauli Pontificis a Schelhornio Punica fide venditatur, utique quod sua maxime intersit id præstare.

Mea, haud diffiteor, plurimi interfuit, Diatribam, quam Tomo tertio Epistolarum Cardinalis Reginaldi Poli jam jam edendo præfixi, concludere, instituta comparatione inter Cardinalis Contareni, & Melanchthonis studia, dum una simul adessent in Comitiis Ratisponensibus, gravissimum componendæ pacis Ecclesiasticæ negotium tractandi causa, atque ad eam rem allegavi, quæ in loco paulo ante citato Schelhornius in medium protulit, vices miseratus Melanchthonis, suorumque discipulorum, quos scilicet perridicula superstitio dementaverit. Adversus se ipsum testimonium ferret Schelhornius, siquidem suas in argumentum illud Observationes in rem meam vertens ego veritati abrenunciasse dicendus forem. Fateatur ergo ille, cum cura, quam

quam quis adhibeat in lucrifaciendis causæ suæ præsidiis, optime componi posse studium veritatis. Paradoxa lucrifacere, qui aliter sentit, omnium judicio reputabitur.

SCHELHORNIUS.

XIX. *Si ad id, quod Romanæ Sedis interest, fingenda & refingenda esset historia, quam turpiter illa, quæso, adulteranda foret, quam misere truncanda? Imo, ut ex pluribus unicum exemplum afferam, integra sesquisæculi historia prorsus foret supprimenda, ac tenebris plusquam Cimmeriis obfuscanda. Certe sæculo decimo, ac sequentis dimidio, plerosque, qui in solium Pontificium elevati erant, monstra potius ex omni spurcitiarum ac scelerum colluvie concreta, quam Ecclesiæ capita & Vicarios Christi nuncupandos esse ipsi fatentur vestræ causæ addictissimi &c. p. 31.*

ANIMADVERSIO.

XIX. Si id fatentur causæ nostræ addictissimi, & præsertim Cardinalis Baronius, cujus postea recitat lamentabiles querimonias Schelhornius, non video, quomodo hujus proposito inserviat exemplum, quod attulit. Romanæ siquidem Sedis intererat sesquisæculi illius maculas eluere, aut contegere, hasce tamen Baronius, & alii ei Sedi addictissimi fateri, & propalare non dubitarunt; inde igitur sequitur, exemplo illo, nostrorum Scriptorum potius integritatem, ac sinceritatem, quam vitium, cujus insimulantur, comprobari.

SCHELHORNIUS.

XX. *Affatim jam*, CARDINALIS EMINENTISSIME, *demonstrasse mihi videor, conjecturam Tuam improbabilem omnique fundamento destitutam esse. Nec adeo opus foret, penes intelligentes & æquos rerum arbitros meam sententiam, sua luce (præfiscine dixerim) radiantem pluribus argumentis consolidare. Opinione enim Tua profligata, mea stet inconcussa & irrefragabilis necesse est, cum singulas rationes, quibus aliquem conjecturæ Tuæ colorem inducere allaborasti, satis abunde, nisi me fallant omnia, diluerim. Promissi tamen supra dati memor argumenta jam quædam, sententiæ meæ magis magisque confirmandæ idonea, superpondii loco adjiciam. E primo quidem intrepide ad ipsa verba Indicis Paulini provoco, testorque magna animi fiducia lectores omnes, rerum gnaros ac extra partium studium positos, uno*

sine aperta vi verbis illata ex eo quod Liber inscriptus Consilium de emendanda Ecclesia *damnationis nota insigniatur , ulla veritatis specie extundi queat , minime illud ipsum Consilium , sed Sturmii tantum epistolam reprobari . Profecto , si hoc valeret , quidlibet ex quolibet pro lubitu invita veritate facile exsculpi , rebusque sole meridiano clarioribus caligo offundi posset. Quodsi ego ,* DOMINE , *vel de Polo , vel de Paulo III. vel de aliis rationes sic subduxissem meas , quantopere , obsecro , abs Te , idque multum repetitis vicibus (clementer condona querelam hanc non injustam toties lacessito) vapulassem ? de quo forsan alibi erit dicendi locus .*

ANIMADVERSIO.

XX. Ne semel quidem superius dixi , verbis illis *Consilium de emendanda Ecclesia*, Sturmii Epistolam reprobatam fuisse, sed credi posse affirmavi, seu Sturmianam, seu aliam Germanicam ejus Consilii editionem, quæ per omnium manus vagaretur, in Indice designari potius, quam Romanam; si quidem hanc, quo ipso temporis momento ortum duxit, spissæ adeo tenebræ involverunt, ut eandem in rerum natura exstitisse , conjecturis tantum , nullo autem certo documento allato ostendere opus habuerint vel Sturmius, Vergerius, & alii ferocius adversus Consilium illud animati. *Ignoti*, ut fertur, *nulla cupido*; dicam ipse, ignoti nulla censura.

SCHELHORNIUS.

XXI. *Pro mea deinde sententia fulcienda facit , quod celeberrimum* Joannis Sturmii *nomen in Indice Paulino & reliquis ad nostrum usque ævum omnibus inter primæ classis hæreticos compareat . Nosti autem , quem titulum in famoso illo Catalogo, Pauli IV. jussu confecto , prima classis præferat :* Authores , quorum libri & scripta omnia , & quæcunque sub eorum , vel sub sequacium ipsorum nomine vel cognomine conscripta aut edita sunt , vel in posterum conscribentur , sive edentur , etiamsi nil penitus contra religionem , vel de religione differant , in universum prohibentur . *Quum igitur Sturmius hisce auctoribus sit annumeratus , uno ejus nomine hunc in censum relato , omnia & singula ejus scripta non edita tantum illo tempore , sed etiam posthac divulgata , fuere obelo confixa ; neque adeo opus erat , ut ejus epistola sigillatim proscriberetur . Sicuti v. g. Luthero no-*

noſtro, viro beatiſſimo, hanc in claſſem conjecto, nullum ſingulare ejus ſcriptum ſpeciatim damnatur,

ANIMADVERSIO.

XXI. Huc etiam faciunt, quæ in ſuperiore Animadverſione ſunt a me dicta. Sturmii Epiſtola erat germanus ejus fœtus, non ita vero Conſilium Novemvirale eidem præmiſſum. Hoc autem dum principem locum in Sturmii libro obtinere conſpicitur, niſi damnaſset Pauli IV. Index, facile aliqui in eam perſuaſionem adducti fuiſsent, quæcumque ipſi Conſilio in illo libro ſubjungebantur, Sturmianorum Operum cenſuræ minime ſubjacere.

SCHELHORNIUS.

XXII. *Porro pro me tam Index Pii IV. quam cæteri ad hanc uſque diem ſinguli pugnant, univerſi enim, ne uno quidem excepto,* Conſilium de emendanda Eccleſia, *Sturmii mentione plane non habita, atro carbone notant. Varia autem in Catalogo Pauli IV. mutaviſſe Patres ad Indicem Tridentinum auſpiciis Pii IV. conficiendum deputatos, tum ipſa utriuſque collatio docet, tum Franciſcus Forerius, Dominicani ordinis ſodalis, iiſque a ſecretis in præfatione memorat &c. p. 35. Nonne & hic aliqua mutatione aut evidentiori indicio fuiſſet opus, ſi haud ipſum de emendanda Eccleſia Conſilium, ſed Sturmii tantum epiſtolam obelo voluiſſent transfixam Indicis Tridentini concinnatores? Iis enim innotuiſſe Vergerii exprobrationem quis ambigat? &c. p. 36.*

ANIMADVERSIO.

XXII. Quod ſpectat ad *Conſilium de emendanda Eccleſia*, non alia mutatione, aut evidentiori indicio opus fuiſſe video, quam ejuſdem Auctores declarari, ſiquidem ipſummet Novemvirale in Pauli IV. Indice obelo notatum fuiſſe, Patres ad Indicem Tridentinum auſpiciis Pii IV. conficiendum deputati vere exiſtimaſſent. Ea enim declaratio, uti pluribus jam locis monui ſuperius, conſona omnino fuiſſet rationi paſſim, & ubique uſurpatæ, ut quodnam foret idem Conſilium innoteſceret, neve cum aliis Scriptis confunderetur genericam emendandæ Eccleſiæ nomenclaturam ſortitis, cujuſmodi aliqua non defuiſſe, Paulini Indicis conditi ætate,

ar-

argumentum inde desumitur, quod quotquot olim eum Indicem magna ingenii acie præditi evolverunt, Sarpium præsertim dico, Sekendorffium, Richerium, Launojum, & nuperrime Kieslingium, nulla prorsus ratione in eodem conspicere valuerint portentum illud, quo mundum perterrefacere aggressus est primo Vergerius, deinde pauculi hujus asseclæ, qui, ut patet, re ad trutinam minime vocata eum calumniatorem exscripserunt. Patres illi, Tridentini Indicis concinnatores, quibus *innotuisse* (subdit Schelhornius) *Vergerii exprobrationem quis ambigat?* eandem ceu ficulneam sprevisse, & irrisisse dicamus oportet, quandoquidem nullus ex ipsis, & post ipsos nec unus quidem Catholicus Scriptor a Novemvirali Consultatione collaudanda abstinuit, quibus scilicet ejus memorandæ occasio aliqua se præbuerit.

SCHELHORNIUS.

XXIII. *In prima classe Indicis Paulini comparet etiam Henricus VIII. Anglus, atque hoc pacto scripta ejus ad unum omnia sunt damnata. Censura igitur ista quoque confixit illius* Assertionem VII. Sacramentorum contra Lutherum, *speciatim ejus libro de captivitate Babylonica A.* 1521. *oppositam, cujus tamen caussa Leo X. illum* defensoris fidei *titulo mactatum voluit, in diplomate ad eum A.* 1521. *V. Id. Oct. dato, & a Cardinalium Collegio subscripto inter cætera invidenda elogia ipsi tributa his verbis usus: &c. pag.* 37. 38. *In indice Clementis VIII. jussu recognito & publicato Henricus quidem VIII. Anglus in prima comparet, sed in alterius classis appendice hæc leguntur:* Henrici VIII. Angli liber de Sacramentis, quem conscripsit adversus Lutherum, permittitur. *Eadem nota in aliis etiam editionibus ad nostram usque ætatem, quas versavi, omnibus conspicitur.*

Quorsum vero hæc, inquies? Nimirum ut isthoc exemplo ostendam, & Indicis Tridenti fabricatores, & reliquos, qui illi recognoscendo, agendoque operam sensim navarunt, Consilium de emendanda Ecclesia inter reprobatos libros referendo, Paulum IV. sequutos, ipsum illud Consilium voluisse damnatum, non Sturmii duntaxat ἐπίκρισιν, *quam si tantum prohibendam censuissent, eam distincte notare, Consilium vero a censura immune præstare par erat.*

ANI-

ANIMADVERSIO.

XXIII. Merito utique ea nota ad Henrici VIII. nomen locum invenit in recentioribus Indicum Editionibus. Nulla vero in iisdem apposita unquam visitur ad librum inscriptum *Consilium de emendanda Ecclesia*, propterea quod nemini ex Indicum concinnatoribus in mentem venit, eo titulo Articulos Consultationis Novemviralis designari, ipsosque ceu noxios damnari. Ab hac pariter suspicione usque in hodiernum diem Catholici omnes Scriptores longissime abfuerunt, adeo ut Natalis Alexander in Volumine postremo suæ Historiæ Ecclesiasticæ Pauli III. gesta exponens, Articulos illos plene recitaverit, nec tamen Censorum suorum, quos aliquando plus æquo rigidiores experiri sibi visus est, ea recitatione notam ullam sibi promeruit.

SCHELHORNIUS.

XXIV. *In elencho librorum prohibitorum, qui præmissus est Bernardi de Sandoval & Roxas Cardinalis & Archiepiscopi Toletani Indici librorum expurgandorum, sæpe tam auctoribus quam libris damnatis quædam adjectæ sunt notulæ, ad lectores monendos, quid prohibitum, quidve permissum velint Censores. En Tibi ex plurimis unum exemplum. In secunda classe lit. R. hæc inter alia habentur*: Reginaldi Poli Cardinalis Britanni pro ecclesiasticæ unitatis defensione libri quatuor, alioqui catholici, sed habentes simul impressos aliorum libros contra primatum Romani Pontificis, & præfationem Petri Pauli Vergerii, auctoris damnati: Quibus demptis, Reginaldi opus poterit legi & retineri. *In tertia autem classe lit. C.* Consilium de emendanda Ecclesia: Liber sic inscriptus, *ne verbulo quidem præterea addito, damnatur. Nonne si ipsi Consilio nihil derogare voluissent Inquisitores Hispanici, more suo diserte monere debuissent, Sturmii tantum epistolam illi annexam reprobari, hac autem demta Consilium ipsum legi & retineri posse?*

ANIMADVERSIO.

XXIV. Quid opus erat ab Inquisitoribus seu Hispanicis, seu aliis diserte moneri, Consultationem Novemviralem legi, & retineri posse? dum iisdem compertum erat, neminem unquam Catholicorum de ea re dubitasse. Ea autem dubitatio cadere potuit in librum de Unitate Ecclesiastica, siqui-

ſiquidem iſte Lectores offendiſſet, qui Schelhornii inſtar, ſummum Reginaldi Poli erga felicitatem Henrici Regis ſui ſtudium perperam interpretantes, convicia tantum, odiumque Vatinianum in eo libro deprehendiſſet.

Schelhornius.

XXV. *Sed hæc miſſa faciamus, in cauſſam potius jam inquiſituri, quæ Paulum IV. ad probibendum iſtud Conſilium induxiſſe videtur. Scilicet eadem ratio huc flectere poterat ejus animum, quæ eum ad tabulas fiduciæ vel inſtructionem & credentiales, quas appellitant, literas Franciſco Cheregato, Aprutenſi Epiſcopo ac Nuncio ſuo ad comitia Norimbergenſia A. 1523. abituro ab Hadriano VI. Pontifice ſuggeſtas, in Indicem damnatorum librorum referendas commovit. In litteræ enim L. tertia claſſe obelo configitur, quod & in cæteris Indicibus deinde repetitum eſt,* Liber inſcriptus, Pontificii Oratoris Legatio in conventu Norimbergenſi. *Ferre ſcilicet æquo animo non poterat Paulus IV. cum ſucceſſoribus veritati conſonam, ſed nimis ingenuam, Hadriani confeſſionem de lurida ac corruptiſſima eccleſiæ & curiæ Romanæ facie. Ita enim is præter alia &c. p.* 40.

Pariter ſinceras illas Cardinalium ac Præſulum delectorum confeſſiones in illo novem-virali Conſilio de antecedentium quorumdam Pontificum dominatu injuſto, de labente imo vero collapſa in præceps Eccleſia Chriſti, deque abuſibus illis & graviſſimis morbis, quibus jam pridem & ad deſperationem fere ſalutis eccleſiam ac præſertim Romanam curiam laborare conqueſti ſunt, quoſque vivis partim depinxere coloribus, omnium oculis & Proteſtantium præcipue exagitationi exponi, res videbatur indigna plane atque intoleranda Paulo IV. arrogantis animi Viro, cujus gloriæ ſi eam Conſilii iſtius damnationem officere cenſeas, cum magna ejus deliberationis quondam pars ipſemet fuerit, equidem non repugno. Fortaſſis præter ejus mentem Conſilium illud typis olim excuſum eſt, & in apricum prolatum, quod celandum potius fuiſſet, atque inter curiæ arcana habendum, cum præſertim executioni datum haud fuerit.

Animadversio.

XXV. Paulum IV. eum fuiſſe Pontificem, qui ferre æquo animo non poſſet Eccleſiaſticam Reformationem inſtitui, ac propterea præter ejus mentem Conſilium Novemvirale olim typis excuſum, & in apricum prolatum fuiſse, audiret utinam

nam ſuperſtes adhuc Launojus! Quantopere ab hoc, *idque multum repetitis vicibus*, vapularet Schelhornius, quin hic petere poſſet, tantam injuriam illius Pontificis nomini illatam ſibi condonari, poſtquam ipſemet ſubſcripſerit Dupinio pronuncianti, *Launojum nonniſi illos memoriæ ſuæ poſſe inimicos habere, qui præconceptas opiniones ſuas veritati præferunt*. Evolvat Schelhornius Launoji Operum Volumina, ac in primis bina Epiſtolarum ejuſdem, invenietque Pontificis Pauli IV. merita ad cœlum extolli præſertim ex ſanctioris Diſciplinæ Eccleſiaſticæ zelo; unde in Epiſt. I. ad Joannem Gerbaſium ita ſcribit: *Hic autem Pontifex Apoſtolica Sede digniſſimus, recordabatur eorum, quæ cum eſſet Joannes Petrus Cardinalis Theatinus in Concilio delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum notaverat, & graviter confixerat. In eo ſupremi Pontificatus honor mores, contra quam fieri ſolet, haud mutaverat*. Et paulo ante verba faciens de Pontificia Conſultatione, qua actum fuit de Matrimonii vinculo, hæc habet: *Paulus IV. in hoc celebri Conſeſſu ita ſe geſſit, ut, conſiderata re, difficile ſit, Pontificem reperire ſinceriorem*. Quis igitur non videt, nonniſi per indignam, & intolerandam impudentiam affirmari poſſe, librum inſcriptum, *Pontificii Oratoris Legatio in Conventu Norimbergenſi*, damnatum fuiſſe in Pauli IV. Indice, quod Pontifex iſte Reformationem omnem averſaretur? Noxæ hujus invidia dum Pontificem illum onerat Schelhornius, ipſe eſt, qui *rebus ſole meridiano clarioribus caliginem offundit*; dum, præter Pontificis illius mentem, Conſilium Novemvirale typis olim excuſum fuiſſe ſuſpicatur, ipſe eſt, qui *quidlibet ex quolibet pro lubitu facile, invita veritate, exculpi poſſe* demonſtrat. Taxat ille Pauli IV. arrogantiam ea in re, qua ſingularem animi ſui moderationem ſpectandam dedit. Reformationem non ex ſola Romani Pontificis voluntate decerni debere exiſtimavit, ſed Concilii Generalis jam jam inſtaurandi authoritate, ac propterea ut ad iſtud res integra deferretur, ex hominum manibus ſubductum voluit Hadriani VI. ad Nuncium ſuum in Conventu Norimbergenſi mandatorum libellum. Si æque vero,

ac de Legatione illa constat, ipsam fuisse Commentarium, quem Nuntio suo Cheregato Hadrianus VI. tradidit, constaret etiam, Consilium in Indice enunciatum esse ipsum Novemvirale, hujusque Editionem omnem prohiberi, haud immerito censeri deberet, alteram pariter hanc censuram decretam fuisse ea solum de causa, ut omni authoritate Consilium illud destitui, negotiumque Reformationis ad Concilium Generale omnino amandari, Christifideles perciperent. Hoc autem tantum nomine ambo illi libelli inter vetitos a Paulo IV. repositi nullam ansam Schelhornio, aliisque præberent factum illud criminandi. Porro Regulæ Indicis editæ jussu Synodi Tridentinæ palam faciunt, præter libros Hæreticorum, & cujusvis Authoris Scripta ob hæresis, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, adnotari pariter in eodem Indice *libros alio nomine interdictos*. Ea ipsa causa, ex qua Paulus III. decrevit, ut Consultationis Novemviralis libellus supprimeretur, *pour ne pas prevenir le Concile qui devoit travailler a la Reforme*, uti concorditer loquuntur Dupinius, & Fleury, nil mirum, si effecisset, ut idem libellus interdictis accenseretur a Paulo IV.

SCHELHORNIUS.

XXVI. *Quam multa autem, sodes, ille Pontifex præterea fecit minus ipsi honorifica, ac personam, quam gerebat, prorsus non decentia, adeo ut ipse Pallavicinus* (*) *ejus Pontificatum infaustum ingloriumque vocare non dubitaverit. Audiamus modo ne longi simus, unum ex multis testem coævum, vobisque minime suspectum, Onufrium Panvinium, vitæ ejus historiam ita exordientem* : Paulus IV., cui Joanni Petro ante pontificatum nomen erat, quum adhuc esset Cardinalis, pari fuit inter Sacri Ordinis Senatores virtutis ac literarum merito priscis illis atque sanctissimis Christiani ordinis patribus comparandus. Sed & multo quoque antea, quam purpuræ honorem consequeretur, iisdem veteris christianæ disciplinæ moribus venerabilis, ad urbem simul & ad Vaticanas ædes ab Hadriano VI. evocatus, supra cæteros fere, qui tum Romæ clari conspiciebantur, sacratos viros semper enituit, ita ut quum jam inde a multis annis om-

(*) In Histor. Concil. Trid. Part. II. Lib. XIII. Cap. XI. num. 12. f. 159.

omnium esset in admiratione, optimam sanctissimamque sui memoriam relicturus fuisse videretur, ni Pontificatum statim adeptus, parum prudenti Consilio, sumtis ipse armis, excitatisque de novo, quæ refrixerant, inter Christianos Reges bellis, omnibusque fere ubique terrarum turbatis, eandem temere corrupisset. *En vero Tibi egregiam imaginem communis Christianorum & sanctissimi Patris, ac Christi, pacis Principis, Vicarii, in postremis verbis graphice depictam!* p. 42. 43. 44. 45.

ANIMADVERSIO.

XXVI. Quoniam optimam, sanctissimamque sui memoriam reliquisset Paulus IV. si ab armis sumendis Pontificatum adeptus abstinuisset, falso igitur eandem obumbrare conatur Schelhornius ex Reformationis odio, quod ei Pontifici improperavit, quodque per calumniam confictum fuisse vel ipsius testis, quem ille adhibet, dicta perspicue omnino declarant. Id ipsum etiam declarant Constitutiones aliquot a Paulo IV. editæ, quarum enumerationem his verbis Natalis Alexander, ubi agit de eo Pontifice, exorditur: *Totus ad tollendos abusus, quos superiorum temporum negligentia pepererat, incubuit Paulus IV. ut in hac saltem ratione Lutheranorum voces contra Romanam Curiam obloquentium retunderet. Multa igitur summæ severitatis Edicta promulgavit, quæ ad mores emendandos pertinerent. Ob eam causam multis invisus fuit.* Dum igitur aversæ a reformanda Ecclesia voluntatis Pontificem istum Schelhornius condemnat, videat, ne hac etiam in re voluntatem Protestantium demonstret prius animam, quam odium in Romanos Pontifices deponendi.

In Nota ad hunc locum pag. 45. hæc mihi legenda præbuit Schelhornius, *Haud enim id*, DOMINE, *Tuis in eum* (Thuanum) *declamationibus penes rerum peritos assecutus es, ut fides, atque auctoritas historici incomparabilis vacillet.* Declamitare igitur Schelhornius appellat, rem, de qua agitur, certissimis testimoniis comprobare. Ostensurus ego, per injuriam adversus Romanos Pontifices hæc scripta fuisse de Henrico VIII. Angliæ Rege a Thuano: *In reliqua vita ita se gessit ille Rex, ut eum, si æquiores, & pru-*

 den-

dentiores Pontifices nactus fuisset, sponte se subjecturam ipsorum potestati fuisse appareret, & per injuriam pariter alia ista: *Princeps omnibus naturæ donis cumulatissimus, & in quo, si in voluptates solutior non fuisset, nihil merito desiderare posses*, Sodales meos Regiæ Parisiensis Academiæ in hunc modum affatus sum in Epistola ad eosdem data, quæ secunda est Decadis quartæ mearum Latinarum Epistolarum.
„ Ex hac itaque ad alterum Poli Epistolarum Collectionis
„ Volumen apposita Præfatione vestrum erit, Viri Clarif-
„ simi, modo decernere, an immerito, ut ego quidem
„ omnibus viribus contendi, Poli nomen in invidiam tra-
„ hatur ob animum, quem maximopere infensum gessisse
„ adversus Regem Henricum passim insimulatur. Id unum
„ peto, ne Jacobi Augusti Thuani, cujus mentio facta est
„ in postrema ejus Præfationis parte, tanti apud Vos pon-
„ deris sit auctoritas, ut ejus testimonio freti, Henricum
„ labe omni caruisse censeatis, *si in voluptates solutior non*
„ *fuisset*, ac propterea Polum ejusdem vitia calamo suo car-
„ pentem, modum, & fines transiliisse. Integerrimum, re-
„ ligiosissimumque Henrici morum testem potius audite Ja-
„ cobum Bossuetum, Meldensem Episcopum, qui lib. VII.
„ Operis *Histoire des Variations &c.* in ejusdem Gestis nil
„ magis agnoscit, quam *le comble de la cruauté, & de la*
„ *tyrannie*. Audite vel ipsum Anglicani Schismatis præco-
„ nem Gilbertum Burnetium, qui tamen de Henrico ita
„ scribere non dubitavit: *Il donna l'exemple pernicieux de*
„ *fouler au pieds la justice, & d'opprimer l'innocence la*
„ *plus manifeste*; idemque gravissima alia ejusdem scelera
„ detestatus, his verbis elogium concludit: *Ce sont là des*
„ *taches si odieuses qu'un honneste homme ne sçauroit l'en*
„ *excuser*. Atqui unam tantum in Henrico maculam nota-
„ vit Thuanus, proclivitatem scilicet ad voluptates, ani-
„ mumque ei ita salubribus monitis morigerum accommo-
„ davit, ut confidenter prodiderit, Anglicani Schisinatis
„ culpam non illi, sed Romanis Pontificibus esse tribuen-
„ dam. Quid vero! quum is ipse nec etiam pepercerit
„ Francisci I. Galliarum Regis nomini, cui nimirum insi-
„ gnem

„ gnem contumeliam intulisse dicendus est instituta inter ip-
„ sius, & Henrici mores comparatione in hunc modum:
„ *Accedebat ad hæc morum, & naturæ tam conspirans si-*
„ *militudo, quanquam in fortuna dispari, ut nulla inter*
„ *duos Principes, vel temporum quovis intervallo dispara-*
„ *tos, major usquam commemorari possit*. Regem illum ve-
„ strum & candore animi, & clementia, & pietate nullum
„ habuisse parem inter Principes, Jovius, & Historici ple-
„ rique omnes eorum temporum testantur. An non ab iis
„ dotibus immensum aberat Henricus? Thuani certe compa-
„ rationi illi haudquaquam assentiri censendus est Joachimus
„ Abbas le Grand, Scriptor Nationi vestræ, quin & ipsis
„ Aulæ Primatibus (horum aliqui adhuc in vivis degunt)
„ commendatissimus, T. II. lib. *Histoire du Divorce &c.* ita
„ scribens: *Francois I. aimoit Henry; mais Henry vain,*
„ *ourgueilleux, & plein de caprice au dernier point, n'*
„ *aimoit rien*; præterquam quod toto illo Opere Henrici
„ vitia insectatur, eaque promeruisse affirmat (imo demon-
„ strat ex Gallicorum Legatorum literis) ut idem Franci-
„ scus de armis adversus eundem cum Carolo Cæsare jun-
„ gendis serio cogitaverit, ex initis inter utrumque Prin-
„ cipem, & Paulum III. consiliis. „ Si hujuscemodi testi-
monia fideliter recitasse, declamare est, quemadmodum cen-
set Schelhornius, parem, ut video, sententiam feret de
meis omnibus ad Epistolam suam Animadversionibus hisce, ac proinde (quod valde mihi dolebit) ad fluctus declamasse comperiar.

SCHELHORNIUS.

XXVII. *Sed jam tandem receptui cano. Satis enim in hac arena, nec, nisi augurium me fallit, infeliciter a me depugnatum est. Duo tamen sunt, quæ ἐπιμέτρῳ loco annectere juvat. Unum spectat ad Pauli IV. Indicem, alterum ad epistolam Sturmii.*

Inter eos, quibus illius Indicis conficiendi provincia a Paulo IV. demandata erat, fuit Christophorus Patavinus, generalis Ordinis Eremitarum gubernator, qui id ipse in Synodo Tridentina affirmavit (*), *asserens simul, id negotii peractum fuis-*

(*) Vid. Sfort. Pallavicini Hist. Concil. Trid. Par. II. cap. XVI. n. 9. f. 257.

fuisse exquisita diligentia, extractis e Vaticana Bibliotheca voluminibus, inspectis aliarum regionum indicibus, divisaque rei cura inter plurium religiosorum ordinum theologos. Franciscus quoque Forerius, cujus verba supra recitavimus, in præfatione Tridentino Indici præmissa, eum magna cum maturitate a multis viris doctis compositum esse pronuntiat. Quam vero negligenter illi spartam ornarint suam, clamitant errores, iique partim satis crassi in eo indice conspicui, quorum nonnulla dabimus exempla, ne partium studio hæc tantum pronuntiasse videamur. &c. p. 46. 47. 48.

Animadversio.

XXVII. Jam animo meo divinaveram, ut superius ex pag. 10. plane constat, commendatam a Schelhornio Pauli IV. in construendo suo Indice sagacitatem eundem inficias iturum, ut primo causæ suæ commodum ita postulasset. En igitur quomodo in præsens, ut Indici eidem contumeliam faciat, vel ad syllabas, vel ad literulas aucupandas devolvitur. Quid ego ad aucupium illud reponam? nec enim ad concertationis nostræ argumentum spectant hujusmodi tricæ. Meas vices Catullo delegabo. Hujus Epigramma ante quadraginta & amplius annos memoriæ meæ mandatum, eadem repente, nescio quo pacto, mihi obtulit, statim ac misellam illam Schelhornii farraginem perlegi.

Chommoda *dicebat, si quando commoda vellet*
Dicere, & hinsidias *Arrius insidias.*
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Cum, quantum poterat, dixerat hinsidias.
Credo sic mater, sic Liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerit, atque avia.
Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter & leviter.
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Cum subito affertur nuntius horribilis:
Jonios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Jam non Jonios esse, sed Hionios.

Æqui bonique consulet Schelhornius Poeticæ huic festivitati aditum hic a me factum fuisse, ut ea responderet quadante-

tenus Carmini illi (*), quod ab ipſo ſubjunctum viſitur in Nota ad Num proxime prævium, ſcilicet p. 44. Epiſtolæ ſuæ, quodque Viri Clariſſimi non erga me tantum, ſed erga etiam Familiæ meæ nomen teſtatur comitatem. Hæc tamen ſi a me non impetraverit, ut cauſas adverſus eundem ſuſceptas mollius ſuſtineam, id ipſarum naturæ tribui velim, potius quam ingenio meo duro, & acerbo. Archiepiſcopus quoque Firmianus in concertatione, quam cum ipſo habui de Feſtis diebus, Familiæ meæ honeſtandæ veteres aliquot memorias ex ejus Urbis tabulariis deprompſit, nec tamen propterea leviori brachio novitatem, quæ ipſi arriſerat, inſequi, & oppugnare perrexi. Kieslingius pariter quam

(*) Opuſcula (*Crotti*) poetica prodiere Ferrariæ A. 1564. in 8. Epigrammata autem illa tria leguntur Farraginum Lib. I. p. 125. & 127. ac Lib. II. p. 149. Habetur vero ibidem p. 144. carmen ad QUIRINUM, unum, hand dubie ex glorioſis Tuis Majoribus, cujus in TE, DOMINE: generoſus ſanguis ſtillat, quod hic repetere jucundiſſimum mibi eſt

Inconcuſſo animo eſt tibi, QUIRINE,
Virtus tam ardua, tamque ſingularis;
Eidemque animo eſt tibi, QUIRINE,
Tantum æqui ac fidei; tam eodem inane,
Tam iniquum fugit; impium tam abhorret,
Quirini ut Charites, Quirinum ut ipſum
Fundatorem hominum potentiorum
Ubique trabeatum, ubique juſtum
Oſtentes facie, ore, ſpirituque:
Præ te fers modo, non modo Quirinum
QUIRINE optime, moribus ſed iſtis
Ancos, Fabricioſque, Neſtoraſque,
Divinumque Numam, & parem Catonem;
Aut ſi ſanctius eſt Numa & Catone.
His motus animi bonis, meaque
Confiſus pietate, te oro ſupplex
Germano ut juveni, ut ſeni parenti
(Nam alter ſpes animæ meæ, altera alter)
Feras ſuppetias, & innocentes
Dextera tuearis impotentes.
Sic vivas numerum Lybiſſæ arenæ
Charus omnibus, omnibus cupitus,
Et ſero venias in aſtra felix!

Quod extremum votum etiam pro TE, QUIRINE EMINENTISSIME, ex animo facio.

quam liberaliter laudes in me, quod spectat etiam ad sacrorum munerum, quæ obeo, administrationes, profuderit, norunt omnes, qui mutuas nostras lucubrationes perlegerint, iique intellexerunt, haud proinde minus acriter stylum meum insectandis ejus dictis incubuisse.

SCHELHORNIUS.

XXVIII. *Restat, ut polliciti conscius de singulari epistola Sturmianæ fortuna exponam, idque ipsis auctoris verbis. Ita autem ille* (*): Jacobi Andreæ librum, quem mihi ante cœnam heri misisti, Ludovice Grempi, simulac cœnatus essem, mihi recitari jussi. Rogas fortasse, ut dormiverim. Sane placide & suaviter: usque ad secundam post noctem mediam. Exordium epistolæ, cum mihi in mentem veniret vigilanti, illius temporis mihi memoriam renovavit, quo rogatu Buceri scripsi contra Concilium delectorum Cardinalium. Inscriptio libri mei erat, ut opinor: Concilium Cardinalium: & huic subjectus alter titulus: De eadem re Joannis Sturmii Epistola. Quoniam scripsi: *De eadem re*, & non, *contra eandem rem*, putavit Malardus Theologus Sorbonista, me adhuc amicum esse, ut ipsi arbitrabantur. Usus enim erat biennio ante mea opera, cum paraphrasim in Epistolam Pauli ad Romanos ederet, Quoad enim potui, partitus eram ei breviter illius Epistolæ ordinem, cum rhetorica quadam observatione.

Ergo prima face noctis, cum librarius huic Malardo hanc Epistolam ex autumnalibus nundinis Francofurtensibus allatam, probandi causa, attulisset, permisit, ut venderetur. Commodum accidit, ut ea illam nocte non legeret, & die postero disputaturus esset in Sorbona. Scis autem consuetudinem esse, ut a quarta antemeridiana sæpe usque ad quintam pomeridianam hujusmodi disputationes amplicntur.

Reversus autem a disputatione sibi recitari cœnanti jussit epistolam meam. Ubi vero intellexit, me alium esse in illo scripto, quam putarat, confestim ad librarium mittit; jussit omnia exemplaria ad se deportari. Cum ille respondisset, omnia distracta ac vendita esse, indignabatur. Adduxerat autem Francofordia ille librarius secum trecenta, ut commemorabat, exemplaria.

ANI-

(*) In Epistola apologetica contra Jacobum Andreæ, D. Ludovico Grempio a Freudenstein, JC. Argentoratensi, inscripta, atque Neustadii in Palatinatu ex officina Matthæi Harnisch A. 1581. in 4. edita. p. 3. seq.

ANIMADVERSIO.

XXVIII. Duo sunt in hac narratione, quæ superius a me traditis lucem affundunt, atque ipsa confirmant. Primo, Consultationem Novemviralem a Sturmio enunciari his verbis *Consilium Cardinalium*, quæ sola, sæpius affirmavi, ut Consilium illud a quocumque alio Consilio ad Ecclesiam emendandam conscripto discerni valeat, efficiunt. Deinde, Consultationem illam Sturmii Epistolæ de eadem præmissam, Theologum Sorbonistam ad credendum adduxisse, Sturmii libellus utramque complexus nihil vetare, quominus Pariſiis distraheretur; nil ergo mirum, si ad parem errorem arcendum Paulinus Index Consilium illud notasset, unde omnes intelligerent, nullo pacto librum illum legi, seu retineri posse. Duo igitur ista palam faciunt, haudquaquam constare, Consilium in Indice notatum, esse Novemvirale; nec etiam (siquidem istud constaret) pro certo haberi posse, Sturmii libris omnibus in Indice, solo ejusdem nomine recitato satis superqne reprobatis, nullam causam adfuisse, ob quam facta ab ipso ejus Consilii Editio, quæ statim non Germaniam tantum, & Italiam, sed Galliam etiam pervaserat, in eodem Indice damnaretur. Cur vero in eo Consilium unice designaretur, verosimiliter in causa fuit, quod ipsum multo insignius, quam Epistola eidem subjuncta, in Sturmiani libelli titulo eluceret. Pari modo, quod Vergeriana libri de Unitate Ecclesitstica præcipue spectandum exhibeat ipsum Poli Opus, hujus titulo tantum descripto Editio illa, ut jam dixi, quod notissima olim foret, statim percipi valuit.

SCHELHORNIUS.

XXIX. *Arbitror*, & TIBI, DOMINE, & *lectoribus meis rem me præstiturum haud ingratam, si eam Sturmii Epistolam, rarissimam pariter atque elegantissimam, huic meæ subjecero, pretiosissimum panno subtextam hoc pacto exhibiturus purpuram. Alteri autem meæ dissertationi epistolari subjungere animus est tam literas, facundas quidem, sed satis breves, a Cardinali Sadoleto ipsi repositat, quam iteratam Stumii responsionem, cui non habebat Sadoletus, quod amplius opponeret.*

ANIMADVERSIO.

XXIX. Utinam & ipſe arbitrari poſſem, Schelhornio non ingratum futurum Cardinalis Poli de Sturmiana illa Epiſtola judicium, quod ſtatim ſubdo ex ejus literis ad Cochlæum: *Adverſus Sturmium librum tuum legi, in quo inanem illius verborum ſtrepitum ſolida ſenſuum veritate facile comprimis, qui mihi viſus eſt ob hoc ſolum quod loqui didicerit, ut idem aliis oſtenderet, quantum in verborum delectu, & illorum conjunctione profecerat, magis quam alia de cauſa, illud ſibi argumentum ſcribendi ſumpſiſſe; in quo certe, ſi judicio, pietate, & doctrina valuiſſet, debuiſſet potius pios conatus laudare, quam vituperare, quia ejus judicio non uſquequaque ſatisfeciſſent; ſin id minus a ſe impetrare potuit, ſaltem non hanc dignam cauſam putare, in qua eloquentiæ ſuæ vires omnes exerceret, niſi forte declamandi cauſa.*

SCHELHORNIUS.

XXX. *Nihil nunc ſupereſt, quam ut Te, cujus in laudatiſſima humanitate unicum mihi repoſtum eſt ſolatium, ea, qua par eſt, obſervantia rogitem, velis, quæ hactenus Tecum diſputavi, æqui bonique conſulere, memor, me nonniſi invitum atque Tuo imperio compulſum in hanc Tecum arenam deſcendiſſe. Ita vale*, CARDINALIUM EMINENTISSIME, *atque omni proſperitatis genere cumulatus rei literariæ bono ac Italiæ Tuæ ornamento diu vige. Scribebam Memmingæ, A. R. S. MDCCXLVII. d. xv. Sept.*

ANIMADVERSIO.

XXX. Unum viciſſim ſupereſſe ipſe dixero, ut videlicet animo a præconceptis opinionibus vacuo, ac ſolius veritatis aſſequendæ ſollicito, allatas hucuſque a me Animadverſiones Schelhornius perpendat, indeque ipſum pudeat ingentis ſolitudinis, quam circa ipſum eſſe demonſtravi, dum Sleidani, Sarpii, Curayeri, Seckendorffii, Richerii, Launoji, Kieslingii, quotquot nimirum plenius de Conſultatione Novemvirali egerunt, illud ipſe argumentum pertractaus, ſocietatem refugiſſe comperitur; addam etiam Alexandri, Dupinii, & Fleury, ſeu hujus Continuatoris. Tanto-

torum densus Scriptorum profecto merebatur, ne eorum auctoritas a Schelhornio flocci fieret, quo famosi pudoris Scriptori, Vergerio scilicet, homini, uti illum Seckendorffius nominat, versatili, seu, ut ego dicam, dolos tantum, & nefas suo in pectore, suisque in scriptis versanti, adhæreret. Ei autem choro ceu imperitantem induxi Sleidanum, quod in suæ Historiæ libro XII. quæ spectant ad Consultationem Novemviralem edisserens, eandem ab aliquo, donec ipse vixit, Romano Pontifice damnatam fuisse nec ibi affirmaverit, nec ullibi; non vero quod ipse pariter, æque ac reliqui, quos ei socios dedi, seu Vergeriana scripta, seu Pauli IV. Indicem lustrare potuerit, quippe qui anno 1556. decessit. Quare quæ de eodem pag. 12. scripsi, non aliam vim habere profiteor, quam juxta a me tradita in Præfatione. In Sleidani, si opus sit, locum subire modo faciam Jacobum Augustum Thuanum, qui post collaudatas in Paulo IV. dum adhuc Cardinalis esset, morum gravitatem, doctrinæ præstantiam, eloquentiam, & in dicenda sententia libertatem, de eo Pontificatum adepto ita subdens, *Severitas illa, ex qua emendationem in Ecclesiastica disciplina quidam sperabant, plerique verebantur, cito in superbiam vertit*, abstinuit tamen (quod valde ad rem suam faciebat) indicare, eum Pontificem vetitorum librorum elencho inserere non dubitasse illam ipsam emendationem, quam Cardinalis una cum aliis ad eam rem a Paulo III. adhibitis in scripta redegerat.

Tandem vero in medium afferam Danielem Francum, cujus certe oculis, si non ipse Pauli IV. Index, Romani alii illum complectentes patuerunt. Adest inter merces Germanicas, quibus instruitur mea Bibliotheca, *Danielis Franci disquisitio Academica de Papistarum Indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum, in qua de numero, Authoribus, occasione, contentis, fine, damnis, & jure Indicum illorum differitur. Lipsiæ anno* MDCLXXXIV. Vel solus hujus libri titulus abunde explicat, in omnem se se partem vertisse, & cujusvis generis machinas adhibuisse ejus Auctorem, quo sodalibus suis Romanorum Indicum horrorem

incutiat, detectis abominandis flagitiis, quibus hi ſcatent. Hæc inter nullum locum aſſignari ab eodem Vergerianæ accuſationi de damnata per Indicem Pauli IV. Conſultatione Novemvirali, etiam me tacente, quam valide evertat Schelhornii de ea damnatione ſeu conjecturas, ſeu hariolationes, imo captiones, Lector intelligis, præſertim poſtquam noveris, Danielem Francum ex ipſius Schelhornii T. VIII. Amoen. Liter. p. 343. teſtimonio *curate*, *&* *diligenter* Opus illud confeciſſe.

Ad parem laudem meis hiſce Animadverſionibus impertiendam ut Schelhornius, cui profecto & plurimas ineſſe literas, eaſque non vulgares, & præterea ingenii aciem admodum raram, in dubium nemo revocaverit, tandem adducatur, ſperandi anſam mihi præbet Epiſtola, quam, dum iſta a me ſcribuntur, Venetiis accipio, nam in illa hæc habentur: *Sembrami impoſſibile, che i Proteſtanti medeſimi, e lo ſteſſo Schelhornio, il quale ſi dimoſtra provveduto di molte cognizioni, e di ſottigliezza, non abbia a vedere il torto della cauſa che ſoſtengono, meſſo dall'E. V. nell'ultima poſſibile evidenza. Anche ne' due ultimi fogli, che ricevo, felicemente ſi combatte l'Avverſario, che viene validamente impugnato coll'armi proprie, e ſi diſarma di ogni prova in contrario*. Spem illam meam augent literæ jam jam a me delatæ Tigurina ipſa ab urbe, cujus prela in lucem emiſerunt Schelhornii lucubrationem huc uſque a me refutatam. Earum initium ita ſe habet: *Nous avons eu l'honneur de recevoir les feuilles de la lettre de Schellhorn avec les Annotations, & la Refutation de Vôtre Eminence. Certainement Schellhorn a grand tort à en juger par ce que nous y avons lu. Et Vôtre Emineuce a pris la milleure maniere de le refuter, & nous ſommes tres curieux de ce qu'en dira Schellhorn. En attendant nous avons remis ces trois feuilles a celui qui en pourra faire la Relation, ſi bon lui ſemble, a Schellhorn*.

Hæc, & alia doctorum Virorum teſtimonia ex eorundem Epiſtolis ſuperius recitata, præterquam quod ipſe Schelhornius me invitavit, exſtimulavitque, ut ea in medium af-

afferrem, non video, quomodo prætermittenda a me forent, dum validum causæ meæ adminiculum, ac firmamentum suppeditant. Licuit, semperque licebit, testes sententiæ suæ faventes adhibere, vades constituere, sapientes adire. Hi autem an in vivis degant, an e vivis abierint, nullo discrimine habebis. Ultro dabo, solidis argumentis pugnandum esse invicem; at ipsa, eorundem Virorum judicio pro invictis habita, novum inde robur desumere, nemo erit, qui inficietur. Ultro dabo, abstinendum esse in literariis controversiis ab aculeatis cavillationibus, ab irrisionibus, a dicteriis; hæcque non semper esse bonæ causæ indicia. At suffragia, quæ nobis victoriam adjudicent, silentio a nobis premi oportere, si quis existimet, is profecto in negotiorum suorum gestione se perquam exiguum sapere ostendit. Silentium vero illud si Adversarius ipse pro ineundæ pugnæ conditione deposcat, hominum judicia, quavis abundent doctrina, quacunque floreant existimatione, despiciens, iste Achillem alterum se facit, quippe qui ingenio suo *nihil non arroget*. Ferociam hujusmodi quod oderim ego, atque arceam, uti Virorum, quorum dicta laudavi, favorem mihi non defuisse valde lætor, ita tuum etiam, æque, ac Catholice Lector, requiro. Vale.

Ignorabat, ut certo credo, Schelhornius, dum suam Epistolam conscriberet, mearum partium fuisse Pauli IV. Indicem a Vergeriana calumnia vindicare, non ea tantum de causa, quod tradita a me de argumento, ad quod illa refertur, in aliis lucubrationibus, defendere, imo fulcire adactum me senserim, sed præterea ex Magistratu, quem gero. *Splendidam*, memorat ille Epist. suæ pag. 49. *Cardinalium*, *&* *Consultorum pro Indice librorum prohibitorum amplificando Congregationem Romæ institutam*; at nullum in tota ea Epistola, nec etiam alibi, verbum fecisse comperitur de Præfectura ejusdem Congregationis mihi jamdiu demandata. Id autem dum hoc loco a me monitus intelliget ita se habere, statim, velim, animadvertat, eo munere in præsens fungentem, de Indice illo non quidem augendo, sed minuendo sollicitum se in hac Opella præbuisse. Etenim

nim descriptum in eo libellum hoc titulo, *Consilium de emendanda Ecclesia*, demonstrare suscepi, aut non esse sanctissimam Novemviralem Consultationem jussu Pauli III. confectam; aut si ista sit, eam tantum esse, quam Germanicæ nonnullæ Editiones, Sturmiana præsertim, publicarunt; aut tandem, si cujusvis generis Editiones ejusdem intelligi deberent in Indice prohibitæ, hanc notam non ad ipsius Consultationis articulos, ceu noxios, percutiendos trahi posse, sed dumtaxat ad inhibendum, ne Pontificia authoritas ipsis inesse censeretur; quandoquidem jam Romæ statutum fuerat, Reformationis materiam iisdem comprehensam Concilii jamjam cogendi sanctionibus subjiciendam fore, ut Præsulum omnium nationum consensu præscriberetur, potius quam ex sola Romani Pontificis voluntate.

Intelligat insuper idem Schelhornius, ac pro certo habeat, per ejusdem Congregationis Præfectum nil obstare, quominus exiguæ seu literularum, seu syllabarum minutiæ, quas ille superius adnotavit, inter *Errata Corrige* Romani Indicis, sedem aliquando nanciscantur. Plures libros in Pauli IV. Indice proscriptos, minime comparere in Pii IV. Indice, idem Schelhornius compertum probe habet, pariterque in Indice Clementis VIII. jussu recognito, & publicato, inter Hæreticos quidem primæ Classis Henricum VIII. censeri, sed in alterius Classis appendice hæc legi: *Henrici VIII. Angli liber de Sacramentis, quem conscripsit adversus Lutherum, permittitur*. Nulla igitur dubitandi ratio, levioribus etiam mutationibus locum in ipso Indice patere inposterum posse. Leves autem omnino reputandas quotquot Schelhornius dinumeravit, earundem elenchus, quem statim subdo, apertum faciet.

In lit. A. *Alexander* Alexius *Scotus*. Cor. *Alesius*. *Andreas* Bondestein *Caroloftadius*. Cor. *Bodenstein*. *Arsatius* Schoffer, Cor. *Schofer*. In lit. B. *Bilibaldus* irkaimerus. Cor. *Pirkaimerus*. *Brunonis* Heidelii. Cor. *Seidelii*. In lit. C. *Caspar* Pecucerus *Budissinus*. Cor. *Peucerus*. *Catechismus* Tubicen. Cor. *Tubingensis*. In lit. D. *Disputatio* Bandensis seu Bardensis. Cor. *Badensis*. *Disputatio Lypsica inter Martinum & Erasmum* seu Emserum. Cor. *Eccium*. In lit. E. *Erasmus Orvaldus* Schrechtenfuchsius. Cor. *Schreckenfuchsius* *Evangelium* Pasalli. Cor. *Pasquilli*. In lit. F. *Franci-*

ciſcus Lambertus, & Franciſcus Lamperti. Delend. In lit. G. *Georgius* Parſerer Cor. *Beſſerer*. In lit. H. *Hermannus* Kievvick. Cor. *Riſvvick*. In lit. I. *Jacobus* Kungius. Cor. *Rungius*. *Joannes Campanus* ſive Campenſis. Delend. Joannes *Vannius*. Cor. *Valentinus*. *Juſtus* Similerus. Cor. *Simlerus*. *Juſtus* Velthius. Cor. *Velſius*. In lit. K. Knopper Deilingius. Cor. *Knipperdolling*. In lit. M. Marcus *Tilemanus Hesouſius*. Delend. Matthæus qui & Aſſartius Schoffer. Cor. *Arſatius Scofer*. Memnon *Simon*. Cor. *Menno*. Murnerus. Delend. In litt. N. Nicolaus de Pelhrzimouu. Delend. *Nicolaus* Selveccerus. Cor. *Selneccerus*. In lit. P. *Paulus Commodus* Britannus. Cor. *Bretanus*. *Petrus* Similerus. Cor. *Simlerus*. *Petrus* Pomerunus. Cor. *Pomeranus*. In lit. R. *Reformatio Eccleſiæ* Coronen. Cor. *Colonienſis*. In lit. S. Syncrama *Sueuicum*. Cor. *Syngramma*.

Quod ſuperius dixerim, me haud repugnaturum, quominus minutula iſta locum inveniant, debito utique examine præmiſſo, inter *Errata Corrige* Romanorum Indicum, id profecto hodierni *ſplendidæ* illius *Congregationis* Præfecti facilitatem Schelhornio commendabit. Eam ipſam eidem ſatis me probaſſe profiteor, dum nullam ſuperius quæſtionem movi de relata in Pauli IV. Indicem tradita ab Hadriano VI. *Inſtructione* ſuo ad Conventum Norimbergenſem ablegato. Fas enim mihi fuiſſet contendere, non libellum illum ſeorſim ſumptum, ſed ſcripta de ea Norimbergenſi Legatione, verbis iſtis Indicis deſignari, *Liber Inſcriptus, Pontificii Oratoris Legatio in Conventu Norimbergenſi*. Equidem novimus, Sarpio etiam referente, *Che fatto il Receſſo di Norimberga fu poco dopo ogni coſa ſtampata, così il Breve del Papa, come l'Iſtruzione del Noncio, le riſpoſte, e le repliche con li cento gravami furono divolgate per Germania, e di là paſſarono ad altri luoghi, & anco a Roma.* Scripta omnia iſta in Libro, *Faſciculus rerum expetendarum, & fugiendarum*, exhibentur. Horum ergo collectio ſatis commode accipi poſſet pro libello, de quo in Indice. Iterum vale.

Brixiæ die IX. *Decembris* MDCCXLVII.

AD-

ADDITAMENTUM.

Meæ sacri Indicis Præfecturæ injecta ad calcem superioris Epistolæ mentio facit, ut hocce additamento Lectorem moneam, falso in quodam folio ante aliquot dies typis excuso, cui titulus Sorbonici Doctoris ad Reverendissimum Ricchinium Sacræ Congregationis Indicis Secretarium gratiarum actio *&c. falso, inquam, in eo folio tradi, Sorbonicam Epistolam* nequicquam repugnante Eminentissimo Quirinio Congregationis Præfecto *proscriptam fuisse; nam repugnavi tantum, ne Decreto de ejus proscriptione condito per Congregationem, cui ipse non interfueram, nomen meum apponerem, ac consultius esse affirmavi, si idem Decretum Senioris ex Purpuratis Patribus, qui præsentes eidem Congregationi adfuerant, subscriptione firmaretur. Aliam præterea causam cur repugnarem, aperui Secretario Indicis, huncque rogavi, ut ipsam seniori illi Cardinali declararet, aliisque etiam, quod a se fideliter præstitum fuisse ipse mihi postea affirmavit. Eandem palam proponere Sacræ Congregationi non dubitassem, imo officii mei reputassem, si ad illam accedere per pedum ægritudinem mihi licuisset.*

Ea ægritudo, qua jamdiu vexor, si in causa fuit, ne præsentiam, quam dixi, Cœtui meæ Congregationis exhiberem, Lectorum Epistolæ hujusce meæ Anti-Schelhornianæ erit dijudicare, an partes vere egerim ejusdem Congregationis Præfecti, dum in eadem Epistola nervos omnes intendi ad diffandam calumniam, qua in summam invidiam vocare Romani Indicis Authores ausi sunt Heterodoxi nonnulli *duce Vergerio perditæ famæ, ut norunt docti viri omnes, Scriptore. Hæc addenda putavi Romæ die* III. *Augusti an.* MDCCL.

EX

EX EPISTOLA REFUTATORIA

PROFESSORIS TIGURINI

PRÆFATIO.



Rolixa humanitatis officia, quibus me proxima Autumnali tempestate, dum Rhetiam, atque Helvetiam peragrando ad Turicensem urbem istam diverti, prosequuti sunt publici Scientiarum Doctores, Tuque in primis, Clarissime Breitingere, ea cumularunt profecto literæ tuæ, quas mihi pridie Calendas hujus mensis dedisti. Scatent enim adeo copiosis benevolentiæ erga me significationibus, ut, siquidem ad eas unice mihi conciliandas longum, & arduum iter illud suscipere instituissem, satis amplum inde fructum me percepisse arbitrarer. Quoniam vero me iisdem dignari decreveris, ea potissimum de causa, quod intellexisse Te affirmes, & ex sermonibus, quos coram tecum miscui, & ex mentione, quam Tui Brixiam redux subinde feci in literis ad jucundissimum Heideggerum, me multum abesse a persuasione, ut quidquam putem decedere dignitati meæ, si in literario calle terendo, comites mihi adsciscerem inferioris, ut ipse loqueris, subsellii homines; pro certo habeas, velim, me tumorem hujusmodi, ceu vanam superstitionem, prorsus aversari. Nam hæc contra menti meæ sedet sententia, quantumvis præclara sit dignitas, quam geras, magnopere ad eam augendam, perfruendamque conducere junctam cum præstantibus ingeniis societatem, eamque consuetudinem, unde ipsis Ovidianum illud aptare valeas:

Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,
Nos via, nos junctis curva theatra locis.

Vix crederes in quantam admirationem me traxerit, quod jamdiu legi in Pauli Jovii Elogiis de Cardinale Bessarione: *Habitabat* (en illius verba) *sub Quirinali ad Sanctos Apo-*

stolos; deducebatur autem mane in Vaticanum, non exculto quidem, & numeroso, sed uno virtutis nomine decoro comitatu, quandoquidem praeclara Graecae, Latinaeque linguae lumina, peregrinorum requisita oculis, circa eum in triviis omnium digito monstrarentur. In his enim saepius conspecti sunt Trapezuntius, Gaza, Argyropylus, Plethon, Philelphus, Blondus, Leonardus, Poggius, Valla, Sipontinus, Campanus, Platina, Domitius, nullo aevo perituri.

Postquam vero officiis illis benignitas tua, ut dixi, me affecit in literarum earum exordio, transitum ex eodem facis ad declarandam operosam diligentiam, quam modo impendis in Epistolam, quam comiter statuisti mihi inscribere, qua scilicet Codicis manuscripti Turicensis Graeci, antiquissimi, Psalmorum librum argenteis literis, titulis vero auro fulgentibus, complectentis, rationem omnem, ac notitiam trades, nonnullasque tuas circa hoc antiquitatis studium opinationes aut in medium proferes, aut vindicabis. Equidem rem gratissimam mihi facies tua hac liberali communicatione; quare volens, libensque polliceor, fore, ut nullam meam operam a Te sinam desiderari, siquidem ipsam praeclaris tuis in sacras literas studiis quidquam adjumenti conferre posse existimaveris. Itaque celebratissimum Vaticanum Septuaginta-Viralis versionis Codicem, cujus jam specimen Tibi misi, pariterque Chisianum, utique & ipsum auro contra aestimandum, quem in binis ad Virum praestantissimum Alexandrum Symmachum Mazochium literis memorari a me reperisti, studiosius quam antea rursus evolvam, & utriusque lectiones, quas Tibi pernoscere necessarium fuerit, oculis tuis fideliter subjiciam. Certiorem, ut certo puto, Heideggerus Te fecit de binis Psalmorum Codicibus antiquitate, & ornatu praestantissimis, quos eidem scripsi me nactum fuisse in Monastica Sancti Galli Bibliotheca, & de diligenter in iisdem a me observato Psalmi xcv. loco, ut edíscerem, an lectio *a ligno* habenda foret germana, vel subdititia; quam disputationem haud omnino leviter pertractaveram in Epistola ad Virum Clariss. Nicolaum Freretum, ea ibidem in lucem proferens, quae certo demonstrant, Sermonis Sancti

cti Ephræm Syri authoritatem, qua maxime nitebatur doctissimi Patris Turneminii de ejus lectionis sinceritate opinatio, huic non quidem adstruendæ, sed profligandæ inservire.

Ingrederis postea ad sensus tuos de controversia, quæ nuperrime mihi fuit cum Kieslingio, exponendos, utque iidem aperte innotescant quibusvis, ad quorum manus mea hæc Epistola pervenerit, tuamet verba recitabo.

BREITINGERUS.

I. *Quantum vero ad Tuam*, INLUSTRIS PURPURATORUM PRINCEPS, *cum Cl. Kieslingio velitationem adtinet*,

Non nostrum inter Vos tantas componere lites,

& ea mibi ejus controversiæ ratio esse videtur, ut non adeo proclive sit dicere, utra potior, & victrix causa sit. Seposita enim Quæstione facti, quæ testium fide nititur; (quam vero labefactare, ac suspectam reddere, ubi e re alterius partis esse videtur, non admodum difficile est, quum nullus sit bistoricus, qui non aliquando fuerit mentitus:) omnis controversia vertitur in ea quæstione, quænam Pauli III. (quo Pontifice ea tempestate non magis commodus aut opportunus Ecclesiæ quidem Romanæ præfici potuisset,) dum hæc ageret, fuerint consilia, quis ejus in Protestantes animus aut voluntas? Quis vero non intelligit, quam ambigua res sit, de aliorum consiliis, quæ quominus pateant prudentes sedulo cavent, eademque undique conquisitis speciosis prætextibus incrustare solent, judicium ferre? Ceterum extra controversiam positum est Pauli III. tanquam Pontificis Romani, animum a Protestantium partibus & commodis fuisse alienissimum, & quoniam illorum doctrina non potuit non Ipsi esse invisa & exosa, manifestum est, omnia ejus consilia, quæ de unione & emendatione Ecclesiæ agitabat, non alio spectasse, quam ut Protestantes, tanquam transfugas, quibuscunque fieri posset artibus, aut si artes minus procederent, vi aperta, in potestatem suam redigeret, atque etiam efficeret, ut relictis partibus & doctrina, quam fuerant amplexi, colla jugo & Hierarchiæ rursus submitterent Romanæ. Hæc vero ubi in caussa Religionis valent consilia, non locum habere possunt libera de Veritate colloquia, non exspectanda est corruptionis emendatio, sed dissimulatio, non errantium conversio, sed oppressio. Et Tu quidem, EMINENTISSIME PRÆSUL, *pulchre atque invicte doces, Paulum III. P. R. rem omnem serio agere videri voluisse; sed quandoquidem non repugnat, immo admodum probabile est, ejus animum ab his quibus*

 usus

usus est prætextibus alienissimum longe alio spectasse, quam quidem præ se ferebat; frustra & tantum non, quod præfiscine dixerim, inanis mihi videtur illa vestra disceptatio, nec finem, nec triumphos habitura. Perinde, ac si quæstio moveretur, utrum auceps dum fistula dulce canit, serio rem agere, an potius scenæ servire videatur? Hæc de controversiæ statu in genere dicta sunto.

ANIMADVERSIONES.

I. Quandoquidem vero, Vir Clarissime, galeatæ Epistolæ nomen Animadversionibus meis in Kieslingium contortis infra tribuisti, accipe quo pacto eæ ipsæ, quin nova arma capescam, adversus tuos hosce ictus tutamen mihi donent habere. Conveniunt ea tua dicta cum Kieslingianis a me in hunc modum refutatis in Animadvers. ad n. V. Epistolæ suæ. „ Quænam, amabo, ad perficiendum sanctum opus, de „ quo agitur, magis idonea adhiberi poterant instrumenta, „ quam homines &c. Igitur ex tantorum hominum solertia, „ potius quam *ex Protestantium voto*, instituenda erat *de-* „ *formatæ Ecclesiæ emendatio*. Illorum erat, potius quam „ Protestantium, internoscere quid fieri, quid tentari opor- „ teret, *ut Ecclesia depositis suis sordibus, pristinam, quam* „ *Christus suæ Sponsæ dedit, reciperet formam*; eorundem „ eniti, *ne stupendi, quos in hoc negotio Paulus III. subiit,* „ *labores* inaniter cederent: ipsorum denique,

„ *Scire potestates herbarum, usumque medendi*.

Dum autem contendis, Breitingere, seponendam esse Quæstionem facti, quæ testium fide nititur, propterea quod hanc labefactare, non admodum difficile sit, quum nullus sit historicus, qui non aliquando fuerit mentitus, video Te minime animadvertere ad facti genus illud, quod ego exponendum suscepi. Istud enim (audias me, precor) non unius, aut alterius historici fide nititur, sed niti ipsum comprobavi innumeris Epistolis a Pauli III. Pontificatus exordio usque ad ejus exitum exaratis, nec iis quidem semel in anno, sed, ut ita dicam, diebus singulis, per homines ad Christianam Rempublicam moderandam ab eodem Pontifice delectos, sanctissimos, sapientissimosque, mentemque suam, & reconditos quosvis sensus sibi invicem absque ullo fuco pa-

patefacientes, quippe qui nullam omnino candoris sui poenam luendam sibi fore vereri possent, quandoquidem nec per umbram suspicarentur, suas illas Epistolas posse evulgari. Quæstio igitur facti, quæ hujusmodi testium fide nititur, fundamentum habet adeo fixum, immotumque, ut nulla vi, nulla solertia, nulla fraude seu convelli, seu debilitari valeat.

BREITINGERUS.

II. *Quoniam vero* Tu, PATRUM PURPURATORUM AMPLISSIME, *ita jubes atque etiam ultro eam facultatem indulges, ut quæ in legenda hac Tua Epistola galeata mibi in mentem venerint, Helvetica* παρρησίᾳ *in sinum Tuum effundam, age, paucas quasdam & subitaneas strictura tumultuarie, ut se se primum mibi obtulerint, adtexam. Præclare enim Tu intelligit, non hanc amicitiæ legem esse, ut libertas judiciis adimatur: qui enim in omnibus cum amico sentit, non tam assentitur mea opinione, quam assentatur.*

ANIMADVERSIO.

II. Stricturas, quas adtexes, exilientes scilicet ex eruditionis tuæ chalybe (ferventi quidem, non tamen vulnifico) scintillas ne omnino verear, imo vero ut iisdem intrepidus occurram, facit ea ipsa galea, qua communitam Epistola mea se Tibi præbuit. Utar igitur ad easdem extinguendas, seu necandas, ut superius feci, ejusdem maxime Epistolæ verbis, quæ propterea stricturis illis tuis, quas recitabo, subjungam. Harum prima hæc est.

BREITINGERUS.

III. *Ad §. 1. in Animadv. miratus sum Te Imprudentiam exprobrare Professori Lipsiensi, quod eam de studio Tuo in colligendis etiam nostræ Partis Libris suspicionem animo fovit, quasi id abs Te fieret eo consilio, ut redderes Italis tuis facultatem, qua longo tempore caruerunt, ut deinceps possint de secus sentientium Fide, ac doctrina ex ipsorum Libris per se statuere. Hoc ipsum enim, meo judicio, in examine veritatis primum est, ut æqui simus, neque etiam adversæ Parti alia, quam quæ profitetur, dogmata imputemus, tantum ut ejus sententiis invidiam conciliemus.*

ANI-

Animadversio.

III. Imprudentia, quam Lipſienſi Profeſſori exprobravi, ea tantum eſt, qua mihi gratulari non dubitavit auctam Sectariorum libris Bibliothecam meam, perinde ac ſi idonei hi forent, æſtum Catholicarum partium tuendarum, quo ferveo, temperare. Contrarium prorſus uſuvenire, allatis exemplis demonſtravi. Quare his verbis Profeſſorem illum affari incœpi in Animadverſ. quam citas: „ Vereor magnopere, Kieslingi &c.

Breitingerus.

IV. *Ad §. IV. Nimis liberalis eſt Cl. Kieslingius, quando aſſeverat, præter ea, quæ Sleidanus, Thuanus, & Sarpius nobis adſervarunt documenta Religionis emendandæ negotio lucem præferentia, pauca ad nos perveniſſe. Neque vero intelligo, quicquam meritis Tuis decedere, etiamſi in contrarium magnum illorum præterea numerum hinc inde in Tabulariis ſupereſſe contendam. Unicum profecto Eccleſiæ noſtræ Carolinæ Archivum infinita prope documenta, maximam partem ἀνέκδοτα, conſervat, quæ illuſtrandæ Reformationis Hiſtoriæ, per Angliam, Galliam, Poloniam, Hungariam &c. maximam lucem affundere poſſent. Modo labori faber non deeſſet, certe non deeſſet fabro labor. Huic rei fidem facit celeberr. Henricus Hottingerus in Bibliotheca Theologica paſſim, & ejus Viri Hiſtoria Eccl. N. T. IX. Vol. in 8. locuples promtuarium eſt hujuſmodi documenta largiter ſubminiſtrans.*

Animadversio.

IV. Reponam ego, nimis liberalem fuiſſe Fueslinum veſtrum, dum ex Tabulariis iſtis Centuriam Epiſtolarum Helveticarum publicavit. Itaque de ea ad §. 1. ita ſcripſi: „ Inter Epiſtolas illas, ſeu ab Eccleſiæ Helveticæ Reformatoribus, ſeu ad eos ſcriptas, & Epiſtolas, quæ in meis illis Voluminibus colliguntur, comparationem inſtitui, &c.

Breitingerus.

V. *Ad §. V. Non quæritur, quinam Viri, quanta Sapientia & auctoritate præditi, ad Conſilium de emendanda Eccleſia a Paulo III. fuerint delecti & adhibiti; ſed hoc quæritur, utrum illud Conſilium ad ea potiſſimum ſpectaverit, quæ medicam manum maxime poſtulare videbantur; ſcilicet ut Libertas chriſtiana Ec-*

Ecclesiæ restitueretur, & doctrina ad normam Sacræ Scriptuæ, & ad Apostolicam simplicitatem castigata reduceretur.

ANIMADVERSIO.

V. Quæramus, velim, cur Majores vestri, *& pietatis si qua forent, & doctrinæ opinione commendati a nostrorum consortio se se eliminandi consilium ceperint, quum contra fuissent Christiani hominis partes, egregios horum conatus consiliis, operisque adjuvare*. Id ego quæsivi a Kieslingio in eadem Animadversione, postquam statim antea præmisissem, quæ sequuntur: „ Paulo Farnesio Pontificatum gerente, „ maxima cum laude a Catholicis cujusvis Ordinis Viris la„ boratum fuisse constat &c.

Insuper eundem Kieslingium de nostrorum Procerum Consilio in emendanda Ecclesia paria ferme, ac Tua sunt, Breitingere, n. XIII. scribentem, nimirum, *Quos articulos in hoc, de quo agimus, consessu prolatos si quis ad emendationem doctrinæ referre vellet, idem ageret, ac si mandata Principum ad statum civilem spectantia huc trahere velit*, ita represi: „ Desipiet utique quisque &c.

Hæc ego adversus Kieslingium exarabam. Venio nunc ad Te, Breitingere. Igitur, quæ tua est argumentandi ratio, *Non quæritur, quinam Viri, quanta sapientia, & auctoritate præditi ad consilium de emendanda Ecclesia a Paulo III. fuerint delecti, & adhibiti*. At quæram, cur præterea non addideris, extra controversiam esse, Viros illos omni sapientia, prudentia omni, & vel ipso communi hominum sensu caruisse, siquidem eorundem de unione, & reformatione Ecclesiæ consilia abnormiter heu quantum! a rectæ rationis semita sentis deflexisse? Cur etiam non addideris, mentis stuporem iisdem adscribendum? quandoquidem medicam manum adhibere reformidantes in quibusdam Religionis capitibus, puta in Sanctorum invocatione, in Reliquiarum, & Imaginum cultu, in precibus pro defunctis, in Missæ sacrificio, atque aliis hujusmodi, quæ reformata nihil propemodum detrimenti seu medicis ipsis, seu ægrorum multitudini allatura forent, contra vero, dum actum fuit de

de Sacerdotûm vita, & moribus, de tota Antiſtitum, atque ipſius Pontificis Maximi poteſtate, & auctoritate, non pavorem dumtaxat omnem depoſuiſſe comperiuntur, ſed ferociter, *Ure*, *&* *ſeca*, conclamaſſe. Quid aliud, per Deum immortalem! niſi acerbam ſeveritatem, ſævitiem pene dixerim, in Romanæ Curiæ depravationes ſpirant capita, quotquot Novem-Viralis Conſultationis artifices Paulo III. cujus juſſu eandem condiderant, proponere non ſunt veriti? Nonne præterea (ut de aliis taceam) Senatoria libertate refertæ ſunt binæ Cardinalis Contareni literæ ad Juriſperitos confutandos, qui *radices veræ doctrinæ Chriſtianæ*, *&* *Philoſophicæ* ignorantes, licere Pontifici cenſebant, *ut pro arbitrio leges conſtituat*, *leges abroget*, *in legibus diſpenſet*? Legeſis, precor, Breitingere, earum literarum maximam partem, quam in Epiſtola ad Kieslingium die IV. Aprilis hujuſce anni a me data, typiſque impreſſa, recitavi; ac judicium facias, num homines, qui licenter adeo, imo audacter Romanæ Curiæ vitia caſtigabant, Pontificiſque auribus abſque ullo involucro audebant ea monita ingerere, quæ eaſdem haud leviter offendere valerent, num homines, inquam, iſti eos Ritus, quos jam jam indicavi, variare juxta Proteſtantium votum, & abſque ullo ſuorum incommodo, trepidaſſent. Trepidarunt autem, imo pro iiſdem Ritibus retinendis, ceu pro aris, & focis, pugnarunt. Haud ergo a Te promeruerunt, ut eorundem ſapientiam, & auctoritatem ad quæſtionem, de qua agitur, nihil facere affirmares, ſed omnino libere affirmandum a Te erat, ingenio nimis quam hebeti eoſdem fuiſſe, qui ſcilicet Eccleſiam emendantes acumine illo ſe deſtitutos oſtenderint, quo abundabant eo ipſo tempore Sectarum veſtrarum magiſtri, quodque effecit, ut cœlibatu, votis Monaſticis, jejuniis, aliiſque hujuſmodi nexibus exſoluti, commoda ſua neglexiſſe inſimulari non poſſent.

BREITINGERUS.

VI. *Quæ Kieslingius §. VI. Paulo III. exprobrat, quod tres ſuos nepotes adhuc infantes purpura & opibus auxerit, quo facto magis Familiæ ſuæ commoda ac ſplendorem, quam vero Eccle-*

clesiæ utilitatem spectaverit : ea ego a caussa Religionis & ab ejus Pontificis emendandæ Ecclesiæ studio sejungenda esse censeo; quanquam mihi non persuadeatur, Eum hac in re majorem virtutis, cujus spes adhuc in herba fuerat, quam sanguinis rationem habuisse : Et malim cum Pallavicino hoc factum ita excusare, ut affirmem, Eum in hac caussa humani quid passum esse, atque longe extra & supra humanæ naturæ modum positum videri hæc studia, hunc affectum, hanc στοργὴν penitus exuere. Parcius ista Viris, si quidem objicienda, memento, Iliacos intra muros peccatur & extra.

ANIMADVERSIO.

VI. Postquam Pallavicino adhæsissem affirmanti immortales laudes deberi Paulo III. ob cooptatos in Cardinalium Ordinem Viros præstantissimæ doctrinæ, pietatis, atque prudentiæ, quos ex omnibus Europæ partibus delegit, ac præsertim *Un Contarino*, *un Polo*, *un Sadoleto*, *un Bembo*, nonne ipsemet Pallavicinus me adegit, ut hominum adeo excellentium judicio de adscriptis etiam eidem Ordini junioribus Pauli III. nepotibus subscriberem? Quare in Animadversione ad n. VI. Epist. Kiesl. hæc a me exscripta reperies ex Præfat. libelli de Vita Cardinalis Contareni. „ *Che se fra questi &c.*

BREITINGERUS.

VII. *Ad* §. *IX. Quoad Ecclesia Romana in illis Doctrinæ capitibus, quæ Cl. Kieslingius h. l. recenset, non agnoscit, se a Doctrina Apostolica defecisse, fieri non potest, ut vel Paulus III, vel alius P. R. E. unquam de ea emendanda cogitasse dici possit. Itaque frustra est omnis disputatio de hujus Summi Pontificis consiliis, utrum seria fuerint, an tantum scenæ serviendæ instructa : neque vero in hac caussa quicquam vel Flaminii, vel ullius hominis authoritas valet.*

ANIMADVERSIO.

VII. Non video, Breitingere, qua ratione dici a Te possit, nihil valere M. Antonii Flaminii (ut de hoc uno tantum loquar) authoritatem ad tutanda Catholicæ Ecclesiæ dogmata. Kieslingium enim Epistolæ suæ n. IX. doctrinæ Catholicæ corpus misere in Romana Ecclesia deformatum ob-

jicientem, his verbis excepi: „ Horrenda ergo omnia ista, „ Kieslingi, ac digna proinde, quibus Virgilii Maronis il- „ lud aptetur,

„ *Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla*
„ *Pestis, & ira Deum Stygiis se se extulit undis.*

„ At quid facias? Ea omnia in *Pontificiorum* Ecclesiis do- „ minabantur, dum rerum inter ipsos potiretur Pontifex il- „ le, quem M. Antonius Flaminius suas eidem lucubratio- „ nes in Psalmos superius collaudatas inscribens, his verbis „ affatus fuisse comperitur &c.

BREITINGERUS.

VIII. *Ad §. XIX. in Animadv. Nescio an recte caussæ Tuæ consulueris, quod factum illud de submissis a Paulo III. ad exstirpandos Protestantes militaribus copiis, in hoc Pontifice non tantum laudas, sed ita laudas, ut non dubites affirmare, Illum hoc facto optime de Republica christiana fuisse promeritum, & nisi ita statuisset, fuisse quod in egregio laudum cumulo quisquam desideraret. Si hoc jus est Pontifici, atque ea insuper animo ejus insedit opinio, quod Protestantes ipsis Mahumedanis deteriores sint, ut qui animas, ut hi corpora, captivas ducant, atque in perniciem trahant; quorsum, quæso, pertinet instituta illa disceptatio de Pauli III. animo in suscipiendis de unione & reformatione Ecclesiæ consiliis? cui non patere debent, atque esse penitus perspectæ horum consiliorum rationes? Quam seria fuerint hujus Pontificis consilia de emendanda Ecclesia, & de convocando deinceps in hunc finem libero Concilio, testem habemus ingenuum, & omni exceptione majorem Romulum Amasæum in ea Oratione, quam in funere hujus Pontificis dixit p. 37. ubi agit de Concilio indicto, atque ejus fines explicat, hunc in modum fatur:* Non erant profecto in dubium, ac in novam controversiam denuo revocanda, quæ de omni religionis jure ac forma, deque iis, quibus religio ipsa contineretur, quæstionibus, de Sacerdotum vita & moribus, de tota Antistitum, atque ipsius Pontificis M. potestate, atque autoritate jam constituta fuissent.

ANIMADVERSIO.

VIII. Quod ipse Te ignorare profiteris, compertum omnibus facient tradita a me in ea ipsa Animadversione, quorum initium ita se habet. „ Frænandam arbitror ego, omni-

„ omnino fuisse, quoquo modo posset, Novatorum immen-
„ sam licentiam, qua susdeque humana, divinaque omnia
„ miscebantur. Eam scilicet, quam amarissime deflens Car-
„ dinalis Sadoletus in Orat. ad Princ. Germ. *Contigit* (in-
„ quit) *proximis his, & superioribus annis, ut ea de vo-
„ bis, Germani, videremus, quæ videre sane rati nun-
„ quam essemus &c.* „ Hæc omnia eo magis miror, Breitingere, a Te reprobari posse, quo clarius ex Helveticæ Historiæ libris, quorum lectione nuperum iter a me in istis partibus habitum oblectavi, mihi innotuit, Anabaptistarum factiones a Turicensi magistratu vestro armis repressas fuisse ita aspere, ne dicam truculenter, ut nihil illæ dirius in aliis Germaniæ regionibus fuerint expertæ. Licuit olim, licetque hac etiam tempestate Sectariis quibusvis, in Italia, imo in ipsa Roma urbe, lares figere, dummodo adversus publicam tranquillitatem nihil agant, nihil moliantur. Protestantes vero, quos consiliis junctis cum Regibus Paulus III. armis, postquam leniora remedia nihil profecissent, insectandos statuit, ad humana, divinaque omnia susdeque vertenda, conspirasse, certissimis documentis comprobatur.

BREITINGERUS.

IX. *Sed nolo his diutius inhærere, ne* TIBI, REVERENDISSIME DOMINE, *molestus sim: ego enim ita semper statui, non posse ab imprudentiæ culpa absolvi illum, quisquis cum Tuæ dignitatis Viro, qui partem magnam Sacri illius ac summi Ecclesiæ Romanæ Consilii, in quo illius Ecclesiæ Cardo vertitur, constituit, de Religionis caussa disceptationem sua sponte suscipiat: neque proinde unquam huc ausus essem descendere, nisi a Te humanissime fuissem invitatus atque provocatus. Hæc ergo sufficiant ad probandum Tibi meum obsequium.*

ANIMADVERSIO.

IX. Ea quoque satis, Breitingere, fuisse dicam ad probandum, in ratione ad emendandam Ecclesiam inita a Pauli III. Consiliariis non horum sapientiam, non doctrinam, non pietatem, aliasque egregias dotes, quibus vestri quoque homines testimonium perhibuerunt, sed, Te judice, in-

credibilem ſtultitiam emicuiſſe; quibus proinde Plautinum dictum aptetur, *Multos vidi delirare* Conſultores, *ſed qui magis quam iſti delirarent, vidi neminem*. Ita quidem ex tua ſententia; verum ex mea ii delirarunt quammaxime, qui in emendatione ſtatuenda Thracium hominem illum imitari ſtatuerunt, de quo, ex Herode Attico, ita Gellius lib. XIX. Cap. XII. *Homo Thracius, ex ultima Barbaria, ruris colendi inſolens, cum in terras cultiores humanioris vitæ cupidine commigraſſet, fundum mercatus eſt, olea atque vite conſitum, qui, quia nihil admodum ſuper vite aut arbore colenda ſciret, videt forte vicinum, rubos late atque alte obortos excidentem, fraxinos ad ſummum prope verticem deputantem, ſoboles vitium e radicibus caudicum ſuper terram fuſas revellentem, ſtolones in pomis aut in oleis proceros atque decerptos amputantem. Acceditque prope, & cur tantam ligni atque frondium cædem faceret, percontatus eſt. Et vicinus ita reſpondit, ut ager, inquit, mundus puruſque fiat, ejuſque arbor atque vitis fœcundior. Diſcedit ille a vicino, gratias agens & lætus, tanquam adeptus rei ruſticæ diſciplinam. Tum falcem ibi ac ſecurim capit, atque ibi homo miſer imperitus vites ſuas ſibi omnes & oleas detruncat: comaſque arborum lætiſſimas, uberrimoſque vitium palmites decidit: & fruteta atque virgulta ſimul omnia, pomis frugibuſque gignendis felicia, cum ſentibus, & rubis purificandi agri gratia convellit, mala mercede doctus audaciam, fiduciamque peccandi imitatione falſa eruditus*. Fabulam hanc ipſam ad rem tuam facere exiſtimaſti in libello, De Principiis in examinanda, & definienda Religionis eſſentia, quem mihi nuper dono miſiſti, quemque optima fruge refertum (pauculis quibuſdam, de quibus admonitum feci Heideggerum, exceptis) ſum nactus; quare ea fabula enarrata nuperum Scriptorem Gallum, adverſus quem amica in eo libello diſputatio a Te ſuſcipitur, his verbis taxaſti: *Cum purgare vellet Chriſtianæ Religionis latifundia, falce temere, & inclementer impreſſa ad vivum omnia reſecaſſe nonnullis videri poſſet*. Sinas, Breitingere, his ipſis tuis verbis me nunc uti ad reprobandam Magiſtrorum veſtrorum in ad-

adhibenda falce pro resecandis Ecclesiæ vitiis temeritatem, atque inclementiam. Eos profecto oportebat a sanctissimis, sapientissimisque agricolis, cujusmodi Contarenus, Sadoletus, & Polus, atque alii horum collegæ, disciplinam rei rusticæ ediscere, aut saltem iis sociari, ut ager Ecclesiæ mundus, puriorque fieret, ejusque arbor, atque vitis fæcundior. Præ Viris illis omni Christiana virtute præditis, quid aliud Zuinglius vester (ignoscito mihi ita loquenti) nisi *homo Thracius*? Hoc ipsum tacitus cogitabam, dum nuperrime agrum vestrum Tigurinum equitando peragrarem, atque ob oculos haberem locum illum, in quo vester ille insignis Propheta inita cum Catholicis pugna misere occubuit; pariterque dum in San-Gallensi Cœnobio degens plura inaudirem de illius hominis, in Toggemburgensi Comitatu natales sortiti, fortuna.

Hæc omnia ad Te, Vir Clarissime, exaraveram, imo prælo jam subjeceram, dum Christiani Natalis Solemnitas instaret. Accidit vero, ut ipso die, qui eandem præcedit, perlatæ ad me fuerint prima noctis hora Kieslingii literæ datæ XII. Decembris, una cum ejusdem lucubratione typis excusa, mihique inscripta, qua *de Gestis Paulli III. cum Henrico VIII. Angliæ Rege agitur, & ejus emendatio Anglicanæ Ecclesiæ suscepta defenditur*. Eandem avide statim evolvi, nec in me fuit, ut cubitum irem, quin prius illius, etsi 88. paginis constaret, lectionem absolverem, & quin etiam animo meo constituerem refellendi Adversarii rationem. Cepi tunc ergo consilium, quod mihi tempus, resque, locusque dederunt, nimirum huic ipsi Epistolæ ea inserendi, quæ Kieslingianæ illi reponenda censerem; tempus, inquam, nam tres festivi dies Solemnitatem illam confestim subsequentes typographicis operis cessationem præscribebant; locus etiam, quem scilicet Epistola ista ad umbilicum nondum perducta faciebat; ac demum res ipsa, quod Kieslingius adesset ipsemet, ut causam, quam Tu quadantenus defendendam susceperas, suis lacertis animose propugnaret. Itaque quidquid intervalli festivo eo triduo a sacri mei muneris occupationibus mihi contingeret, impendendum statui in responsione illa componenda. Id autem reapse perfeci, ro-

rogavique in antecessum Kieslingium, ne grave illi futurum esset, ex mea hac Epistola, quæ ad Scriptionem illam suam facient depromere, perinde ac si sibi ipsi exarata fuissent. Ea vero dum depromet, intelliget ille, ut spero, Cathedram sacrarum literarum, quam in Lipsiensi Athenæo obtinet, historicarum nunc indaginum fructus ex semetipsa exorientes conspicatam, obstupescere, ceu ad alienæ arboris surculos, mirarique proinde *suas frondes*, *& non sua poma*.

In suæ illius Commentationis exordio satagit Kieslingius statim fidem elevare trium Scriptorum, quorum testimonia in mea ad ipsum Epistola recitaveram, scilicet Joannis Casæ, Lazari Bonamici, & Petri Aretini, neque animadvertit, non eos tantum, sed testium phalangem ad prædicandas Pauli III. laudes conspirasse. Ita enim p. IV. illius Epistolæ ad ipsum scripsi. „ Laudes autem Pauli III. quas „ mentis tuæ aciem effugere haudquaquam velim, licet li- „ belli illius mei singulæ fere paginæ recenseant, attamen „ satis esse putem, si in duobus, aut tribus dumtaxat te- „ stimoniis ibidem recitatis se se illæ nunc oculis tuis con- „ spiciendas exhibeant, in Scriptis videlicet Joannis Casæ, „ Lazari Bonamici, Petri Aretini, quos Authores, & præ- „ sertim postremo loco nominatum, nemo affirmaverit pro- „ pensioris ingenii fuisse ad blandiendum, sive assentandum „ Romanæ Curiæ, summisque Pontificibus. „ Præterea ignorasse prorsus videtur, quinam fuerint Triumviri illi, dum eos vocat *Curiæ Romanæ lumina*, *Viros in Romana Ecclesia celeberrimos*, *Romanæ Sedis Proceres & filios*, ac proinde subdit, *Quid mirum in tantas Pauli Tertii sui optimi*, *& indulgentissimi Patris prorupisse laudes? Etenim multis a Paulo III. ornati beneficiis & honoribus*, *ingratæ igitur mentis labem sibi adspersissent*, *si horum beneficiorum immemores extitissent*. Nec Bonamicus certe, nec Aretinus somniarunt unquam, fore, ut aliquis post bina sæcula exurgeret, qui ipsos inter Romanæ Ecclesiæ lumina, inter Romanæ Sedis Proceres recenseret, atque inter illos, quos Paulus III beneficiis cumulaverat. Casa etiam, licet auctus a Paulo III. Archi-

epi-

episcopatu Beneventano, & Veneta Legatione, multum tamen absfuit, ut laborum suorum ab eo Pontifice amplam se recepisse mercedem arbitraretur, adeo ut ejusdem morte accepta, de ea ita scripsisse ad amicum comperiatur in Epistola, quæ postrema est inter editas in Veneta hujus Operum Collectione T. 3. p. 285. *V. S. può esser certa, che la morte di N. S. mi è doluta assai, come di quel Prencipe, che io ho servito con tanta affettione, e divotione, quanta capisce il mio animo. Ma sia anco certa, che io non ho dispiacere alcuno per mio conto particolare, anzi mi par quasi aver guadagnato la libertà, & il potermi scusar col mondo, se io non gli vorrò più credere cosa che mi prometta.* Et paulo post indicata Decameronis Boccacii Narratione xv. libere admodum de nummis a se, ut Romanæ Curiæ serviret, projectis, loquitur, *Io ho gittato via i miei* (danari) *qui tanti anni, e sommi rimasto pur quasi dove colui cadde*. Fœde igitur Kieslingius hallucinatus est, dum in iis Triumviris personam inspexit, quam eosdem gessisse nemo unquam, nisi in eorum temporum historia omnino hospes, comminisci valuisset. Quis autem crederet, unum idoneum fuisse, qui eandem illis accommodaret Adversarium illum meum, vel eo loco, quo de testium fide examinanda hæc censoria auctoritate præscribit? *Fidem testium in re historica examinaturi, variæ nobis observandæ erunt notæ, ex quibus de veritate, & auctoritate testimoniorum est statuendum. In fide historica in fronte quasi requiritur, ut solliciti simus, quæ sit testis historici conditio, quo videlicet tempore, in qua Ecclesia, in qua gente, quo loco, & ex qua conditione vixerit.* Dispeream, si quidquam pressius a Kieslingio scribi potuisset ad damnandam incuriam, qua examen illud in negotio, de quo est modo sermo, omnimodis neglexit. Casam, Bonamicum, Aretinum per summam oscitantiam pro illis Proceribus habuisse se ostendit, qui ob se ad Cardinalatum evectos ad immortales laudes Paulo III. tribuendas liberaliter descenderint; & de quibus hæc ego ejusdem Epistolæ p. vii. „ Age „ jam, Kieslingi, nunc in medium profer ad elevandam „ horum testium fidem, detrahendumque nominibus sive

Pau-

„ Pauli III. sive Procerum illorum, quos Pontifex iste Christianæ Reipublicæ administrandæ præfecit, idonea reputaveris. Fare, quodnam sit vituperationis genus, quam in eosdem Viros ad amplissimum primo Ordinem evocatos, adhibitosque postea ad graviora quæque Catholicæ partis negotia pertractanda, contorqueas. Dic, num in illis seu Ecclesiasticarum rerum peritiam, seu probitatem, seu studium emendationis, de qua agitur, assequendæ, seu animi ab omni ad privata commoda respectu defæcati candorem ipse desideres? „ Audi modo quid subjungat Kiesslingius, *Quid enim, quæso, Paulli tertii Pontificis prudentia in creandis purpurati Collegii Romani viris oppido doctis, piis, & claris facit ad demonstrandam laudatissimi Pontificis sacrorum emendationem, de qua lis est, haud felicibus cum auspiciis præstitam?* Facit quammaxime, repono; nam alias dicendus foret, non Viros doctos, pios, & claros, Paulus III. ad opus illud adhibuisse, sed Consultores ita delirantes, ut nemo magis, quod ipsum superius a me tradita evicerunt.

Æque ac ex testimoniis jam jam laudatis elabitur Kiesslingius, ceu (fas mihi sit hoc verbum usurpare) anguilla, & quidem *longæ cognata colubræ*, ex duabus Epistolis Contareni, quarum, secundæ præsertim, magnam partem produxi p. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. postquam hæc præmisissem: „ At quoniam postremum hoc, candor scilicet, a vestris hominibus passim in invidiam vocari consuevit, eum ipsum egregiam fuisse eorundem Procerum laudem, placet hoc loco, præter innumera ejusdem rei testimonia in Voluminibus Reginaldi Poli Epistolarum Editionis seu jam recitata, seu recitanda, luce meridiana clarius demonstrare ex nonnullis Cardinalis Contareni sententiis. „ Eæ sententiæ obviæ sunt in binis hujus Cardinalis literis, quas in lucem protulit Thomas de Roccaberti in T. XIII. Biblioth. Pontif. Innocentio XII. dicatæ, & Romanis typis eo Regnante vulgatæ. Earum autem recitationem his verbis conclusi: „ Accepisti, Kieslingi, quemadmodum absque ullo „ fuco Pontificiis auribus ingerere vel ea monita, quæ parum

„ rum iisdem arridere possent, queis nempe supremæ Ca-
„ thedræ arbitrium arctioribus cancellis circumscriberetur,
„ in more haberent Primates Ecclesiæ Romanæ, iique præ-
„ sertim, quos Paulus III. rectores, magistrosque assidere
„ jusserat gubernaculo ejusdem Ecclesiæ, dum maximis ista
„ fluctibus agitaretur „. Quid ad ista modo Kieslingius? Animi candorem cæteris suis virtutibus Contarenum sociasse ingenue confessus est; at, perinde ac si quidpiam aliud, quam eum candorem iis literis allatis demonstrare instituissem, transitum statim facit ad tria argumenta delibanda, quæ nihil prorsus ad rem, de qua agebatur, spectarent. Verbosius primo expendit Canonem VI. Concilii Nicæni, quo Suburbicariarum tantum Ecclesiarum sollicitudinem Romano Antistiti adjudicari contendit; deinde Ecclesiam Romanam insimulat, quod in condendis religiosi cultus institutis a tramite rationis, & revelationis turpiter deflexerit; tandem, unde ortum duxerit liber de Captivitate Babylonica a Luthero conscriptus, exponit, illumque miris elogiis extollit. Mihi tempus non vacat subsequi Adversarium per tortuosas adeo semitas incedentem, quæstionis nostræ themate posthabito.

Postquam Epistolæ suæ septemdecim paginas, ea qua dixi ratione, Kieslingius conscripsisset, decimam octavam ab his verbis exorditur: *Habes igitur*, EMINENTISSIME PATER, *meam de his Pauli III. præconibus mentem stricto calamo allatam. Operæ vero pretium erit, alterum nunc concertationis nostræ caput aggredi, quod res Henricum VIII. Angliæ Regem inter, & Paullum III. Pontificem gestas potissimum attingit. Magnopere deprædicas Paulli III. prudentiam in re cum immorigero Sedis Romanæ filio agenda adhibitam, & eam in toto capite tertio* (libri de Gestis Paulli III.) *multis nominibus confirmas*. Ingreditur autem eam concertationem, mentem suam aperiens de susceptis ab Henrico ad procurandam Anglicanæ Ecclesiæ emendationem consiliis, ac ingenue primo loco fatetur, ipsum nec Pontificiis, nec Lutheranis prorsus addictum, Proteoque, & Vertumno mutabiliorem extitisse. Postea initio p. 21. *Alea*

nunc jacta (inquit) *primam tractationis partem aggrediar*. Verum enimvero ita aggreditur, ut statim sublestæ fidei insimulari a me posse dignoscatur. Exprobrans ille siquidem mihi, quod male me habuerit Thuani sententia de Henrici VIII. ingenio, quod ejuscemodi fuisse fingatur, *ut eum, si æquiores & prudentiores Pontifices nactus fuisset, sponte se subjecturum ipsorum potestati fuisse, appareret ... & in quo, si in voluptates solutior non fuisset, nihil merito desiderare posses*; exprobrans, inquam Kieslingius, me blanda ista de Henrici ingenio Thuani dicta concoquere non posse, plura huc facientia ex meis libris testimonia recitat, at palmarium prætermittit, quod in Decadis quartæ Epistolarum mearum Latinarum Synopsi dono meo ab eodem utique accepta, antequam Epistolam suam publicaret, occurrit. Exstat illud in Epistola Parisiensibus bonarum literarum Academicis inscripta, nam istos ibi his verbis exoravi: „ Integerrimum, „ religiosissimumque Henrici morum testem potius (*quam* „ *Thuanum*) audite Jacobum Bossuetum, Meldensem Epi„ scopum, qui in lib. VII. Operis *Histoire des Variations* „ *&c.* in ejusdem gestis nil magis agnoscit, quam *le com*„ *ble de la cruauté & de la tyrannie*. Audite vel ipsum „ Anglicani Schismatis præconem Gilbertum Burnetium, „ qui tamen de Henrico ita scribere non dubitavit: *Il don*„ *na l'exemple pernicieux de fouler aux pieds la justice, &* „ *d'opprimer l'innocence la plus manifeste*; idemque post gra„ vissima alia ejusdem scelera detestata, his verbis elogium „ concludit, *Ce sont là des taches si odieuses, qu'un honne*„ *te homme ne sçauroit l'en excuser*. „ Testimonia ista, quæ in Epistola secunda meæ illius Decadis quartæ, ut dixi, allegantur, nisi Kieslingius dissimulasset, nulla ipsi patebat occasio me hisce verbis compellandi: *Qua fide igitur, & auctoritatis firmamento hæc de Henrico scribere possis, non intelligo, Tyrannidis, & crudelitatis metam attigisse Regem illum, nemo in dubium revocaverit*. Valeat itaque Kieslingius, dum pag. 23. 24. 25. 26. 27. ita de Henrici gestis disserit, ut sugillata a Pontificiis fuisse tradat ea tantum de causa, *quia Pontificem sede sua in Anglia deturbavit, de-*

je-

jecit, *expulit*. Ut illud re vera in dubium revocari non posse quisquis intelligat, recitabo integrum Burnetii testimonium, quemadmodum in Animadv. ad n. XII. in Epist. Schelhor. T. I. Epistolar. Card. Poli illud attuli: *On se persuade, qu' un si méchant homme & un prince si cruel n'a pû rien faire de bon. Mon dessein n'est, ny de defendre, ny de diminuër ses fautes. Il fit des depénses excessives, qui l'obligérent a fouler ses Peuples; il extorqua du Parlement, par deux fois, un aquit de toutes ses dettes; il falsifia sa monnoye; & commit bien d'autres actions indignes d'un Roy. Son esprit chaud & emporté le rendit sévère & cruel. Il fit condamner a mort un bon nombre des Sujets, pour avoir nié sa primauté Ecclesiastique, entre-autres, Fischer & Morus, dont le premier etoit fort vieux & l'autre pouvoit passer pour l'honneur de l'Angletere, soit en probité, ou en sçavoir. Il viola, sous un prétexte léger, l'amnistie qu'il avoit donné aux rebelles: car sous ombre d'une nouvelle revolte, il en fit condamner plusieurs, sans qu'on pût prouver qu'ils eussent trempé dans ces nouveaux troubles. Il usa d'une rigueur excessive contre la maison de Polus; il traita cruelement Cromwel, & ensuite le Comte de Surrey & le Duc de Norfolc. Sa conduite envers quelques unes de ses femmes ne sçauroit étre justifiée; &, ce qui mérite le plus de blâme, il donna l'exemple pernicieux, de fouler aux pieds la justice, & d' opprimer l'innocence la plus manifeste, en faisant juger des persones sans les entendre. Ce sont là des tâches si odieuses, qu'un honneste homme ne sçauroit l'en excuser.*

Progreditur Kieslingius a p. 28. usque ad p. 43. quamplurima consarcinando, ex quibus, ut ipse putat, *Henricus VIII. summo jure sibi Capitis Ecclesiæ Anglicanæ nomen vindicavit, & se, suosque subditos a servitute Sedis Romanæ liberavit*. Hac ille ratione argumenta ad commendandam Pauli III. fidem, integritatem, & prudentiam a me deprompta a lenitate, & mansuetudine, qua in coercendo, & ad frugem revocando Henrico VIII. usus esset laudatus Pontifex, debilitasse, imo profligasse sibi videtur. At quo-

 niam

niam arrisit ibidem Adversario disputandi ratio hujusmodi, multum abest, ut intra eos cancellos consistat, de quibus eundem rogavi ut consentiret, deproperabo ad eorum examen, quæ in subsequentes paginas, scilicet a 43. ad 58. ille conjecit pro Cardinalis Poli rebus, Legationibus nimirum, & libro, in invidiam trahendis.

Facili autem negotio pensum hujusmodi absolvam, quod Poli vindicias abunde persecutus sim in iis libris, quorum verba ad invidiam illam amoliendam quamplurimum facere quum Adversarius non intelligeret, eadem adeo large in Epistola sua recitavit, ut nil minus quam dimidiam partem earum paginarum, quas dixi, conficiant. Evolvit itaque ille librum de Pauli III. Gestis, Editionis literarum Poli Tomum primum, & alterum, Epistolam ad Parisienses Academicos, seu hujus Synopsin; at valde mirandum, ejusdem oculos effugisse quæcumque de Poli libro, ejusque Legationibus inter me, & Schelhornium lato calamo disputantur in utriusque illius Tomi Præliminaribus; idque eo magis mirandum, quod ejus disputationis breviarium eidem exhibuerim in fronte Animadversionum, quas in ipsius Epistolam ante sex menses composui, atque vulgavi. Causam, cur Kieslingius nullam mentionem in sua illa Epistola fecerit intentatæ a Schelhornio in Paulum IV. accusationis de celeberrima, ac sapientissima Consultatione Novemvirali in Indicem librorum vetitorum relata, mihi visus sum certo divinasse in libello Animadversionum in Schelhornii Epistolam uno abhinc mense a me edito, quod nimirum Kieslingius ceu putidam calumniam habuerit accusationem illam, quemadmodum habitam eandem fuisse probavi a Sarpio, Curayero, Seckendorffio; Thuano, Launoyo, Richerio, ac tandem (ne Alexandrum, Dupinium, Continuatorem Fleury, aliosque nominem) a Daniele Franco, qui acerbissimam censuram in eum Indicem conscripsit, & quidem, teste ipso Schelhornio, curate, & diligenter. Quænam vero intercesserit causa cur pari silentio Kieslingius prætermiserit alternas mei, & Schelhornii Scriptiones de argumento, de quo hic est sermo,

mo, imo ne ſemel quidem ſeu in prima illa, ſeu in altera hac Epiſtola, Schelhornii nomen laudandi occaſionem ullam ceperit; id prorſus me latet.

Accedo nunc ad Polum vindicandum adverſus Kieslingii criminationes. Agit iſte de Poli libro ab initio p. 43. uſque ad totam p. 47. at paucula omnino ſunt, quæ de ſuo interſerit fuſioribus narrationibus, quas recitat ex meis libris. Primo autem loco ita ſcribit: *Ille ipſe, quem dixi liber ſale Attico, & Romano ad nauſeam uſque conditus, cujus non inſcius fuit Henricus Rex, clancularias inter Anglos excitaverat murmurationes, & ſuſurrationes, licet publici juris nondum eſſet factus. Fama vero, malum, quo nullum eſt velocius, rem a Reginaldo Polo ſuſceptam in Angliam detulerat, & Henrici animum in Polum tanto magis excitaverat.* Quid opus, quæſo, clanculariis inter Anglos murmurationibus, quid opus famæ celeritate, ut liber ille Henrico innoteſceret? Opus illud uni Henrico Polus deſtinaverat, uni Henrico traſmiſerat, atque ita ſatagebat, ne a quovis alio, præterquam ab Henrico, legeretur, ut ægre permiſerit Contareno (quem unum ejuſdem Lydium lapidem elegerat) aliquot ejus folia Pontificis oculis ſubjicere, utque, poſtquam ipſe Romam adventaſſet, illud ipſum eidem Pontifici etiam ſæpe petenti, ut ſibi oſtenderet, celaverit. Hæc & alia hujuſmodi ſæpius inculcata, & indubiis documentis comprobata deprehendiſſet Kieslingius in utriuſque Voluminis Poli Epiſtolarum, quæ dixi, Præliminaribus, ſi quis amor concertationem inter me, & Schelhornium agitatam cognoſcere ipſum tenuiſſet, &c. At venabulis omnibus, foveiſque liberare veloci ſaltu Kieslingius ſe didicit, teſtimoniis ſcilicet, quæ adverſus ipſum faciunt, diſſimulatis, Ovidianum illud ſuis commodis aptans,

Parce queri, melius ſic te ulciſcere tacendo.

At quo parcior eſt (ne quid durius dicam) Kieslingius in depromendis ex meis libris teſtimoniis cauſæ ſuæ incommodis, eo ille promptior, & minus verecundus in proferendis de ſuo futilibus prorſus argumentationibus &c.

Poſtquam duabus iſtis hallucinationibus ſibi viam ad tra-

ctandum de Hispanica Poli Legatione Kieslingius straviſſet, ex paginis 46. 47. 48. quas integras more ſuo exſcribit, libri mei de Pauli III. Geſtis, ſat aperte evinci contendit, ei Pontifici conſilia arriſiſſe prorſus aliena a boni, & ſapientis Paſtoris officio. *Aſt enimvero* (ait ille) *tam creduli, & obedientes non fuerunt Imperator Carolus V. & Franciſcus, ut ſe huic controverſiæ inter Henricum, & Paullum III. acerrime actæ ingererent, ut potius rem in medio relinquerent, & fœdera inſuper, & pacis ſtudia cum Henrico VIII. inirent*. In primo teſtimonio, quod ex tribus illis paginis depromit, hæc inter cætera diſertis verbis habentur: *Omnino lenibus, omnino aptis ad Henricum ex Chriſtianæ pietatis lege juvandum inſtructum fuiſſe Polum ab eodem* (Pontifice) *mandatis fidem apertam faciunt hujus Epiſtolæ omnes ad Legationem illam ſpectantes, quæ pariter evincunt, nihil in iis mandatis abſonum nihil inconſultum, nihil contra fas, juſque civilis imperii ambos eos Principes videre ſibi viſos eſſe*. Et paulo poſt: *Quod dixi, nihil niſi æquum, & bonum a Pontifice in ea Legatione Polo demandatum fuiſſe, quin opus ſit ad alias Epiſtolas confugere, ſatis conſtare faciam ex apologetica ejuſdem ad Eduardum VI. Angliæ Regem*. Verba iſta poſtquam Kieslingius recitaverat, ejuſdem partes erant, eas Epiſtolas evolvere, perſcrutari, excutere, atque inde excerpere, quæ juſtam comprobarent interjectionem iſtam ſuam: *Eja! imago, ſi Diis placet, optimi, & ſapientiſſimi Pontificis, qui Polum in Galliam, & Hiſpaniam emiſit, ut motus inteſtinos in Anglia cieret, & ignem inter hos Principes accenderet!* At ne una quidem ex iiſdem Epiſtolis inſpecta, rem ſe confeciſſe arbitratur ex infelici Legationis illius ſucceſſu, qui demonſtret, Pauli Pontificis conſilia nulla ratione Principes probaſſe. Conſecutionem hanc ut eliderem, attuli ex Abbatis Grandii, Galli Scriptoris, libro, *Hiſtoire du divorce &c.* fuſiorem locum, quo invicte adſtruitur ex indubiis, quæ ille affert, documentis, Principum dictis eorum facta vere non reſpondiſſe. Reſpondiſſent autem, *Si les Princes* (idem ſubdit) *étojent toûjours bien inſtruits, ou plus tôt s'ils ne preferojent pas, comme autres hom-*

hommes, l'utile & le present a l'honneste & au futur. Adeo autem verum est, ea Principum dicta præcessisse Poli Legationem, ut in Italica ejusdem ad Contarenum Epistola, scilicet LXXIII. Tom. II. hæc aperte ab ipso scribantur de turbis adversus Catholicos in Hibernia excitatis: *Di questo sono causa questi rumori che fanno questi Prencipi di voler far l'impresa, e noi non facendo altro, saremo cagione, che tanto più saranno li sudditi oppressi da quella tirannide*. Hoc certe testimonium palam nos edocet, potius quam impulsoris, quam stimulatoris, gessisse Pontificem in negotio, de quo agitur, cunctatoris personam &c.

Tandem recitatis p. 54. & 55. meis quibusdam ad detestandam Henrici Regis sævitiam, & præsertim impietatem in cineres S. Thomæ Cantuariensis testimoniis, & p. 56. Burnetii verbis, de Primatu sibi adrogato ab Henrico Rege, hæc subdit: *Quid quid tandem hujus rei sit, sive juste, sive injuste in hoc reformationis negotio egerit Henricus VIII. non tamen video, quo auctoritatis fundamento nisus ipsum a societate Ecclesiæ non tantum, sed ex Regno suo expellere, & excommunicationis fulmine petere potuerit Paullus III. Præjudicata, & nondum ad evictam jam fidem præstita est sententia, Episcopum Romanum esse caput non solum totius Ecclesiæ, sed & omnium Imperatorum & Principum. Si id confutare vellem, denuo omnium Reformatorum & Lutheranorum scrinia expilare deberem, qui tam contra spiritualem, quam temporalem Romani Pontificis potestatem scripserunt*. Bene utique Kieslingius manus suas ab ea expilatione abstinere constituit: nam certe ne verbum quidem ad eandem ego reposuissem, ut intra præfixos disputationi nostræ limites immotus persisterem. Hac ipsa de causa quæcumque ille in triginta subsequentibus paginis, quibus Epistola illa sua absolvitur, congessit, tacitus prætereo; siquidem ibi historia describitur susceptæ ab Henrico VIII. emendationis. Hujusce autem tractationis in meis Scriptis, quæ ille refellere suscepit nec vola, nec vestigium. In aliis vero argumentum illud abunde pertractavi.

Hæc demum sunt verba, quibus suam illam Epistolam clau-

claudit Kieslingius: *Defunctus nunc ea, quam supra promisi, de exponenda emendatione Ecclesiæ Anglicanæ ab Henrico VIII. Angliæ Rege suscepta, provincia, calamum sepono, Tuoque* EMINENTISSIME PATER PURPURATE, *examini relinquo ea, quæ de hoc argumento paullo prolixius edisserui. Collaudo Tuum in his documentis eruendis, & in lucem proferendis rebus ad emendationis negotium maxime spectantibus, studium plane indefessum, certissime convictus, hunc laborem omni laude majorem, Ecclesiæ & Lutheranæ, & Reformatæ, & Romanæ maxima allaturum esse emolumenta.* Maxima utique Lutherani, & Protestantes consequi possent emolumenta ex documentorum, quæ ipse omnium primus in publicam lucem edidi, ingenti copia, siquidem illis authoritatem, & fidem adjungerent, quam in rebus historicis Epistolico commercio in primis deberi, nemo est: qui ambigendum putet. Addit vero: *Nullum hoc, mea ex sententia, Tua persona digniorem aggredi potuisse,* EMINENTISSIME PATER, *laborem qui immortalem Tibi conciliare potest nominis memoriam, mercedem Tuorum negotiorum difficillimorum longe præstantissimam. Etenim, si ætatem, qua annum jamjam sexagesimum septimum agis, Venerande senex, considero, concatenatum Tuum admiror studium, dum omne tempus, quod a negotiis gravissimis reliquum est, non quieti, his annis haud denegandæ, impendis, sed senectutem otio erudito totam sacram esse cupis. Profecto in Te vivum* CATONIS *contemplor exemplum, qui senio jam confectus de se prædicare poterat: Conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum in profusis in pauperes largitionibus, & utilissimis scriptis conspicuorum, Tibi quin sit dulcissima, non dubito. Annuat porro Deus optimus Tuis meditationibus, vegetamque & tranquillam Tibi largiatur senectutem, ex animo precor.* Venerandi senis, qua me Kieslingius dignatur, compellationem haudquam contumeliosam reputo, dummodo quicumque mea Scripta ad Catholicæ Ecclesiæ causas tutandas etiam omnino recens evulgata perlegerit, crudam in iis, viridemque senectam se agnoscere fateatur. Hujuscemodi vere eam esse, quam divina mihi beneficentia impertitur, palam insuper cuivis

cuivis fecisse arbitror Rheticum, & Helveticum iter, quod intra quadraginta quinque dies a Diœcesis meæ finibus usque ad S. Gallum equitando peregi proximo Autumno, præterea labores cum Pastorales, tum literarios, quibus, ut primo Brixiam ex eo itinere redux attigi, me dedidi adeo assidue, ut extra ambitum Episcopalium Ædium intra tres menses, qui ferme jam effluxerunt, ne semel quidem jucundæ deambulationis causa pedem moverim. Quid vero? quum hæc ipsa adversus Kieslingium lucubratio conscripta sit post medium mensem Decembrem, hocque expirante absoluta, quo binarum hebdomadarum spatio contigit, ut solemni cæremonia quindecies descendendum mihi fuerit in Cathedralem Ecclesiam, habendæ insuper ducentorum, & quinquaginta Clericorum sacræ Ordinationes, ac demum adeundæ Ecclesiæ Jesuitarum postremo anni die, proximo autem Theatinorum ad largiendam innumeræ ad eas de more confluenti multitudini, ipsum Corpus Christi manibus meis gestando, benedictionem. Invalidam ad ea munia, quæ ingrueret, senectam, testor Deum, ita mihi perincommode cessuram, ut præ illa mortem exoptem.

Hactenus de Kieslingiana Epistola. Ad Te ipsum modo jucundissime revertor, Breitingere, ac primo veniam peto, si ex eadem pannum non adeo brevem hisce literis assuere consilium ceperim, quod illa mihi sese obtulerit, ut jam dixi, dum Tecum fabulandi nondum finem fecissem. At veniam ab utroque nostrum Kieslingius deprecetur, oportet, propterea quod ei collibuerit, *pannosam fæcem morientis aceti* mihi sorbendam præbere, postquam lata vel in illo suo Lipsiensi Athenæo de Poli rebus a me vindicatis sententia (hanc in Animadversionibus ad nuperrimam Schelhornii Epistolam evulgare ipse me Schelhornius adegit) jure dicendum de eo argumento mihi sum est, *Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt*. Duo autem illa, quæ Epistolæ tuæ finem imponunt, me magnopere contra delectarunt, scilicet primo Brixianæ Sacrorum Bibliorum Hebraico idiomate Editionis notitia, cujus proferendæ ansam Tibi præbuerit mea ad Clariss. Virum Jo. Antonium Saxium Epistola, quæ pri-

prima est Decadis IV. Latinarum; deinde vero notitia Cantilenarum veterum, vetere lingua Teutonica conscriptarum, ex Codice Regio Parisiensi, in hoc genere unico, tua opera publicandarum: *Ut ille Thesaurus* (sic ipse loqueris) *qui in Christianissimi Regis Bibliotheca C. prope annos ab hominum memoria remotus delituit, multiplicatis exemplaribus publici juris fiat, ac Germaniæ quasi postliminio restituatur.* Fateor, utramque notitiam istam acceptissimam mihi fuisse; primam quidem, quod valde læter, Hebraici illius Codicis qui modo in Berolinensi Bibliotheca asservatur, præstantiam tuo etiam præconio celebrari, ac proinde eundem jure a me fuisse recensitum inter singularia decora typorum Brixianorum, imo Brixianæ literaturæ, quam in Epistola illa ad Saxium cum Mediolanensi certare posse amice contendi, renascentium literarum ætate. Hebraicis autem literis me ab adolescentia mediocriter tinctum fuisse, fidem Tibi faciet Oratio de Mosaica Historia, Decade prima earumdem Latinarum inclusa. Quod spectat ad alteram eam notitiam, compertum jam Tibi fecit Epistola illa, qua descriptionem Autumnalis itineris mei Rhetici, & Helvetici complexus sum, me illud peragentem, Schilteri Thesaurum Antiquitatum Theutonicarum, quibus diebus in Benedictinis istarum partium Cœnobiis moratus sum, inter ea volumina selegisse, quæ otio illi meo solando inservirent. Imo vero meminisse potes, me, ut primo Te coram rogassem, quidnam foret, quod nunc in publicos usus meditareris, narrareque mihi cœpisses de Codice illo Regio Parisiensi, me, inquam, statim leviter submonuisse (nec enim fallor) in eo Schilteriano Thesauro specimina Cantilenarum, de quibus dicebas, oculis meis occurrisse. Quare facile intelligis, fore, nt palato meo arrideant cupediæ illæ Teutonicæ, quarum instruendarum Te cogitationem nequaquam deposuisse, literis tuis certiorem me fecisti.

Ut autem aliorum, quibus mea hæc Epistola legendam se dederit, ad eas ipsas dapes expetendas palatum exacuam, eosdem certiores facio, in elencho, quem mihi humane transmisisti, CXXXVIIII. Summorum virorum, qui ea Carmina

mina fecerunt, nomina recenſeri, atque ab iſtis eundem initium ſumere. *I. Imperator Henricus II. Rex Chunradus junior. III. Rex Scotiæ Tyro, & Cridenbrant Filius IV. Rex Bohemiæ Wenceslaus*. Sequuntur deinde nomina aliorum, quorum plerique ſunt Helvetii, aut Suevi nobiles, qui Imperatoris Henrici aulam ſequti ſunt. Hæc vero ad elenchi illius finem de eorum carminum venuſtate adnotaſti: *Sunt magna ex parte carmina Anacreontica & amatoria, de vere & æſtate, de mulieribus, de vino &c. &c. quibus vero tenerrimus animi affectus mille modis ad vivum exprimitur, ut non poſſis non mirari ejus ætatis homines, quos nobis ut feroces & ab humanitate alienos plerumque fingimus, tam delicatis ſenſationibus & exquiſitiſſimis voluptatis illecebris affici & tantopere capi potuiſſe. Quin etiam in numeris & carminum generibus tantam varietatem obſervare licet, ad quam hujus ætatis ars metrica ſterilis & inculta videri poſſit*.

Antequam Epiſtolam iſtam concludam, cujus magnam partem conſtituit Kieslingii illa, quam impugnare opus habui, ſcias, velim, eundem una cum ipſa ad me tranſmiſiſſe, in novum benevoli ſui erga me animi argumentum, Diſſertationem Philologico-Hiſtoric. *De lacrymis Vatum ſacrorum Inſpirationis divinæ teſtibus ad Oraculum II. Reg. VIII. com.* 10. 11. in Auditorio Theologico die XV. Decembris MDCCXLVII. habitam ſe ipſo Auctore, & Præſide. Hanc quoque perlegi, ac ſtatim, ut verum fatear, miratus ſum &c.

Unum pro Epiſtolæ hujus coronide ſupereſt, ut aliquid ſcilicet Tibi reponam ea de re, cujus Te cupidum literæ tuæ demonſtrarunt, nimirum, ut *ſi quos habuit Italia Sæc. XII. Danteſios, aut Petrarchas, qui ſua ætate fuerint aliquod nomen adepti*, eos Tibi indicare non gravarer. Fatebor ingenue, multum abſuiſſe Italum ſolum, ut Sæculo illo XII. Poetas ferret, quorum carmina eam laudem promereri poſſint, qua ipſe donaſti Cantilenas Teutonicas a Te quam primum evulgandas. Addam deinde, ex amore, quo Brixianam hanc Urbem, cui præſum Epiſcopus, proſequor, inveſtigaſſe me diligenter ſuperioribus diebus, quo jure inter

ter illos vetustiores Poetas ab Jo. Mario Crescimbenio *Della Volgar Poesia Vol. V. p.* 44. recenseatur Albertanus, Brixianus Judex, qui desinente Sæc. XII. & ineunte XIII. floruisse comperitur; deprehendisseque, Crescimbenii dictum eo fundamento carere, quo unice ille innititur, extare videlicet Albertani carmina in Bibliotheca Strozziana Florentiæ. Codices enim Strozzianos sex, qui Albertani illius opera varia complectuntur, prosas tantum exhibere (iis tamen partitionibus aliquando distinctas, ut numeros poeticos, quos *Terzine* dicimus, in speciem ræpresentent) humanissime certum me fecit per literas Florentia datas Eques Joannes Giraldus, bonarum artium amator, & iis insigniter excultus; idemque præterea mihi scripsit, æque ac in Strozziana, in aliis Florentinis, Albertani numeros desiderari, quos scilicet sua, vel doctorum amicorum perscrutatio detegere valuerit.

Restat tamen, ut officia mea deferri a Te deposcam Hagenbuchio Collegæ tuo præstantissimo, a quo literas recens accepi, eaque eruditione refertas, cujus illustria documenta (admodum jam conspicua in Epigraphicis, quas edidit, Epistolis) efferet magis, magisque in lucem Epistola a me quantocius exaranda ad Etruscæ Academiæ Socios de variis Boethiani Diptychi, quod Brixiæ possidemus, explicationibus; Zimermanno pariter, tuo & ipsi Collegæ, cujus lucubrationem quandam quum legissem apud San-Gallenses degens, admiratus sum vehementer Scriptoris ingenium; Fueslino tandem, qui maxime me devinxit suo illo studio, quod adhibitum a se fuisse, mihi scripsit: ut ex oppido, ubi sedem habet, Tigurina ex urbe ad eosdem San-Gallenses mihi pergenti officiosus occurreret. Memorandus autem ante hos omnes mihi fuerat amplissimus, nobilissimusque eorumdem Mecœnas Blaurerus, Civicæ istius Bibliothecæ Præfectus; quippe qui, ut ab Heideggero Bibliopola vestro, cujus Epistolico commercio valde delector, intellexi, benigne professus est, libros meos omnes, eidem Bibliothecæ dono datos, ut primum isthuc advenerint, honorificentiorem, quam certe mereantur, sedem suo jussu in illa occupaturos. Vale.

Brixiæ die xxv. *Januarii* MDCCXLVIII.

EX

VIRIS CLARISSIMIS

SINGULARIS ERUDITIONIS LAUDE FLORENTIBUS

IN LYCEIS

LIPSIENSI, GOETINGENSI, HAMBURGENSI, TURICENSI, AC TANDEM MEMMINGENSI

A. M. CARDINALIS QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius, & Episcopus Brixien.



Uotquot ex Italis meis compertam habeant suavissime in me effusam, dum superiori mense Majo Tirolense, & Suevicum iter peragerem, gentis vestræ benevolentiam, mirentur, oportet, postquam viderint, me ab eodem vix reducem Academias vestras compellare decrevisse lucubratione hac, quæ multo aptior ipsi videatur offensioni vestræ concitandæ, quam eidem benevolentiæ amplificandæ. Verum enim vero ii ipsi suam illam admirationem longius a se submovebunt, postquam ob oculos habuerint edendarum jamjam in lucem fasciculum literarum, quibus nempe meam illam peregrinationem humanissime prosequuti estis Vos omnes. Inde siquidem intelligent, vota tunc vestra eo potissimum collineasse, ut literariis negotiis, quæ in utroque eo tractu pertractaturus forem, propitium Numen arrideret, ac proinde ut Asceteria Sacri mei Ordinis ibidem invisendo, strenue literarum decus (ut ea ipsa usurpem verba, quibus usus est ad me scribens Vir Clariss. Schelhornius) in iisdem adsererem. Hoc vero dum Itali ex iis literis perceperint, facile sibi persuadere debebunt, rem non quidem vobis injuriam, sed vestris illis optatis admodum consentaneam a me modo perfici, dum vestris oculis sisto tractationis meæ hujusce argumenta. At forte non deerit, qui mihi respondeat, hæc ipsa hujuscemodi esse, ut nullo modo fieri possit, quin odiosa vobis contingant, nam eas contentiones refricant,

 quas

quas vestrûm maxima pars, ut certis documentis mihi constat, nunquam inter nos exardere voluisset, & quoniam exarserunt, finem iisdem imponi peroptat, quodammodo Ovidianum istud usurpans, *Deque gravi duras vulnere tolle manus*. Non est tamen, quod odium illud verear; nam animo prorsus alieno a contentionibus illis instaurandis, vestram tantum nunc fidem imploro, utrum tuendo apud Ascetas illos (quod & alibi feci) Scripta & Gesta Cardinalis Reginaldi Poli, collaudandoque ea occasione Pontificium Pauli III. regimen, optimam causam susceperim, & literarum decus asseruerim.

Consilium autem, quod modo exequor, in mentem mihi venit, dum selectissimam, copiosissimamque Ottoburani Monasterii Bibliothecam ingressus, fortuito oculos conjicerem in librum nondum compactum, qui ad oram amplissimæ mensæ de more sitæ in meditullio ejusdem Bibliothecæ jacebat, in Tomum videlicet Actorum Lipsiensium anni proxime elapsi. Aliquot ejusdem folia tumultuarie statim, & incuriose evolvi; cumque sese mihi in iisdem exhibuerit duorum Voluminum Reginaldi Poli Epistolarum Editionis recensio, facere non potui, quin hanc avide percurrerem, quodammodo oblitus instare tunc mihi curam rariorum ejus Bibliothecæ Codicum perlustrandorum. Adeo vero mihi arrisit consilium, quod dixi, ut veritus, Tomum eundem forte in Italiam nondum pervectum fuisse, licentiam a Patre Bibliothecario petierim, atque impetraverim, paucula ex eo folia, quibus scilicet recensio illa continebatur, mecum Brixiam deferendi. Huc igitur ea detuli, ut cito condendæ meæ isti lucubrationi inservirent. Hanc vero haud dissimulabo eo citius a me confectam fuisse, & eo libentius modo publicari, quo mea magis interesse dignovi, ne quotquot perlegerent literarum fasciculum, quem superius indicavi quamprimum lucem visurum, ullo modo adducerentur ad suspicandum, hujus evulgatione comparare me voluisse causæ meæ præsidium ex verborum blanditiis, quibus eæ literæ scatent; nam contra confido, nullum eandem periculum subire posse, Areopagi cujusvis supercilio subjiciatur; siquidem ea est,

Ja-

Judicis argutum quæ non formidet acumen.

At quodcumque futurum sit vestrum de mea ista opella judicium, pro re omnino certa habeatis, velim, me nihil reliqui facturum, ut vobis omnino innotescat gratus is animus, quo nunquam desistam, humanitati, & benevolentiæ erga me vestræ respondere. Testem habeo eam Germaniæ partem, quam nuper obivi, quemadmodum proxime elapso Autumno testem habui Rhetiam, & Helvetiam ferme universam, ita me esse comparatum, ut victu, & cultu inferioribus parem domi, forisque me gerens, fortunæ ubertatem, quæcumque mihi cœlesti munere contigit, hominum commodis provehendis propensam semper, atque paratam exhibeam, ratus propensionem hujusmodi, ut sapientissimum effatum me edocuit, *Illustrem quendam esse quasi triumphum virtutis*. Nostis, ut certo credo, quam alacriter amplexus jam antea fuerim occasiones ubertatis illius participes efficiendi vestrarum Academiarum Professores, nam easdem vulgarunt Clarifs. Reimarus, & Clarifs. Kieslingius, quorum ille meo hortatu Dionis Cassii Editioni, quæ modo cuditur, gnaviter perficiendæ operam navat, alter vero transmisso Brixiam usque pomorum Lipsiensium doliolo suam mihi humanitatem declaraverat. His autem ipsis diebus, quibus hæc scribo, retulit a me Clarifs. Schelhornius teneræ amicitiæ argumentum, quo eidem declaravi, gratum mihi admodum fuisse nuntium, quem ille literis suis ad me detulerat, geminæ scilicet virilis prolis, quam feliciter die proximo ante festum D. Joannis Baptistæ uno partu enixa est ejus charissima filia Elisabetha optimi generi Hermanni conjux, vigesimum ætatis annum nondum supergressa. Propensam hanc mei erga vos voluntatem eo justius vobis in posterum deberi confiteor, quo clarius enituit, comitatis singularis, qua, ut dixi, nuperrimum iter meum veluti certatim decorastis, nullam sibi partem vindicare posse eam magnificentiam, quam passim ostentant Magnates in alienis præsertim terris peregrinantes, nam ab hac ipse magnopere abfui, contra admirantibus cunctis, quaquaversus pergerem, viarii mei apparatus tenuitatem, iisque præsertim, qui putant,

apud principes viros Romanæ Ecclesiæ luxu omnia fluere, hosque vitæ delicias, splendidasque pompas in primis sectari, perinde ac si Evangelicum illud ignoraremus, *Ecce qui in veste pretiosa sunt, & delitiis, in domibus Regum sunt.*

Interea vos rogo, ut in ferendo judicio de Poli virtutibus, quarum breviarium exhibet mea ista lucubratio, una simul decernatis, an ab ipsius, aliorumque ejus Collegarum, Contareni præsertim, Sadoleti, & Bembi consortio discedere, fas esse potuerit Sectarum vestrarum Antesignanis, atque Magistris. Ego quidem (sinite quæso ut aperte dicam quod sentio) ex Epistolico commercio, quod vobiscum colo, ita compertas habere mihi videor animi, & ingenii vestri dotes, ut affirmare non verear, Polos, Contarenos, Sadoletos, Bembos, aliosque his pares, multos cariores, & majore in pretio Vobis futuros, quam Lutherum, quam Melanchtonem, quam Bucerum, aliosque hujuscemodi, si horum omnium tempora ad nostram hanc ætatem pertinuissent. Fuerunt enim Primates illi nostri absque ullo dubio præstantissimi, atque optimi Viri, innumerisque testimoniis, dum viverent, habiti sunt honore, ingenio, innocentia, ac doctrina ornatissimi. Par de iisdem judicium facturos fuisse Vos quoque, cur non credam, præsertim dum video, magno Vos me honore dignari? qui tamen Croesi solio potiri mihi viderer, si eorundem adorans vestigia, id dumtaxat promererer, ut quoquo modo dici possem,

Proximus his, longo sed proximus intervallo.

Eam fiduciam, qua ducor ad credendum, priores apud Vos partes habituros, non quidem priscos illos Sectarum vestrarum Primipilos, sed Romanæ Ecclesiæ Proceres lucubrationibus meis adeo celebratos, & jugiter celebrandos, hanc, inquam, fiduciam haud mediocriter roborarunt hominis extra Romanam Societatem literæ recens ad me datæ, & in quibus hæc habentur: *Vous avés bien raison, qu'il y a une grande difference entre homme, & homme „ Quantum homo homini præstat! „ Il faut bien que des Seigneurs tels que Contarenus, Polus, Caraffa, Sadolet, Bembo, & leur* *Pa-*

Pape Paul III. sojent maitres habiles en l'art de cultiver l' Eglise par rapport a Luther, & a Zuingle, aux quels Vous avés justement donné le nom de „ Thracius homo, ex ultima Barbaria, ruris colendi Insolens. „ En general, Monseigneur, qu'est ce que a causé la separation des nos Eglises des vôtres, si ce n'est le libertinage, l'ambition, l'envie? &c.

Tandem dicam, Procerum eorumdem virtutum admirationem adeo me cepisse, ut ipsorum imagines in conspectum dare gestierim omnibus Bibliothecam meam ingredientibus. Comparet itaque in conspicuo hujus loco Paulus III. & circa illum Contareni, Poli, Sadoleti, & Bembi corona, addita hac Epigraphe, ADSCITI SUNT IN AMPLISSIMUM ORDINEM SAPIENTISSIMI, INNOCENTISSIMI, CLARISSIMI, SUMMA AUCTORITATE PRÆDITI VIRI, EVOCATI, ROGATI FACTI SUNT CARDINALES! O PRÆCLARA COMITA! O HIS DIFFICILLIMIS TEMPORIBUS NECESSARIA! O PAULI III. SAPIENTIAM, ET BONITATEM SINGULAREM! Injecta hoc loco Bibliothecæ meæ mentio occasionem mihi præbet Vos commonefaciendi, ejus inaugurationem post reditum meum ex Almengovia contigisse, jamque in vestibulo marmor exstare hisce notis incisum:

BIBLIOTHECAM HANC
A FUNDAMENTIS EXCITATAM
LIBRISQUE PRIMUM INSTRUCTAM
QUOS VATICANÆ OLIM DONATOS
PROPRIO RECENS ÆRE REDEMERAT
AUCTAM DEINDE
NOVIS UNDIQUE CONQUISITIS
AC TANDEM
OPPORTUNIS REDITIBUS DOTATAM
PUBLICÆ UTILITATI APERUIT
ANGELUS MARIA CARDIN. QUIRINUS
BRIXIÆ EPISCOPUS
ET S. R. E. BIBLIOTHECARIUS
AN. DOM. MDCCXLVIII.

At satis præloquii. Ad rem veniamus.

Ac-

Acta Lipsiensia.

I. *Reginaldus* Polus *doctrina, consilio, rerum gestarum magnitudine, virtute, enixissimo Ecclesiam Romanam juvandi amplificandique studio, quondam insignis admodum, non facile illustriorem, nec digniorem laudum suarum praeconem, & scriptorum suorum instauratorem, quam quidem Angelum Mariam* Quirinum, *Purpuratum Eminentissimum, cujus non minora in Sedem Romanam merito, quam decora, quibus in orbe literato fulget, existunt, invenire potuisset. Splendidam hoc Opus, quod in fronte effigiem* Poli *affabre pictam ostentat, inscriptum est Dominico Ursino, pariter Ecclesiae Romanae Purpurato, cui se ob conciliatam sibi Benedicti XIII. beneficentiam, quem sanguine attingat, obstrictum agnoscit. In Praefatione Partis primae sistit Animadversiones in Epistolam a Schelbornio ad se scriptam. Ægre fert, quod is Burneti de* Polo *narrationi nimium tribuat, cum tamen ex hujus epistola, in Amoenitatibus publicata, rectiora scire potuisset. A* Polo *depellit suspicionem, ipsum galeri purpurei potiundi desiderio inescatum, per Henrici Regis infamiam ad summum illum honorum apicem grassatum esse. Num recte fecerint primae dignitatis in Ecclesia Romana viri, inque his ipse Joannes Petrus Caraffa, post sub nomine Pauli IV. ad Pontificium fastigium evectus, ipsum, ubi de novo Pontifice eligendo deliberaretur, gravissimorum vitiorum reum agendo, quaerit. Aliquanto acerbiore stylo adversus Henricum usum fuisse* Polum, *non diffitetur. Odio acerbissimo in Regem arsisse* Polum, *nec ullam pietatis & beneficentiae in se rationem habuisse, asseveraverat Schelbornius. Contrarium demonstrat* Quirinus, *ipsum ab amore & pietate in Regem nunquam discessisse, &, si quae duriora ipsi aliquando exciderint, fecisse id officii ratione ductum, & ut saluti ipsius & regni consuleret. Sed enim, si* Polus *tanta de salute Regis & incolumitate regni sollicitudine fuit affectus, nonne lenioribus suasionibus & blandioribus adhortationibus animum ejus sibi conciliare debuisset, quo facilius aurem accommodasset?*

Animadversio.

I. Interrogationi isti Polus ipse respondebit. *Ego, cum Regem iis delictis pollutum cernerem, quorum magnitudinem ipse, ac turpitudinem non videbat, cumque ob eam rem in maximo periculo versari, quod neminem haberet, qui sibi illa cujusmodi essent, ostenderet, sed multos, qui tanquam recte facta laudarent, quid facerem salutis ejus ma-*

xi-

xime cupidus? Dissimularemne, præsertim sententiam rogatus? Annon potius illa patefacerem, eique ob oculos ponerem, quibus ille perspectis, ad Dei misericordiam per pœnitentiam confugeret? Hoc quidem animo, non ullo vituperandi, aut nocendi studio, quemadmodum iste calumniatur, scripsisse me, & Deus est testis, & scripta ipsa satis ostendunt. Cumque iisdem peccatis ille non modo iram Dei contra se provocasset, sed summas omnium in terris potestates, Pontificiam, & Cæsaream, graviter offendisset, sibique merito infensas reddidisset, ex quo se ipsum in maximum amittendi Regni periculum injecerat, quod tamen ipse non videbat; nonne hoc etiam extremum periculum illi a me, qui cuperem ejus saluti & incolumitati consulere, ante oculos ponendum fuit, & illud maxime, quod a Cæsare timeri poterat? quod quidem facere volui in illa Oratione, quam Cæsar numquam legit, Rex ut legeret, quia id ejus maxime intererat, curavi. In universo autem opere meum hoc fuit consilium, ut, quoniam dupliciter periclitari Regem videbam, duplici metu ei proposito, ab utroque eum liberarem, ad quæ etiam addidi timorem infamiæ. Hæc POLUS in literis datis ad Cardinalem Augustanum Londino 19. Januarii 1551. In aliis autem ad Cardinalem Contarenum Venetiis 4. Martii 1536. *In reliquis quæ scribis, nimis acerbe & acriter cum Rege me agere, rectissime quidem admones, & plane veritus ea scripsi, sed cum blanditiæ totius hujus mali causa fuere, quid nisi remedia contraria valere posse judicarem? Quanquam cum opus perlegeris si quæ in principio, & in fine ad hæc lenienda non satisfaciant, ut supra scripsi, falcem in manu habes, nihil enim magis cupio, quam ut meorum Scriptorum* κατὼν *esse non dedigneris, quibus volo eos terminos præscriptos esse, quos accuratissimum tuum judicium præscribat.* POLO ita scribenti manus dedisse Contarenum comprobant hujus verba in Epistola ad illum data Romæ 18. Jul. ejusd. anni 1536., quibus scilicet, POLI Opus, de quo agitur, non elegantiæ dumtaxat, & eruditionis causa collaudat, sed insuper quod plenum foret *egregii cujusdam, quin potius singularis erga eum* (Henricum Regem) *studii*. Maximum sane hu-

hujusce studii argumentum POLUS præbuisse censendus est, dum Contareno ejus judicium percunctanti de quibusdam Capitibus ad Religionem spectantibus, Romam ex Anglia transmissis, Regiaque auctoritate firmatis, respondens, eos sensus declaravit, qui palam faciunt (quod ipse singulis fere in Epistolis suis, aliisque Scriptis sancte adjuravit) se non aliam a Rege diffidendi causam unquam habuisse, nisi ut illius salutem procuraret. Hæc enim habet in Epistola exarata *ex Villa Prioli Trevillana Festo S. Joannis Baptistæ* anno MDXXXXIII. *Quid vero a vobis fieri cuperem, idem est, quod vos multo melius videtis, quam ego, ut scilicet ovem tam pretiosam, etsi longe a grege errantem, jam tamen respectantem, ne negligatis, sed omni cura, & solicitudine ad ovile revocetis. Id facilius assequemini, si Summus Pastor omni velocitate eum vocet, servata tamen Pastoris majestate, ut nec errorem dissimulet, & tamen benignum reditum permittat. Hoc si faciat, utcumque initio repugnare videatur qui reducendus est, tamen cum tam multa sint, quæ verisimiliter eum rediturum promittant, & suum officium faciet, nec sine spe conabitur; idem autem faciet, quod Dominus omnium Pastorum facit, qui licet ad populum contradicentem, & repugnantem, tota die manus suas expandebat.* Majorem profecto animi lenitatem, majorem erga Regem Henricum pietatem ostendere POLUS non potuit, quam ita scribendo, postquam in mitiorem partem accepisset Capita illa, quæ tamen secus interpretari Catholici quamplures non dubitabant, & jure quidem, quod nullum in eo Scripto verbum fieret de Unitate Ecclesiæ, & de uno in terris Christi Vicario. Id tamen neutiquam POLUM adduxit, ut conceptam de ovis reditu spem non foveret; nam ad eundem Contarenum ita scribit Venetiis prid. Cal. Sept. 1536. *Simplex nostrum malum dici potest, quod antea multiplex videbatur, & fuit, & ideo difficilius ad curandum; sed nunc solo capitis dolore videmur laborare, haud ita quidem periculoso malo, sed tamen gravi, quod si eadem Dei misericordia, quæ e corpore morbum repulit, tollere dignetur, jam qui periculosissime ægrotabamus, salvi essemus.*

mus. Evenit poſtea quod POLI ſpem illam ſeu infirmaret, ſeu labefactaret. Verum enimvero non ideo eandem abjecit, quod declarat Epiſtola, qua Pontifici ipſum ad Urbem accerſenti, ut una cum aliis præſtantiſſimis Viris proſpiceret Eccleſiæ utilitatibus, reſpondit: *Cum recordor* (inquit ad Paulum III. ſcribens ex agro Patavino) *cujus animum, vereor, ne mea hac profectione offendam, vel potius cauſam conſidero offenſionis ejus, quæ ipſum etiam, olim Eccleſiæ delicias, & præter cæteros Principes Chriſtianos de Eccleſia optime meritum, ab ejus unitate longe abripuerit, non ſolum de meo adventu cogitans, mæreo, ac lugeo, ſed prorſus dolore animi quaſi diſrumpi videor, quippe qui illi, ut Regi, plura pietatis officia, quam ullus unquam Regio Imperio ſubjectus civis, aut paterno filius, & debui, & debeo, quæ ſemper præſtare ſum paratus. Sed quid agam? Et ſi de eo quidem, quæ cupio, ſperare non poſſum, quod ſigna illa ſalutaria nondum apparent, tamen cum egregiam ejus indolem cogito, cum virtutis, & religionis tam præclara olim ſemina jacta conſidero, etſi ad tempus omnes humanæ virtutes, utcunque in aliquo excellant, ſecundarum rerum curſu opprimi poſſunt; tamen quin illa iterum aliquando emergant, & tandem ad majorem Dei gloriam, qui dedit, eluceant, non poſſum plane deſperare. Non poſſum, inquam, utcunque alii deſperent, ipſe non maxime ſperare; præſertim, cum tot etiam viros ſanctos noverim, qui ejus cauſa aſſidue in precando excubent, adeo ut, ſi mundum peccatis impleſſet, tamen a Chriſti immenſa miſericordia tot bonorum preces hoc impetraturas minime diffidendum ſit.*

ACTA LIPSIENSIA.

II. *Spiritus certe Chriſti manſuetudinem totus ſpirat, & fidiſſimi regni ſui internuntii non verborum ſtrepitu, nec conviciorum tumultu, hominum animas perculerunt, ſed doctrinæ ſuæ præſtantia, & graviſſimarum rationum ponderibus horum pervicaciam expugnarunt, ut libentes ipſorum præceptiones admiſerint.*

ANIMADVERSIO.

II. Quam juste huc faciat celebre illud *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* palam facit vel una Cardinalis Sadoleti Oratio ad Princ. Germ. Suis enim in ea coloribus pinguntur Novatores, nimirum truces, iracundi, impetu magis ad omnia, quam ratione delati, jactantes adesse sibi Spiritum Sanctum, qui tanto sæculorum numero non affuerit tot Patribus sedatis, gravibus, rerum divinarum scientia, & sanctitate vitæ præclaris, ausique propterea Romanos Pontifices onerare convitiis innumeris, horrenda in ipsos probra jacere, & Apostolicam ipsam Sedem verbis turpissimis proscindere. Aliorum præterea flagitiorum atrocitatem Novatoribus in ea Oratione improperat Cardinalis ille sanctissimus, lenissimoque animo præditus, deploratque, eosdem odio acerbo, ac inexaturabili contra nos ab ipsis suscepto, laxatisque iracundiæ suæ frænis, conatos fuisse omnes & divinas, & humanas leges, omnes veteres mores, omnes superiorum, atque inferiorum Ordinum distinctiones, curationes, gradus miscere, atque confundere. Quare iterum dicam, *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?*

ACTA LIPSIENSIA.

III. *Non ii sumus, qui patrocinium rerum omnium ab Henrico gestarum suscipiamus: sed & illud apparet,* POLUM *molitionibus suis id egisse, ut Regem ad obsequium Præsulis Romani revocaret, ipsumque ad extirpandos emendatæ religionis confessores inflammaret: non ut veram pietatem, virtutisque studium ipsi ingeneraret.*

ANIMADVERSIO.

III. Quisnam erit qui patrocinium rerum omnium ab Henrico gestarum suscipere velit, si comperta habeat, quæ de eo Rege scribit Burnetus in eo Opere, quo Anglicani Schismatis non tam historiam, quam elogium contexuit? En ejus verba: *Il donna l'exemple pernicieux de fouler aux pieds la justice, & d'opprimer l'innocence la plus manifeste, en faisant juger des personnes sans les entendre. Ce sont là des*

ta-

taches si odieuses, qu'un honneste homme ne sçauroit l'en excuser. Idem Burnetus ibidem ita scribit, *Il fit condamner a mort un bon nombre de ses Sujets pour avoir nié sa Primauté Ecclesiastique: entre autres Fischer, & Morus, dont le premier estoit fort vieux, & l'autre pouvoit passer pour l'honneur de l'Angleterre, soit en probité, ou en sçavoir*. Quis neget vel hoc solum testimonium apertissime demonstrare, veræ pietatis, virtutisque studium in POLI molitionibus emicuisse, quibus scilicet is ipse scopus propositus erat, quo tendebant Fischerus, & Morus? Ambo Romanæ Ecclesiæ dogmatibus addictissimi, eorundem veritatem ad extremum usque spiritum defenderunt, quin ab ea ullo vel præmio, vel cruciatu proposito divelli sint passi. Horum capita hastis affixa satis loquebantur, ait POLUS lib. III. sui Operis, a cujus Ecclesiæ capite (Satanicæ nimirum) fuissent præcisa; ita, aio ipse, Volumina eorundem a POLO ibidem memorata satis loquuntur, quod de POLI Opere illo judicium forent laturi. Cum Duumviris istis Angliam multis sæculis, nec exteras etiam nationes habuisse, qui sanctitate, doctrina, & prudentia comparari possent, haud minus ferme quam POLUS, Erasmus pluribus Epistolarum suarum locis testatus est.

ACTA LIPSIENSIA.

IV. *Affirmat Illustrissimus* QUIRINUS, *clerum Anglicanum; & reliquos ordines regni Regem Henricum Ecclesiæ protectorem, unicum & supremum dominum, & caput nonnisi invitos & adactos agnovisse, quod de quibusdam quidem, non de omnibus dici potest*.

ANIMADVERSIO.

IV. Generatim loquutus sum, quoniam generatim loquuti sunt & Scriptores, quos laudavi, *Dico* (ita Regem POLUS suo in Opere compellat) *si ulla omnino suffragia habuisti, ea ab invitis expressa, & extorta fuisse, eoque non fuisse hunc novum titulum cujusquam voluntate, ne dum omnium Ordinum consensu tibi delatum*. POLO autem ita loquenti subscribere non dubitavit Rapinus Thoirasius *Histoir. d'Anglet.* T. V. I. XV.

 C'est

C'est (inquit) *de cette maniere que lo Roy acquit, ou plustot qu'il extorqua du Clergé d'Angleterre le titre de Supreme Chef de l'Eglise Anglicane*. Hæc ipsa Thoirasii verba exscribit N. Tindal in Opere, *Remarques Historiques & Critiques sur l'Histoire d'Angleterre de M.r Rapin de Thoiras*.

ACTA LIPSIENSIA.

V. Notaverat Schelbornius, consilium de emendanda Ecclesia, in quod Sturmius calamum strinxerit, POLUM *una cum aliis Cardinalibus, jubente ita Paulo III. concepisse, ac scripto consignasse, inque indicem librorum prohibitorum relatum esse.* QUIRINUS *hoc ita diluit: Sententiam Indicis non tam fuisse directam in consilium, quam quidem in ea, quæ in Germanica editione eidem adjecerint Sturmius, cum vel Cochlæi discussio vindiciarum Sturmii eodem infortunio sit affecta, quandoquidem Censores nullas omnino in consilium istud annotationes, quales etiam fuerint, probare voluerint. Antonii Bruccioli Italicas Bibliorum versiones jure proscriptas esse, in easdemque Justum Fontaninum merito invehi, docet, non autem ipsius Dialogos notari. Crimini dederat* POLO *Schelbornius, quod Carolum V. Imp. & alios Principes Christianos adversus Henricum concitare, sicque ipsum, & regnum illius in discrimen adducere, sit annisus. Contrarium demonstrare annititur Noster, causatus, scriptum illud ad Imperatorem, aliosque Principes, nunquam fuisse missum, nec alio spectasse, quam quo Henricus sanioribus consiliis aurem præberet. Sed sit ita,* POLUM *non scripto id egisse, quorsum spectaverunt hujus legationes, nonne ut Imperatorem, aliosque Principes adversus Regem & regnum Angliæ armaret? Et, qui in alium omnia convicia impotentia quadam animi conjicit, illumne sibi adjunget, ut se illi facilem, & benignum præbeat?*

ANIMADVERSIO.

V. Innocuas omnino fuisse POLI Legationes, ipsemet apertissime declarat his verbis in Epist. Apolog. ad Reg. Eduard. *Cum utroque autem Principe* (Cæsare Carolo, & Rege Francisco) *sic egi, ad id utrumque semper hortatus sum, ut amoris & amicitiæ rationem potius adhiberent, qua amicum & fratrem graviter lapsum erigerent, erectumque in regio statu confirmarent, quam ut odii, & inimicitiarum armis uterentur*

rentur, quibus eum opprimerent, atque spoliarent. Hoc ego nunquam profecto volui, neque cum illis egi: sed intelligens, quantum eorum vel auctoritas in tam honesta, piaque causa valere posset, ab utroque id contendi, ut omni auctoritate, & gratia apud illum niterentur, ne diutius in sua a communi omnium matre Ecclesia defectione perseveraret, neque a reliquis Christianis Principibus hac in re sejunctus esse vellet. Quod si, tentatis omnibus amoris, & benevolentiæ officiis, nihil se proficere viderent, tum quidem non negabo, suasisse me, ut minas etiam adderent, & ab omni cum eo usus & commercii genere prorsus abstinerent. Ne vero quis dicat, POLUM in ea Epistola alloquentem juvenem Regem, fucum huic facere voluisse, quod idoneum ipsum censeret, qui excusationes parum justas, ac legitimas acciperet, alia ejusdem afferam verba, quibus pares sensus, dum eas Legationes obiret, explicavit Viris sibi amicissimis, Sodalibus suis, Pontificiæ Curiæ Administris, quibus utique quæ aliis celanda putasset, haud fieri potest, quin sine fuco, & nuda cum veritate patefaceret. Ad Rodulphum Cardinalem Carpensem, dum Sedis Apostolicæ negotia apud Franciscum Regem curaret, ita scribit: *Quid enim aliud mihi mandatum est, nisi ut Insulam fluctuantem in dogmatibus Fidei, & propterea tumultuantem, ac in omne genus seditionis erumpentem, cum summo Ecclesiæ damno, propter nobilitatem illius membri, quod cæteris exemplum veræ, & stabilis Religionis solebat esse, quantum in me esset, qui ex illis essem, omni ratione curarem, ut in antiquam stabilitatem reduceretur, unde Regno quies, & salus, & Regi ipsi honor, & Ecclesiæ pax, ad Christi gloriam consequi posset? Hic certe finis meæ Legationis in his, quæ ad res Anglicas pertinent, fuit.* Et paulo post: *Certe cum ad Regem Christianissimum iter pararem, a cujus colloquio nunc excludor ejus opera, cujus salutem maxime expetebam; hanc solam viam mihi proponebam, in qua, ut ad id quod volebam pervenirem, maximam opportunitatem habere videbatur amicitia duorum illorum Regum; amicitia præterea Regis Christianissimi cum Summo Pontifice, & Christi nomine summa ejusdem obedientia, a qua*

quia

quia alter Rex jampridem defecerat, omnia hinc mala in illa insula erant orta. Ac maxime quidem idoneus videbatur ipse Rex Christianissimus, qui parem ordine Regem, eundemque amicitia sibi conjunctum, ad eandem, quam ipse sequebatur, obedientiam, ad eandem normam in omnibus iis, quæ ad religionis dogmata pertinent, sequendam hortari, & pertrahere, omnibus modis conaretur. De Anglicis vero seditionibus hæc subdit: *Quantam vero occasionem id ei persuadendi dabat motus ille populorum nuper in Anglia ob has causas excitatus? qui quamvis pro tempore sedaretur, tamen ille nunquam nisi constitutis rebus Religionis securus futurus esset, ut hoc ei consilium vel salutis, & incolumitatis suæ causa maxime sequendum videretur. Hæc quidem summa erat omnium, quæ mihi cum Rege Christianissimo, Angliæ causa agenda erant.* Tandem, POLO nullus carior, nullus amicior Contareno. Hic autem illius animo hoc testimonium perhibuit in literis ad ipsum datis: *Deum Optimum quotidie fere rogo, ut ex ejus animo aboleat omne illud, quod ipse non suasit, sed inimicus ejus acerrimus inussit, tibique, qui Regem semper, plusquam vitam tuam, amasti, & coluisti, adsit in hoc negotio, ut per te universa Ecclesia Christi, Rex tuus, ac universa Anglia patria tua, Deo gratias agat, Dei laudes decantet, cum videbimus inventam esse Margaritam, quam amiseramus, & reductam ad ovile Ovem pulcherrimam, quæ deerraverat.*

ACTA LIPSIENSIA.

VI. *Enumerat hinc viros doctrina, & vitæ sanctitate in Ecclesia Romana, tempore Pauli III. &* POLI, *ex ordine Purpuratorum, Antistitum & hominum religiosorum, conspicuos, quos cum illis, qui vivo Luthero novas de religione sententias in Germania propalarint, contendendos, imo illis forte superiores esse arbitratur: interim non it inficias, & illa, & adhuc nostra tempestate conquestos bene multos fuisse, labis haud parum adhærere Ecclesiæ, illamque emendatione indigere, propterea tamen vinculum consociationis dissuendum haud fuisse, nec in segreges cœtus discedendum, concludit.*

ANI-

ANIMADVERSIO.

VI. Quo loco comparationem illam institui, Adversarium oculos convertere rogavi ad inspiciendum, qualis, quantusque fuerit proventus sanctissimorum, & doctissimorum hominum in Italia, quo tempore Lutherus, aliique Novatores novas de religione sententias publicarunt, ac luce meridiana clarius patere contendi, Catholicarum partium antesignanos, præstantissimos scilicet eos Viros, quos Paulus III. undique conquisitos collegit, purpura ornavit, Christianæ Reip. gubernaculo admovit, tot tantisque virtutibus enituisse, ut de ipsis comparatis cum Luthero, aliisque Sectariis merito dicendum foret quod de Œcolampadio comparato cum priscis Catholicæ doctrinæ propugnatoribus scripserat Sadoletus ad Bonifacium Amerbachium, Basileensem, *Quibus* (inquit) *ipse Œcolampadius profecto nec sanctitate, nec doctrina fuit par*. Alibi vero, scilicet in Epistola ad Virum Clarissimum Jo. Jacobum Breitingerum 25. Januarii 1748. capta occasione ejusdem comparationis faciendæ recitavi locum ex A. Gellii Noctibus Atticis l. XIX. c. XII. ubi scilicet hominem Thracium inducit, qui ex ultima Barbaria in cultiores terras adveniens, ruris colendi inscius, disciplinam hanc se edidicisse putavit, quod vicinum vidisset rubos late, atque alte obortos excidentem, ut ager mundus, purusque fieret, ejusque arbor, atque vitis fœcundior; unde ad prædium suum statim reversus, capta manibus falce, ac securi vites suas sibi omnes, & oleas detruncavit, fruteta, atque virgulta simul cuncta, pomis, frugibusque gignendis felicia, cum sentibus, & rubis purificandi agri gratia convulsit, *mala mercede* (ita eam narrationem Gellius concludit) *doctus audaciam, fiduciamque peccandi imitatione falsa eruditus*. Hoc ergo apologo castigandam censui Sectariorum in adhibenda falce pro resecandis Ecclesiæ vitiis temeritatem, atque inclementiam. Eos profecto (ibidem subdidi) oportebat a sanctissimi, sapientissimisque agricolis, cujusmodi Contarenus, Sadoletus, & POLUS, atque alii horum Collegæ, disciplinam rei rusticæ ediscere, aut saltem iis sese sociare, ut ager Ecclesiæ mun-

mundus, puriorque fieret, ejusque arbor, atque vitis fæcundior.

ACTA LIPSIENSIA.

VII. *Sequuntur jam Monumenta præliminaria hujus Voluminis. In præfatione ad Lectorem differit Emin.* AUTOR 1.) *de vita* POLI, *quam ex Italica descriptione Ludovici Beccatelli in latinum sermonem convertit Andreas Dudithius, cujus indolem, doctrinam, virtutes dilaudat, sed dolet, laudes eum suas miserandum in modum Catholicæ religionis desertione fœdavisse*; 2.) *de Apologia ad Carolum V. Imp., quam procemii loco Operi de Unitate Ecclesiastica præmiserat, consignata, postquam A.* 1538. *dirum excommunicationis carmen a Paulo III. in Henricum evulgatum erat. Num vero verborum acrimonia, qua Henricum insectatur, & consilium Imperatori datum, Regem armis persequendi, si aliter malo mederi nequeat, & quod plus periculi ab illo sit metuendum Ecclesiæ, quam ab ipsis Turcis, hac ratione excusari queat, quod loquatur non sua, sed Ecclesiæ voce, quæ ejus ministerio utebatur, & ex munere, injunctio ipsi a Dei Vicario, viderint alii. Agit.* 3.) *de altero Proœmio, cujus partem, quam Codex MStus Vaticanus exhibet, tertio loco inter præliminaria Monumenta reposuit. Directum est ad Jacobum, Scotiæ Regem, quem ob constantiam in avita religione prædicat, monens eum, ut ab insidiis Henrici sibi caveat.* 4.) *De Apologia Reginaldi* POLI *differit. Subjicitur Hermanni Sam. Reimari, V. C. ad Angelum Mariam Cardinalem* QUIRINUM *Epistola de libro ipsius, ad Reginaldi* POLI *gesta pertinente, quem multa laude prosequitur, ab omni tamen judicio de controversiis religionis pro moderatione sua abstinens.*

ANIMADVERSIO.

VII. Quod POLUS quæcumque gessit Pontificii Legati muneneré insignitus, gesserit nomine non suo, sed Pontificis tantum, & Ecclesiæ, id utique apertissime ostendit, evincitque, criminationem odii *Vatiniani*, & *Novercalis* a Schelhornio adversus eundem contortam evertere semetipsam; quod certe nemo est, qui non viderit.

ACTA LIPSIENSIA.

VIII. *Sed, missis Prolegomenis, nos ad opus ipsum accingamus. Illo primum comparet Vita Reginaldi* POLI. *Hic illustrissima prosapia, quæ & paterno & materno sanguine Angliæ Re-* ges

ges attingebat, A. 1500., mense Martio, est procreatus. Patre ipsi puero, præcipitato fato, prærepto, mater ipsum Londini primum, inde in Cartusianorum Collegio, non multum ab urbe dissito, omni literarum genere erudiendum curavit, in quibus adeo profecit, ut pæne puer disputationem publicam & solemnem, cunctis plaudentibus, habuerit. His rudimentis ad summa quæque præparatus, cum miro literarum elegantiorum amore flagraret, regia munificentia adjutus, decimum nonum ætatis annum agens, Patavium contendit, ibique & cum summis viris amicitiam conciliavit, & præcipuos quosque doctores sedulo coluit. Quinquennio in Italia exacto, in patriam est reversus, atque a Rege, & Regina, præcipuaque Nobilitatis flore, multa cum gratiæ & benevolentiæ demonstratione est exceptus. Sed, ubi Henricus Catharinam repudiasset, tempestates imminentes prospiciens, Parisios abiit. Exacto ibi anno in Britanniam redux, Rex, amplissimis præmiis propositis, ipsum ad partes suas pertrahere allaboravit, sed a constantia sua se dimoveri non est passus. Quare Regem ita percitum videns, impetrato ab illo per amicos annuo stipendio, Avenionem primum, inde Patavium & Venetias est profectus. Cum Rex supremum se Ecclesiæ Anglicanæ caput appellasset, ipsius sententiam per literas requisivit. Scripsit igitur quatuor Libros de Unitate Ecclesiæ. Ab hoc tempore in luce Ecclesiæ Romanæ esse cœpit. Primum adscriptus est societati illorum, qui de reformanda disciplina consultationem instituerant, postea A. 1536. d. 11. Cal. Jan. a Pontifice Paulo III. Cardinalis est renuntiatus. Diversas legationes in causa Angliæ obiit in Galliam, Belgium, ad Carolum Imperatorem, & in Hispaniam, sed quæ prospero fere eventu caruerunt. Cui ut gratum animum testaretur Pontifex, ipsi legationem Viterbiensem detulit, eundemque Tridentum ad Concilium ablegavit. Mortuo Paulo III. parum abfuit, quin Pontifex fuisset creatus, Gallicanis Cardinalibus obnixe intercedentibus, ne partes Cæsareanæ novo hoc incremento invalescerent. Cum, Eduardo Rege præmature mortuo, Maria in regni solium eveheretur, illaque matrimonii societate cum Philippo Hispano jungeretur, qui Pontificiam religionem revocabat, POLUS *rogatu Regis ac Reginæ Britanniam, qua legatus Pontificis, repetiit. A primo igitur statim adventu decreta, contra Pontificem & religionem Catholicam lata, abrogavit, regnum in fidem & obsequium Præsulis Romani recepit, eaque omnia fecit, quæ ad reducendos ritus Romanos spectabant. Post a Regina Archiepiscopus Cantuariensis declaratus, convocavit Concilium in urbe Londinensi, in quo de disciplina Ecclesiastica instauranda, & sacris ad morem ri-*

tuum Romanorum reducendis, est actum. Qui obnitebantur, vel blanditiis sunt pellecti, vel pœnis plexi, ex quibus Thomas Cranmerus, Præsul quondam Cantuariensis, vivus flammis est absumptus. Quanto vero cunque studio res Pontificis in Anglia promotas cuperet Polus, *non tamen optimam gratiam reportavit. Dissensiones inter Philippum & Pontificem exortæ, in apertum bellum proruperant; arbitrum igitur se interposuit, & hunc sui officii admonuit* Polus. *Hoc Pontifex adeo indigne tulit, ut legationem ipsi abrogaret, eundemque Romam ad se purgandum arcesseret. Quo minus autem res effectui daretur, Regina suis effecit monitis. Ipse* Polus *certum hominem Romam, qui de objectis sibi criminibus responderet, ablegavit. Interea Regina, multa ægritudine & morbis confecta, A. 1558, 17. Cal. Dec. inopinato decessit, cumque ipso illo tempore* Polus *ex febri gravissime laboraret, nuntio hoc accepto, insequenti die pariter fato est functus, natus annos 58, menses 6. Subjicit descriptionem habitus corporis, morum, virtutum, dictorum, factorum, studiorum, familiaritatum, itemque recensionem scriptorum ipsius, tum quæ edita sunt & absoluta, tum quorum tantum lineos aliquas duxit, & fragmenta reliquit.*

ANIMADVERSIO.

VIII. Polus, quem doctrina, consilio, rerum gestarum magnitudine, virtute, enixissimo Ecclesiam Romanam juvandi, amplificandique studio insignem admodum fuisse, fatentur, ut supra vidimus Acta Lipsiensia, nulla tamen re insignior fuit, quam morum sanctimonia. Liceat itaque mihi jamjam allatæ Synopsi ejus vitæ splendidum pannum assuere, ex quo nimirum eadem sanctimonia adeo elucebit, adeo omnium oculos perstringet, ut pudore oppleri necesse sit quotquot sunt ausi Viro illi malignius obstrepere. Eximiam, & vere cœlestem Poli fuisse virtutem innumera sunt documenta, quæ contestentur, & præsertim ejus Epistolæ pleræque omnes; at ne longior sim, quam constituti meis istis Animadversionibus fines permittunt, unum tantum seligam, quod utique ad illam manifestissime comprobandam sufficiet, vitæ scilicet, quem Polus mirifice præsetulit, ut Christo, ejusque Ecclesiæ inserviret, contemptum. Vix ille purpureum a Paulo III. galerum acce-

pe-

perat, quum in Galliam primo, deinde in Belgium commeavit Anglicæ Legationis munere ab eodem Pontifice insignitus. Adeo tamen longe abfuit ab ea obeunda, ut plures menfes partim Cameraci, partim Leodii otiofus infumere adactus fuerit, haud fine vitæ fuæ difcrimine ex infidiis, quæ adverfus eandem ab Henrico Rege Britanniæ parabantur. Primam earum Urbium poftquam adiifset, ad Pontificem ita fcripfit: *Munus vero meum eft qui Cardinalis fum, & in Sacrum illud Collegium cooptatus, nullum ut periculum pro Capitis Ecclefiæ honore, & ipfius Ecclefiæ utilitate recufem, fed ultro etiam, & libenter, fi ita opus fit, omnia pericula oppetam, nulla habita falutis meæ, & vitæ ratione. Hoc enim patrimonium eft, quod nobis a magnis illis Ecclefiæ Cardinibus Apoftolis, quorum fucceffores effe gaudemus, eft relictum, qui univerfam mundi potentiam contra fe, dum Chrifti, & Ecclefiæ honori, & commodo fervirent, provocare non dubitarunt. Hæc quidem in animo meo Chriftus, antequam in facrum hunc Ordinem cooptarer, impreffferat, &, poftquam fum cooptatus, eadem fuggeffit, & antequam Roma egrederer, omnia hæc pericula ante oculos pofuit, in quibus fi nunc exercere me illi placeat, quid eft quod timeam? quid eft quod non potius gaudeam?* Earundem infidiarum admonitus Pontifex decrevit POLUM in Italiam revocare: *Multum tibi timet* (ait Contarenus de Pontifice loquens) *in iis regionibus degenti, quem cenfet fumma diligentia fervandum effe, veluti pretiofum thefaurum, ut ejus verbis utar, cum aliis rebus, ac commoditatibus Ecclefiæ, tum melioribus temporibus; ideoque appetentibus etiam Calendis Novembribus, quibus indictum Concilium eft, reor, eum decreviffe, ut ad nos tuto redeas.* At POLUS ad Chrifti caufam facere exiftimans diuturniorem fuam in eis regionibus commorationem, Contareno fortiter refpondit: *Nec vero de indignitate eft timendum, cum nihil magis dignitatem tueatur, quam quod aufi fumus, & audemus contra tot minas in his locis fubfiftere, in quibus caufæ adverfarius minime omnium nos manere velit, & ejecturum minatur. Quod fi nunc difcederemus, etiam ejeciffe gloria-*

 re-

retur. Sed hoc non tanti existimandum est, quid ille aut dicat, aut glorietur, nisi eadem res multorum bonorum animos magis fortasse quam quicquam eorum, quæ hactenus contra illorum spem acciderint, dejiceret. Æque intrepida alacritate POLUS, ut Pontifici pareret, itineri se dedit, eamque declarant literæ, quas ad Eundem dedit, nam in iis hæc leguntur: *Quod reliquum est, cum quantum erit in nobis procuraverimus ad itineris securitatem (ne, si aliter faceremus, ut nunc sunt tempora, temere nos processisse videri possemus) alacres, ut spero, postea nos itineri dabimus, præsertim cum hac primum spe nos consolati fuerimus, si quid adversi acciderit, id nobis Dei voluntate accidisse, & ob ejus causam pati, & cum Dei filio compati. Quod si compatiamur, & conregnabimus.* Talem, tantamque animi tranquillitatem POLUM secum in Italiam detulisse, fidem pariter ipsemet facit in Epist. ad Camillum Ursinum Romæ data 14. Januar. 1538. *Cum non modo mihi domum non relinqui, ubi caput reclinarem (quod nescio an ulli unquam Legato Vicarii Christi in provincias Christianorum Principum contigit) sed omnibus insidiis exponi videbar, quas non cessavit in me tendere, qui refugium horum Principum interclusit; cum sic ab omni humana ope destitutus videbar, jam testor totius consolationis fontem, ea in re, in qua omnes, qui mecum aderant, consensuros scio, sic animo non dejiciebar, sic nec dolorem, nec tristitiam mea de causa sensi, ut mihi quidem viderer, cum terris me Principes excluderent, in curru illo igneo tolli, & cum illo Propheta supra colles, & montes vehi, ubi nemo me lædere, nemo molestiam afferre potuit. Securissime certe me illud tempus totum traduxisse, qui comites mecum fuerunt, facile videre potuerunt. Quæ quidem securitas duravit usque dum pericula illa evasissem, & ad eos pervenissem, ubi nihil non securum suspicari potui, idest usque dum in Italiam rediissem.* Sanctam hanc animi firmitatem POLUS toto vitæ suæ tempore nunquam deposuit, quare in hæc verba, quæ refert ejus Vitæ Scriptor, erumpere non dubitavit: *Errat Rex, qui meæ propterea vitæ in-*

insidietur, quod magno me aliquo malo affectum iri existimet, cum potius contra eventurum sit; mihi enim hisce insidiis nil aliud quam quies quæritur; similiterque Rex facit, ut si quis dormitum iri cupienti vestem ipsam velit detrahere. Tandem (ut reliqua omittam) pares omnino sensus, sancto Cardinali admodum dignos, protulit in Epist. ad Davidem Betonium, recens inter Cardinales a Paulo III. cooptatum, his verbis inculcans exemplum nobis traditum a Christo Ecclesiæ Sponso, *Qui, ut ejusdem maculas abstergeret, sanguine eam suo preciosissimo lavit, cujus exemplo, qui Dominus est omnium, nos pro eadem sanguinem fundere semper parati esse debemus. Cujus rei nos inter alia maxime vel vestimentum ipsum nostrum nos admonet, unde nos si aliquis, ut Propheta ille, interroget: Quare rubrum est vestimentum tuum? hoc solum habemus quod respondeamus: quod Christus fecit: quod nos factis potius, quam verbis respondere decet. Id quod sperare de Reverendissima Dominatione Vestra, & mihi firmiter polliceri non dubitabo*. Sanctissimum hoc Poli monitum Cardinalem Scotiæ animo suo bene fixum gessisse, sanguis ab ipso post aliquot annos pro Catholica fide fusus manifeste comprobavit; eoque certe promeritus est, ut in Catalogo Cardinalium ex fama Sanctitatis illustrium, qui in sapientissimo Opere de Servor. Dei Beatif. & Beator. Canoniz. l. III. c. XXXIII. exhibetur, ipse pariter locum, eumque non ultimum, nanciscatur, quemadmodum suum ibidem nactus est Cardinalis Joannes Fischerus. Quot, quantique Scriptores honorifico Martyris titulo appellarint Davidem Betonium, & quam validæ præterea sit conjecturæ, seu potius confirmationes ejus honoris eidem a Deo impertiti, docet luculenter Historia Cardinalium a Donio d'Attichy, Episcopo Æduensi, collecta, cujus Tomo III. Vita ejusdem Betonii continetur, ibique Cardinalis S. Stephani in Monte Cœlio, Archiepiscopus Sant-Andreanus, Episcopus Mirapicensis, & demum Martyr inscribitur, atque in eadem disertis verbis affirmatur, argumento irrefragabili colligi, vere Martyrem dici posse Cardinalem Betonium.

Car-

Cardinali quoque Polo ad ſubeundum Martyrium, cujus hortatorem ſe Betonio præbuerat, non animum, ſed occaſionem defuiſſe, ſexcenta Epiſtolarum ejus loca, præter ipſius Vitam, evincunt; Confeſſoris autem nobiliſſimi titulum eidem deberi, nemo certe diffitebitur, nec etiam locum in eo ipſo Cardinalium Catalogo, de quo ſupra.

ACTA LIPSIENSIA.

IX. *Sequuntur jam ſcripta* Poli, *& quidem* 1) *Apologia ad Carolum V. Cæſarem ſuper IV. Libris, a ſe ſcriptis, de Unitate Eccleſiæ. In illa explicat & propugnat, quæ ante IV. Libris contra Regem Henricum ſcripſerat, poſtquam is ſupremi Capitis Eccleſiæ in regno nomen ac dignitatem aſſumſerat. Quanta ipſum vehementia aggrediatur, apparet ex ſequentibus. Poſtquam Rex a Pontifice hoſtis Eccleſiæ declaratus erat, recepit, ſe facturum, ut apud Principes ejus nequitia ſic pateret, ut aperte cognoſcerent illum multo graviorem hoſtem Eccleſiæ eſſe, quam Turcam tyrannum; & ſi alter bello eſſet perſequendus, multo juſtius contra illum arma convertenda, quam contra Turcam, ut e quo major pernicies. Nec multo poſt, ſe Cæſarem a bello Turcico abducere conari, &, quantum poſſit, ſuadere, ut arma ſua eo convertat, ſi huic tanto malo aliter mederi non poſſit, quo ipſum major Eccleſiæ neceſſitas vocet. Verborum duritiem eo excuſat, quod ſe voluntate Dei, & nutu Pontificis, qui vicem Dei gerat, impulſum eſſe ſentiat. Ubi ſe Caput Eccleſiæ in regno appellari voluerit, crimen omnium graviſſimum admiſiſſe, ſeque judicio divino expoſuiſſe. Qui ipſius lapſus eo gravior, quo majora divinæ benevolentiæ indicia in ipſum ante exſtiterint, pietate in Deum, multiſque aliis virtutibus, egregie eluxerit, ut etiam adverſus Lutherum pro cauſa Eccleſiæ calamum ſtrinxerit, indeque titulum Defenſoris fidei promeruerit. Statum regni quietum turbaſſe, ubi filiæ, omnibus virtutibus regiis illuſtri, in pellicis gratiam jus ſucceſſionis eripuerit, Achabo ſimilem factum, qui ad nutum Jeſabelis ſe totum compoſuerit, conjugem obtentu voluntatis divinæ thalamo ejecerit, ſe impio auſu Caput Eccleſiæ dixerit, populum nimiis exactionibus exhauſerit, monaſteria expilarit, & illorum ultra trecenta & ſexaginta funditus everti curarit. Porro, ubi inauditam crudelitatem in Epiſcopum Roffenſem, Thom. Morum, religioſos, alioſque conſpicuos & probos viros, exercuerit, Thomæ Pacqueti corpus, 300. annis ante trucidati, & Sanctorum cœtui adſcripti, terra erui, igne comburi, inque aerem cineres ſpargi, donaria,*

naria, mausoleo ipsius illata, diripi, & Augustini sepulcrum una cum templo & monasterio dirui, jusserit; fontem tantæ mutationis in Rege, cum ante virtuti studuerit, ait fuisse cupiditatem, qua in Bolenam fuerit raptus, quæ non ante corporis sui Regi copiam facere voluerit, quam se conjugem sibi, Catharina exturbata junxisset. Hinc cum adhuc legum vinculis & religione teneri videretur, hominem callidum, cui nomen Cromwello, ipsum oratione ad fallendum composita legum obligatione exsolvere allaborasse, & quantum emolumenti ad ipsum & regnum redundaret, si se obseqnio Pontificis subtraheret, prolixe ostendisse. Totam hominis orationem refert, &, quid in illa desideret, fuse declarat; qui cum innutritus fuisset principiis Machiavelli, in hujus doctrinam acriter invehitur, & quæ inde incommoda ad religionem, rempublicam, ipsos Principes, proficiscantur, oratione gravi significat. Equidem, Henricum simulandi artem probe calluisse & exercuisse, vel ipsa illa nihil aliud effecisse, quam ut omnes in ipsius actiones sint intuiti curatius, & latentia ipsius vitia detexerint, summi Numinis ipse vindictam & Pontificis ultionem provocarit. Queritur se ab ipso hostem & proditorem publice esse declaratum, in cineres Thomæ, in Sanctos, in innocuos sæviisse, jusjurandum de servanda religione susque deque habuisse, religionem, leges, sacramenta, mutasse, seque his facinoribus antichristum & Neronem, imo Nerone deteriorem, demonstrasse. Non igitur esse, ut quisquam vel Principum, vel aliorum, eum ipso amicitiam colat; esse potius, ut odio eum prosequatur, in ipsumque causa Dei & religionis insurgat. Odium, pergit, exercuisse in amicos, illisque mala multa intulisse, conjugi moribundæ ne quidem concessisse, ut filiam ante decessum suum complecteretur, eique gratiam divinam apprecaretur. Nec mitiorem se præbuisse Pontifici, Imperatori, Regi Galliæ, cum Germanis, de religionis negotio dissidentibus, amicitiam conciliare voluisse, quo illos in factione confirmaret, ne in pacis conditiones descenderent. Postremo se ad Deum convertit, eidemque Ecclesiam committit. Reges vero excitat, ut mala ab Ecclesia depellant; non minus ab hoc pertimescendum esse, exclamans, quam ab antichristo Mohammedico.

ANIMADVERSIO.

IX. POLI exclamatio, de qua in verbis jam jam allatis, hæc illa est, unde in furias veluti actus Sectariorum grex, *Clamores simul horrendos ad sydera tollit*. It autem facient, ut Adversariis, quod alibi egi, hic etiam regeram, in eo Ha-

Hadriani VI. Pontificis Scripto, Instructione scilicet, quam vocant, suo in Germaniam Nuncio Cheregato suppeditata, non solum damnari, ceu miseros Hæreticos, Lutheri asseclas, sed Lutherum ipsum, ceu Mahometem alterum. Scriptum vero illud tam magni fit ab Acatholicis, ut divinæ Providentiæ acceptum ferant, ipsum in lucem publicam emanasse, licet Romana Curia, quantum in ipsa erat, æternis tenebris, ajunt illi, addictum voluisset. Fateantur igitur, comparationem illam inter Lutheranos, & Mahumedanos, quemadmodum ab Hadriano Pontifice prodiit, quin iste insimulatus a quoquam fuerit adversus Germanos suos odii Novercalis, & Vatiniani, pari ratione usurpari potuisse a Reginaldo Polo absque ulla malevoli erga Henricum Regem animi labe. Amor, quo patriam suam Hadrianus prosequebatur, elucescit vel ex ipso ejusdem Scripti exordio, quod ita se habet: *In primis declarabis eis maximum dolorem, quo affligimur ex prosperatione sectæ Lutheranæ, ob id potissimum, quod videmus innumerabiles animas Christi sanguine redemptas, & curæ nostræ pastorali commissas illius occasione a vera fide ac religione averti, & in perditionem ire, idque in natione, ex qua nobis secundum carnem origo est, quæ ab initio, ex quo ad Christum conversa fuit, usque ad istos proximos annos semper extitit fidelissima ac religiosissima.* Reliquam omnem acerbitatem, quæ scilicet in ea Poli ad Carolum V. Cæsarem Apologia occurrit, optime conjungi cum ejusdem erga Regem suum studio, manifeste patet ex ejusdem Scripti conclusione, nam ibi hæc leguntur: *Verum hoc ad argumentum alterius libri adjungetur, qui hunc, Dei spiritu adjuvante, sequetur; quod quidem eo libentius aggrediar, quo magis scio, antequam hoc ostendere possim, mihi necesse fore ad illos fontes accedere, quibus nisi irrigetur Regni status, ut fructus aliquos felicis vitæ ferre possit, ne sperari quidem potest. Illuc autem jam pervenisse nimis cupio, ut aliqua tandem suavi oratione, quam ex illis expecto, quasi aqua mulso os abluam, qui præteriti sermonis acerbitatem nimis amaram, quasi absynthium, gustasse adhuc in ore sentio.*

Quo

Quo quidem genere ſcribendi, niſi cum neceſſitas cogit, non minus abhorreo, quam ſanus abſynthium bibere. Quare ut abluatur os aliqua ſuaviori oratione, nimis jam deſidero, quod ſtatim aderit, ut illas aquas attigero, ad quas ſcilicet veri honoris fructus, & potentiæ Regum, qui maxime eorum ſtatum ſuavem reddere poſſunt, & verum odorem felicitatis, nec alibi, me reperturum ſpero.

ACTA LIPSIENSIA.

X. *Legitur hinc Proœmium alterum ejuſdem libelli, a Reginaldo* POLO *tranſmiſſi ad Regem Scotiæ. Laudibus tollit conſtantiam Regis in priſca religione tuenda, cavere eum jubet ab inſidioſis libellis, aliam religionem, alias ceremonias, ſuadentibus, ex vicino regno ipſi ſubmiſſis, deſcribit denique artes Cromvvelli, quibus Henricum circumvenerit.*

ANIMADVERSIO.

X. Quemadmodum ad ſolum Henrici Regis bonum, ejus ſcilicet ſpiritalem, & temporalem felicitatem, ſpectaſſe deprehenditur POLUS in Proœmio, quo meditabatur Opus ſuum de Unitate Eccleſiæ Carolo Cæſari inſcribere, ita in Præfatione alia ejuſdem Operis Jacobo Scotiæ Regi deſtinata, non alios huic niſi Chriſtianæ pietatis ſenſus inculcavit, ut ab animæ ſcilicet detrimento, quod ei vicini Regis Henrici inſidiæ minabantur, caveret, nullo vero pacto ut eundem incitaret ad arma adverſus illum paranda. Quare ita ibidem loquitur: *Cum non ignorarem multas inſidias tuæ pietati jam factas, & plures quotidie ſtatui, hoc quidem, ſi quid aliud, ad meram erga Deum pietatem pertinere judicavi, & ad meum erga talem Regem amorem & obſervantiam, quo cum me non ſolum communis lingua, verum etiam ſanguinis propinquitas conjunxit, ſed ante omnia idem cultus Religionis, ac eorundem Sacramentorum, & Rituum communio, ut has inſidias, quæ cum honori Dei, tum ſaluti tuæ, & honori, tenduntur (quantum quidem in me eſſet) aperirem:* Mox refert glorioſiſſimum illius factum, quippe qui libros quoſdam ab Henrico magni muneris loco ſibi tranſmiſſos, & pretioſe orna-

 tos,

tos, ut primum lecta eorum inscriptione, compositos fuisse ad propugnandam Henrici ab Apostolica Sede defectionem intellexisset, illis ipsis adstantibus, qui attulerant, in ignem projecerit, satius esse dicens, eos a se comburi, quam præstito pravis, quas complectebantur, doctrinis assensu, æterni ignis periculum ipse subiret: O *vocem* (subdit Polus) *vere Catholico, & Christiano Principe dignam!*

ACTA LIPSIENSIA.

XI. *Ultimum inter Monumenta locum occupat Apologia Reginaldi* Poli *ad Angliæ Parlamentum. Suprema curia ipsum insimulaverat, ac si honorem Regis libello famoso prosciderit; ab illa igitur accusatione se defendit, ostendens, quicquid fecerit in salutem Regis fecisse. Scripsisse soli Regi, nec libri sui legendi cuiquam copiam fecisse. Inde justitiam causæ suæ demonstrat actionibus, quas in salutem Regis direxerit, nec crimini sibi verti posse, quod Romam abierit, ac galerum sibi oblatum, ex manibus Pontificis acceperit.*

ANIMADVERSIO.

XI. Qua de causa Cardinalatum Polus acceperit declarant hæc ipsius verba in ea ad Angliæ Parlamentum Apologia: *Sed adhuc* (ait) *vos magis Cardinalatus a me nunc susceptus videtur offendere, de quo nihil nunc dicam aliud præter hoc, quod Deo audiente dicam. Si aliquid in terris præter honorem vestrum, utilitatem vestram, me movebat, ut acciperem, me non recusare, ut a Cœlis perpetuo excludar.* Subdit tamen: *De reliquo, quod ad meam sententiam pertinet, hoc existimare debetis: si putetis eam ullo vel terrore, vel præmio mutari posse (maxime quod ad unitatem Ecclesiæ attinet, ut sit unus Pastor in Ecclesia militanti ad exemplar triumphantis, quam personam Pontifex Romanus gerit) non modo non patiar, eam mihi ab ulla creatura avelli, sed vel per calcatos parentes, si mihi resisterent, eam defendere sum paratus, quam nunquam relinquam. Vos nunc deliberate quid sit agendum. Videtis, quos fructus seditionum hæc nova dogmata pepererunt, quæ a juvenibus quibusdam temerariis sunt excitata ad antiquationem omnium veterum legum, & morum, & perturbatio-*

nem publicæ tranquillitatis ; quam si recuperare velitis, & una salutem Principis, cui omnes favere debemus, stabilire, non deerunt certe viæ, nisi vos eas aspernari velitis, quod nunquam de vestra prudentia judicare possum. POLUM obstitisse, ne sibi a Paulo Pontifice Cardinalatus deferretur, narrat, testis omni exceptione major, Beccatellus Vitæ ipsius Scriptor, cujus hæc sunt verba in eadem: *Ibi ego tum forte aderam; cum ille Pontificis mandatum exponeret. Re tam inopinata* POLUS *haud leviter perturbatus, non obscuram mæstitiæ significationem dedit; sed quoniam nullum longiori moræ, aut tergiversationi relictum locum videret, tanquam agnus coram tondente, novaculæ caput subjecit. Ita XI. Kal. Jan. M. D. XXXVI. Cardinalis renunciatus.* Et paulo ante idem Auctor hæc scripserat: *Unus omnium* POLUS *id minime probavit, libereque Pontifici demonstravit, alienum esse illud tempus, quo ipse Cardinalis fieret, propterea quod, quam tum in Anglia auctoritatem obtinebat, omnem prorsus amissurus esset hac dignitatis accessione; deinde suos omnes in extremum discrimen ob eam rem adductum iri. Quare petere, atque orare, ne quid tale de se tum cogitaret; ejusmodi aliquando fortasse tempus futurum, cum id commodius multo facere posset.* Summa animi constantia idem POLUS ante quatuor annos Archiepiscopatum Eboracensem, & Episcopatum Vintoniensem a Rege Henrico sibi oblatos recusaverat.

ACTA LIPSIENSIA.

XII. *Comparet jam Eminentissimi* PRÆSULIS *ad primi hujus Voluminis Epistolarum Reg.* POLI *Diatriba, sex Capitibus distincta, quibus quicquid pertinet ad vitam, scripta, & in Ecclesiam merita, Reg.* POLI, *copiose, maxime vero ex ejusdem Epistolis, illustratur, additis hinc inde, quibus omnis illius temporis historia explicatur, doctissimis, lectuque dignis, observationibus.*

Ad ipsas jam Epistolas accedimus, quæ in primo Volumine sunt numero XLVI., partim ab amicis ad POLUM, *partim ab ipso ad illos, exaratæ. Illæ ut plurimum sunt officiosæ, subinde tamen quædam notatu digna occurrunt, quorum aliqua in medium adducemus. Epistola XI, Erasmus de Luthero queritur:*

Lutherus, offensus mea diatriba, modestissime disputante, scripsit in me magnum volumen, quale nemo feriberet in Turcam. Huic ex parte respondimus. Nam sero volumen illius nacti sumus. Ego ille pacis & quietis amantissimus, cogor esse retiarius, nec hoc satis, cogor θηριομαχεῖν. *Gasp. Contareno Epistola XXII. scribit* POLUS *de libro Episcopi Vintoniensis, cui titulum fecerat de Obedientia, in quo Regem præcipuum caput Ecclesiæ Anglicanæ asseruerat, Pontifici vero omnem autoritatem abrogarat, ab illo multum mali ad alios manaturum esse, cum ab eo sit profectus, qui jus Pontificis vindicare debuisset. Librum suum adversus Sansonem de Pontificis Romani primatu mittit Epistola XXV. ad Contarenum, rogitans, ut, si quæ emendanda ipsi viderentur refingeret; nec diffitetur, se acerbius in Regem scripsisse, sed & illa ipsius arbitrio permittit. Quod duriter in Regem scripserit, Epistola XXVI. ad Aloysium Priolum defendit, quoniam ad meliorem mentem reduci non posset, nisi peccata ipsi sua dilucide ob oculos ponantur, maxime cum lenia remedia adbuc nil quidquam effecerint. Librum suum adversus Regem Pontifici ostendi, & ab illo aliqua legi, non probibet Epistola XXVIII., modo ne id fama dimanet in Angliam, illum ante a Pontifice lectum fuisse, quam ad Regem delatus esset. Epistola XXXI. refert de Cæsaris adventu in urbem, optat, ut congressus ille Ecclesiæ sit salutaris, ceuset, rationes belli gerendi utilitatibus Ecclesiæ anteferendas non esse. Epist. XXXII. commemorat, a Rege sibi significatum esse, ut in patriam, & ad aulam revertatur, quo melius de quibusdam rebus cum ipso agere possit; boc vero, nisi Rex ad Ecclesiam se recipiat, detrectavit. Cum Rex aliquam spem ad Ecclesiam redeundi ostendisset, monet Epist. XXXIII., quid Pontifici Max. in tantæ rei negotio incumbat. Contarenus Epist. XXXVI. dissuadet, ne, invitatus etiam abs Rege, in Britanniam redeat, seque præsentissimo periculo exponat. Epist. XXXIX. Paulus III. Pont. Max. ipsum Romam arcessit, ut una cum aliis viris doctis & piis de Concilii habendi ratione deliberet. Epist. XLV. significat Contareno, literas sibi ex Britannia a Cromvvello, & Tunstallo, Episcopo Dunelmensi, missas esse, qui iram Regis denuntiarint, ni præpropere in regnum remigraret, & dissuaserint, ne Romam cogitaret; rogat igitur, ut super bac re Pontificis sententiam requirat.*

Ant-

ANIMADVERSIO.

XII. Ex Epiſtolis numero XLVI. quæ primum Editionis meæ Volumen conſtituunt, ne unam quidem eſſe reor, cui locus aſſignari valeat inter mere officioſas. Priores ſeptemdecim, quæ leguntur inter editas Longolii, Bembi, Eraſmi, & Sadoleti, ingentibus utique laudibus POLUM exornant, at una ſimul Literarum ejus temporis hiſtoriam magnopere illuſtrant. Reliquæ omnes ex Vaticanis Codicibus MSS. nunc primum lucem aſpiciunt, & ſuſceptos a POLO labores in componendo Opere, *Defenſio Unitatis Eccleſiaſticæ* diſtincte declarant. Teſtantur pariter ejus tam modeſtiam in ſubmittendo Opus illud judicio Cardinalis Contareni, quam anxiam ſedulitatem, ne cuivis omnino, præter eundem Contarenum, Priolum, & Beccatellum, innoteſceret, antequam ad manus Henrici Regis, cujus tantum gratia, & imperio etiam conſcriptum fuerat, perveniret. Deſinunt tandem in iis enarrandis, quæ ſpectant ad Romanum iter, cui POLUS, ægre tamen, ſe dedit, ut Paulo III. jubenti pareret. Poſtrema omnium auctorem habet Gregorium Corteſium, ſcriptaque viſitur, poſtquam POLUS Romam intraſſet, operamque ſuam una cum aliis præſtantiſſimis Viris poſuiſſet in negotio Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurandæ, iiſdem Pontificis illius auctoritate demandato. Argumenta hujuſcemodi in Epiſtolis, quarum eſt ſermo, accurate digeſta, earundem momentum, & pondus declarant, non vero urbanas tantum, ut cum Salluſtio loquar, munditias enuntiant.

Primum, quod ceu notatu dignum ex iis Epiſtolis Acta in medium adducunt, locus eſt literarum Eraſmi, quo iſte queritur, Lutherum adverſus ſe, qui modeſtiſſime diſputaverat, magnum volumen edidiſſe, *quale nemo ſcriberet in Turcam*, iſque locus novo documento eſt, a me jure optimo ſuperius uſurpatum fuiſſe verſiculum, *Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?* Ex Epiſt. XXX eadem Acta paucis perſtringunt POLI votum, ut adveniente Cæſare ad Urbem congreſſus ille Eccleſiæ ſit ſalutaris, neve rationes belli gerendi utilitatibus Eccleſiæ anteferantur. At digna cedro eſt Epiſtola illa integra, qua POLUS valide inſtat, ut

Cæ-

Cæsarei illius adventus occasione utens Contarenus causam Dei agere suscipiat haud minus fortiter, quam eandem egit S. Ambrosius cum Theodosio Imperatore. *Sed desunt Ambrosii*: (hæc habet inter cætera in ea Epistola POLUS ad Priolum) *Et possunt ne deesse vivo Contareno non minus ipso ex insperata Dei voluntate in Ecclesiæ cardine posito, quam Ambrosio ad Ecclesiæ curam vocato, paribus Dei donis prædito, & non minus huic novo Theodosio nostro charo, quam antiquo fuit ipse Ambrosius? An ergo ille has partes Ambrosii peragere dubitarit, ut Cæsarem de suo honore, vel potius Dei honore, Ecclesiæ utilitate, & suo officio moneat? At hic minime prudentis hominis partes essent, in tanto belli furore, cum uno potentissimo hoste nimium prematur, id consilium dare, per quod alter, etiam ipse valde potens, contra eum irritetur. Sed quid Contareno hac in causa cum prudentiæ partibus? Non deerunt alii, qui has partes agent. Hæc vero non sunt tali tempore partes ejus; Dominus est pars ejus, agant alii prudentiæ partes: agat ille suam, & cum Cæsar utrasque audierit, tum faciat, quod sibi in mentem Deus immiserit. Hæc quidem, si minore veneratione Contarenum Cardinalem haberem, quam Ambrosium Episcopum, si vivum cognovissem, nunquam scripsissem. Sed quia æque veneror, propterea scribo.*

ACTA LIPSIENSIA.

XIII. *Negari quidem nequit* POLUM *summo ingenio præditum fuisse, & pro cogitationum varietate, quæ animo ipsius se simul ingesserunt, orationem ipsius fluminis instar decurrere, ut ad Asiaticam luxuriem proxime accedat; sed ardor iste, quo in supremam Pontificis Romani dominationem ferebatur, ipsum præpedivit haud raro, ut non reputaret, quibus argumentis decertaret, & adversarios suos non tam rationibus convincere allaboraret, quam conviciis protereret. Chartæ nitor & typorum elegantia Opus hoc commendant, mendæ studiose sunt sublatæ, subinde tamen quædam minus recte scripta, & quæ sensum turbant, occurrunt.*

ANI-

ANIMADVERSIO.

XIII. POLUM suo in Opere supremam Romani Pontificis dominationem statuentem, haud raro non reputasse, *quibus argumentis decertaret, & adversarios suos non tam rationibus convincere allaborasse, quam conviciis proterere*, quisquis existimet, sciat, se nimis quam refragari judicio, quod tulisse de Tractatu illo comperimus doctissimum, ac sapientissimum Cardinalem Contarenum. Idem POLUS de eo judicio commonitus per literas ejusdem Contareni, ita reposuit: *Scriptorum vero meorum eam partem perlectam a te esse, in qua de Primatu Summi Pontificis, ego valde gaudeo, præsertim cum eam tibi non displicuisse, sed vehementer probari, non solum ex tuis ad me literis, quam ex tuis ad Mathæum Dandalum intellexerim, atque in ea parte maxime fuissem incertus, ne Ecclesiæ causam defendendo, aliquid me subterfugeret, quod cum Ecclesiæ sententia non usquequaque conveniret. Qua cura me liberatum jam esse, cum a te sic probetur, mihi prorsus polliceor.* In hoc maxime argumento, supremæ scilicet Romani Pontificis potestatis, Contareni auctoritatem contemni nullo modo debere censeo, postquam novimus, eum ipsum auctorem esse Epistolæ, cujus magnam partem alibi laudavi, qua nimirum Paulo III. inculcatur, ne Jurisperitorum extra debitos limites eandem potestatem amplificantium sententiis aurem præbeat. Ipsius Contareni auctoritas magni facienda etiam est in eo judicio, quod protulit de Stephani Vintoniensis Episcopi libro adversus Romani Pontificis Primatum composito. *Scribis* (ait POLUS in Epistola ad Contarenum data) *te Stephani librum, quem ad te misi, perlegisse, & tibi videri non sine summo artificio scriptum, sed argumentis levissimis contextum. In quo quidem tibi valde assentior, artificiose scriptum esse. De hoc uno libro, ac de ejus authore id judicium facio, quod in proverbio de bono aleatore dici solet iis verbis, aleatorem quo meliorem, eo nequiorem esse. Eodem modo de hoc Scriptore, quo artificiosius malam causam tractavit, eo nequiorem esse judico. Quanta vero nequitia abundet, vel hoc maxime declarat, quod cum artificiosissime scri-*

scribat, nec eam celare, nec proditam ulla vel minima honesti umbra tegere possit, ut sui & maxime accusator, & proditor esse existimandus sit, quemadmodum conclusio libri manifeste declarat. Quare contra hos ne opus quidem esse video, ut quis scriptis se adversarium profiteatur, cum ipsi sibi maxime sint adversarii, vel si quod ipsi afferunt, eo tantum spectet, ut quam facile admodum dilui posset. Ita Polus Contareni judicio illi subscribens,

ACTA LIPSIENSIA.

XIV. *Voluminis secundi frontem ornant Animadversiones ad Epistolam Schelhornii, cum subjuncta Diatriba, qua Epistolæ hujus Voluminis recensentur. Uti amplissimus Purpuratus priorem Schelhornii Epistolam cum animadversionibus publicaverat, hic aliam illi destinavit, plenam omnis modestiæ, humanitatis, ac studii. Sed vero de novo instat,* Polum *non ita insontem esse declarandum, qui populum Britannicum ad seditionem in Regem, & exteros Principes ad bellum ei inferendum, concitare sit annisus, adeoque jure dici queat, Vatiniano in illum odio flagrasse. Quod ne temere pronuntiasse videretur, provocat ad testimonium non Sleidani solum, verum etiam Beccatelli & Raynaldi, testantium, ipsum jussu Pauli III. Regem Galliæ, Scotiæ, Reginam Mariam Flandriæ gubernatricem, eo consilio adivisse, quo ipsos contra Britannum concitaret, ipsique ex seditionibus Anglicis fructum atque utilitatem aliquam caperent. Quæ ut dilueret, redit ad id, quod in superioribus ingeminaverat, medici munere solum functum esse, qui morbum indicare, indeque apta remedia suadere, debuerit, &, si quidem aliquando modum excesserit, id excusationis loco affert, in legationibus istis non propriam, sed Pontificis, cui obedire necesse fuerit, causam egisse. Pontifex ægre ferebat, regnum sibi suoque ærario quondam adeo lucrosum eripi; omnem igitur movebat lapidem, ut id ipsum ad obsequium suum reduceret. Num autem, qui operam suam illi accommodat, qui minas atque iras adversus alium spirat, eidemque mala quævis arcessere laborat, ab omni culpa vacet, illi judicent, qui æquitatem atque mansuetudinem in religionis negotio sequendam esse dictitant.*

ANIMADVERSIO.

XIV. Quoniam Poli Legationum censuram iterum Acta hoc loco refricant, reditum pariter & ipse faciam ad exara-

ratam ab ipſo ad Rodulphum Carpenſem Epiſtolam, ut ex iis, quæ iſta complectitur, magis magiſque innoteſcat, POLUM, dum easdem gereret, non ſerpentem, non tygrem, ſed avem, & agnum repræſentaſſe. *Cum igitur* (inquit) *a capite in univerſum Inſulæ corpus hic quaſi morbus defluxiſſet, cui medendi duæ erant rationes, altera per chirurgiam (ut medicorum more nunc loquar) altera per diætam: cumque priorem illam complures in tam inveterato morbo dicerent eſſe adhibendam, id quod ſane multi in Inſula ſe ſentire ſumptis armis oſtenderant: an quod molliorem viam ſecutus ſim, quod rationem per diætam curandi prætulerim, quod ſemper, ut mitior via iniretur multis repugnantibus pugnaverim, ideo ne erravi?* Subdit deinde adeo ſibi in iis Legationibus obeundis cordi fuiſſe, ſummum Regis Angliæ honorem cum univerſæ Eccleſiæ gaudio conjungere, ut Anglici itineris ſocium ſecum adducere cogitaverit Gibertum Epiſcopum Veronenſem, *Cujus* (inquit) *ſumma officia amoris, & pietatis plena in ipſum Regem exſtiterant, dum rerum Romanarum ſub Pontifice Clemente gubernacula teneret, quem tota noſtra Natio amiciſſimum ſemper, & officioſiſſimum in ſe eſt experta, cujus etiam officia ſibi gratiſſima Regem prædicantem ſæpe audiveram.*

ACTA LIPSIENSIA.

XV. *In Diatriba ſubjecta id agit, ut quæ ad illuſtrationem Epiſtolarum* POLI *faciunt, adducat, notitiamque illorum tradat, ad quos ſunt ſcriptæ, vel quorum in illis injicitur mentio. Potiſſimum opera hæc omnis eo directa eſſe videtur: ut Paulus III., ejuſdemque ſenatus, ac Eccleſiæ Romanæ doctores, a doctrina, ſapientia, moderatione, vitæque ſanctimonia, commendentur, quo ſacrorum emendatorum anteſignanos argueret, non ſat rationis ipſis fuiſſe, a ſocietate Eccleſiæ Romanæ diſceſſionem faciendi. Quædam ſpeciminis loco proferemus. Sic Pauli III. ſanctitatem & ſapientiam, qua viros quoque præſtantiſſimos in Sanctiorem ſenatum allegerit, probaturus teſtem citat Ciacconium. Sed quantum inter fucatum oratoris ſermonem, & hiſtorici fide digni relationem interſit, nemo ignorat.*

ANIMADVERSIO.

XV. Virorum, quos Paulus III. in ſanctiorem Senatum allegit, doctrinam, ſapientiam, moderationem, vitæque ſanctimoniam, non Ciaconii fide niſus, ſed teſtium ſummæ authoritatis, commendavi, imo eorumdem Virorum Scriptis, & Geſtis, atque præterea ex Epiſtolico, quod inter ipſos viguit, commercio, quo profecto nullum certius deſiderari queat documentum ad rei, de qua agitur, veritatem demonſtrandam. Inter eoſdem teſtes locum nanciſci valuit vel ipſe maledicentiæ parens, Petrus Aretinus, cujus hæc verba recitavi: *Siccome eſſi* (loquitur de Viris illis) *non potevano naſcere, in tempo più opportuno, nè a i giorni di miglior Papa, così Voi* (loquitur de Paulo III.) *non potevate diſpenſare le dignità ſacroſante in più neceſſaria occaſione, nè in più giuſte creature.*

ACTA LIPSIENSIA.

XVI. *Certe rumores, qui teſtante Thuano Hiſt. Lib. VI. pag.119., poſt ejus obitum per Italiam & alias terras ſpargebantur, non multum laudis ipſi attulerunt. Ipſum illum cum ſenatu ſuo eo anniſum eſſe, ut Eccleſia in veterem dignitatem reſtitueretur; infert igitur, heterodoxos non habuiſſe rationem, ut ab Eccleſiæ Romanæ ſocietate ſe ſejungerent; illorum potius fuiſſe, conſilia cum Catholicis conferre ad ejuſdem maculas eluendas. Maculas plures ſedem Romanam & ſacrorum adminiſtros deturpantes, illi notaverant, quibus hoc a Paulo datum erat negotii, ut conſilium de emendandis moribus, & reformanda curia, conſcriberent, cujus exemplum nobis Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Sec. XV., & XVI. pag.177. 192. exhibet. Sed num ad horum indicium ſordes iſtæ ſunt deterſæ? Malum omne a Pontifice, ſacerdotibus & religioſis, profluere libere teſtabantur. An vero ab illo tempore curia Romana nitidiorem faciem induit; Num querelæ Imperatoris, Regum, atque Principum, de corrupto Eccleſiæ ſtatu ſunt auditæ? An illis medela aliqua eſt allata?*

ANIMADVERSIO.

XVI. De allata medela iſta, de ſordibus illis deterſis teſtem alibi laudavi, quem nulla ratione rejici poſſe ab Heterodoxis cenſui, videlicet Curayerum. Hic in Præfat. ad

ad Hiſtor. Concil. Trident. hæc habet: *A l'egard de la diſcipline, il eſt certain qu'on y a fait un nombre d'excellens reglemens conformes, à l'ancien eſprit de l'Egliſe, & qu'on y a remediè a quantitè d'abus pernicieux, qui regnoient impunement auparavant*. Et paulo poſt: *Tous ces deſordes n'ont pas étès redreſsès par le Concile. Mais ſi l'on en juge ſans prèvention, on peut dire avec veritè qu'ils ſont infiniment moindres, qu'ils n'etoient auparavant*.

ACTA LIPSIENSIA.

XVII. *Præter morum corruptionem ſacrorum emendatorum doctores taxabant graviſſimos errores, & male ſanam ſuperſtitionem, atque religionis doctrina ſecundum oraculorum divinorum ductum ad primævam ſimplicitatem & puritatem reduceretur, contendebant. Sed tantum abfuit, ut æquas his atque faciles præbuerint aures, ut potius diris eos execrationum fulminibus protererent, eoſdemque, ubi poterant, igne ac ferro exſcinderent.*

ANIMADVESIO.

XVII. Ex indubiis documentis, quæ in medium allata ſunt in binis Voluminibus Editionis Epiſtolarum Reginaldi POLI, certo certius demonſtratur, Viros a Paulo III. adminiſtrandis Eccleſiæ rebus præfectos promeruiſſe, ut quotquot ea ætate verum Eccleſiæ ejuſdem bonum curabant, ipſos ceu peritiſſimos medicos, ceu ſapientiſſimos magiſtros, ceu Chriſtianæ vitæ ſanctiſſimos inſtitutores venerarentur. Viri illi, quemadmodum non libere tantum, ſed audacter Romanæ Curiæ, imo Præſulum, & Sacerdotum omnium vitia caſtigare, fineſque Pontificiæ ipſi poteſtati conſtituere ſuſceperunt, multo, animoſius utique *male ſanas ſuperſtitiones*, quas dicunt Sectarii, evellere ſtuduiſſent e Chriſtifidelium mentibus, videlicet Sanctorum Invocationem, Reliquiarum, & Imaginum cultum, preces pro defunctis, Miſſæ Sacrificium, atque alia hujuſcemodi, quibus nempe innovatis, nihil propemodum detrimenti humanæ vitæ deliciis, aut commodis inferri contigiſſet. Abſtinuerunt vero a variandis Ritibus illis, quod veteris Eccleſiæ doctrinam in iiſdem agnoſcerent, dum

contra Heterodoxi eandem se agnoscere profitentur in cœlibatu, votis Monasticis, jejuniis, oppugnandis, aliisque hujuscemodi nexibus, qui deliciis, & commodis illis officiunt, dissolvendis.

ACTA LIPSIENSIA.

XVIII. *Astrologiæ divinatrici Paulum nimis deditum fuisse, vixus testimonio Mendozæ & Cardani, scripserat Schelbornius. Hanc ab ipso infamiam depellit Eminentiss.* PRÆSUL, *non negans, Astronomiam ab ipso deamatam, ab Astrologia vero judiciaria animo alienum fuisse, asseverans. Verum enim vero & alii scriptores Pontificii hujus ipsius vitii eundem insimulant, Onuphrius Panvinius haud obscure id innuit, eorum studiorum, inquiens, quod occulta & exitu plerumque vana sint, & alioqui sacratis viris parum digna, culpam sustinuit, de Vita Pauli III. pag. 384. Disertius Thuanus; siquidem ille Pontifex Astrologiæ divinanti, quæ de singulorum fortunis judicat, valde addictus erat, Lib. IV. pag. 86.*

ANIMADVERSIO.

XVIII. Non artis divinatricis, sed Astronomicæ scientiæ peritum fuisse Paulum III. fuse ostendi in Diatr. Tom. II. a pag. XLVII. ad pag. LVI. adduxique ibidem in medium auctoritatem Hieronymi Fracastorii in Epistola Nuncupatoria libelli sui de Homocentricis. Narrat iste, se ab Episcopo suo, Joanne Matthæo Giberto, impulsum fuisse, ut ipsi Pontifici, non vero sibi, opus illud dicaret, præsertim quod Ille post religionis, & Christianæ Reip. curas nullo alio magis teneatur studio, quam totius Philosophiæ, præcipue illius, quæ circa sydera, & cœlestes orbes versatur. Fructum autem, quem idem Pontifex ex eodem studio relaturus foret, his verbis declarat, Paulum ipsum affatus: *Quod si & ea quoque tenebit tum digna, tum necessaria cura, quæ Julium Cæsarem Pontificem Maximum habuit, reformandi anni, & solaris cursus ad vera æquinoctia reducendi, succurrendique lapsis cyclis, hinc te non invitabunt modo, sed apertissimam viam ostendent sydera.* De hac ipsa cura ad Summos Pontifices maximopere spectante, a quibus scilicet minime ferendum esset, sacrosanctam Ecclesiam, magno Hæretico-

rum

rum & Judæorum risu, sanctissimum Pascha præpostere celebrare, plura idem habet in quibusdam Fragmentis inscriptis de Cyclo. Addidi eodem loco, scilicet p. LIII. ex mutuis literis Cardinalis Contareni, & Joannis Sepulvedæ, quæ leguntur inter Epistolas Claror. Viror. ab Joanne Michaele Bruto collectas, editasque Lugduni an. 1561. constare, Astronomica, iis temporibus studia potissimum ad anni reformationem spectasse. Genitura tandem Pauli III. quam inventam fuisse aliqui tradunt in scriniis Petri Aloysii Farnesii, quale quantumque sit figmentum iis omnibus innotescere debere, qui Astrologiæ judiciariæ ineptias derideant, non eo tantum loco, sed alibi etiam demonstravi.

ACTA LIPSIENSIA.

XIX. *Menchenius noster in Vita Fracastorii, hujus nimium assentandi studium, quo Paulum sibi adjungere nitebatur, notaverat, qui sibi hæc verba excidere sit passus: Ipsum (Paulum) in stellas orbesque potestatem unum ex mortalibus cunctis habere. Porro: Nihil in inferiori hoc mundo esse, nihil in superiori, quod ipsi se non aperiat. Hoc* QUIRINUS *lividi heterodoxorum ingenii indicium esse, pronuntiat. At enim Lectorit, extra partes constituti, conscientiam imploramus, num verba illa, in se considerata, homini, cujus etiam sit dignitatis, aptari queant. Ornaverit Menchenius Fracastorium hoc elogio, ipsum quasi quoddam in terris esse delapsum Numen, & Gibertum Diis cœlestibus velut æquaverit, hæ certe locutiones, per similitudinem quandam prolatæ, illis Fracastorii æquiparari minime possunt. Dicere illas pro more Poetarum, in qua arte mire excelluerit Fracastorius, molliorem sensum admittere posse, rem non conficit. Quem fugit Poetas, ubi omnia fingendi licentiam sibi sumunt, etiam haud raro ad turpe adulandi studium se demisisse? & veremur admodum, ut hæc explicandi ratio strenuis Pontificiæ potentiæ propugnatoribus arrideat. Sint Petro commissæ claves cœlorum, eademque illa potestas ad Pontifices successores transmissa, propterea tamen ex vero dici nequit, ipsos in stellas orbesque habere potestatem, nihil esse in mundo superiori & inferiori, quod se ipsis non aperiat, quod nemini certe competit, nisi cui potestas in cœlo & terra est data, quod ipsum tamen etiam nonnulli assentatores Pontifici Romano cum multorum offensione tribuere nulli dubitarunt.*

ANI-

Animadversio.

XIX. Iterum, iterumque contendo, Fracastorium neutiquam promeruisse, ut ab Operum suorum Editore, Clarissimo Menchenio, asperioribus verbis perstringeretur, quod Homocentrica sua Paulo Pontifici nuncupans affirmaverit, unum hunc ex mortalibus cunctis in stellas, orbesque potestatem habere. Quis enim non videat, dictum hujuscemodi admittere eum sensum, quo Christus Dominus claves regni cœlorum beato Petro commisisse in Evangelio perhibetur? Iterum quoque, iterumque affirmabo, vix intelligi posse, qua ratione Editor ille post Fracastorii sui probitatem, fidem, & integritatem adeo commendatas, ut scribere non dubitaverit, *Quis est igitur, quem bonorum Virorum amore dignum putemus, si Fracastorium non putabimus?* nec insuper dubitaverit eundem hoc elogio exornare, *ipsum quasi quoddam in terris esse delapsum Numen*; qua ratione, inquam, post commendationes istas idem Editor, capta innocuæ locutionis occasione, fas sibi esse existimet, Authoris sui nomen contumeliis proscindere, & quidem admodum atrociter. Statuit enim Menchenius, quotquot Fracastorii Epistolam illam legerint, si veritatem ament, fore, ut in eam sententiam descendant, nihil legisse se unquam, quod cum maxima dictionis, verborumque gravitate tantam adulandi libidinem conjunctam habeat; & postea bile velut exæstuans, subjungit, *Non cœlo non astris pepercit inverecundus assentator: dummodo quamcumque blandiendi inde capiat materiam*. Novam cepit materiam ipse Menchenius Fracastorio insultandi, dum, veluti oblitus stipendii amplissimi, quod eidem ex Sleidano narraverat traditum fuisse a Paulo III. ob præstitam Tridentinæ Synodi Patribus medicæ artis operam, scommati isti locum fecit: *Non dubito, quin promeritam ingeniosæ assentationis mercedem tulerit. Nihil tamen de illa Fracastorius. Forte syderum illorum, quorum ipse expers fuit, regendam ei dedit partem aliquam*. Animadvertisset saltem Menchenius, a se per latus Fracastorii Gibertum etiam, optimum illum Vero-

ronæ Antiſtitem, quem ipſemet *Dis cœleſtibus* æquavit, tranſadigi. In animum induxerat Fracaſtorius libellum, de quo agitur, eidem inſcribere; at iſte Paulo Pontifici multo juſtius inſcribendum decrevit. Quare ſecum Fracaſtorius in hunc modum loquentem eundem inducit in ea Præfatione: *Meum enim ſi eſt hoc munus, placet, ut novo Pontifici novum dicetur opus, quod cœli, ac ſyderum contemplationem complectatur, quorum ille claves, atque imperium gerit*. At placuit Menchenio una, eademque cenſura Fracaſtorium, & Gibertum, imo & Italos omnes involvere, ſiquidem poſt recitata Fracaſtorii verba nos cunctos hoc lapide petit: *Belle admodum, & ad ſervum Italorum ingenium perquam accommodate!* Quod vero ab hujuſcemodi labe me quodammodo eximat Actorum concinnator, dum verba a me uſurpata ita interpretatur, perinde ac ſi ad purgandam Fracaſtorii Præfationem ad Poeticæ artis licentiam confugiſſem, gratias ago ejus humanitati; at non ego iſtud captavi confugium, ſed ipſum Menchenio inſinuavi, ut ex mente etiam ſua de Auctore, cui exornando operam ſuam locabat, bene mereri valeret, namque ita ſcripſi pag. LXXX. Menchenium affatus: *Saltem ad Poeticæ artis confugium, qua excelluiſſe Fracaſtorium fateris, aditus tibi patebat, ut eaſdem mollius acciperes, tuncque memoriæ tuæ occurrere potuiſſet celebre illud, Sapiens dominabitur aſtris. Quid vero, ſi nullius benignitatis indigæ ſanum prorſus ſenſum per ſe ſatis expromant? Poteſtatem illam aperte adſtruunt claves cœlorum a Chriſto Domino traditæ Petro, ejuſque Succeſſoribus. Nec officit, ex veſtrorum hominum ſententia, eaſdem Apoſtolis cunctis, æque ac Petro aſſignatas fuiſſe, & poteſtatem illam æqualiter in cunctos illorum Succeſſores tranſmigraſſe; nam ſtabit adhuc ejuſdem minime expertem habendum Romanum Pontificem, Petri Succeſſorem*. Demum iſtas Fracaſtorii vindicias iis ipſis verbis concludam, quibus uſus ſum in Diatriba eadem p. LXXX. *Doleo, Mencheni, quod licet eruditionem tuam magni faciam, gratique animi ſenſus profitear ſingulari humanitati, qua libros quoſdam meos*

in

in Actis Eruditorum percensere consuevisti, quamque prolixius adhuc mihi declarararunt non unæ literæ tuæ mihi datæ, cogar tamen ex veritatis amore postrema ista tua hoc pacto tibi regerere. Belle admodum, & ad lividum, ac mordax Heterodoxorum ingenium perquam accommodate!

Acta Lipsiensia.

XX. *M. Antonium Flaminium explanationes in XXXII. Psalmos Davidis monitu* Poli *typis exprimendas curasse, memorat, quas dicis multis verborum encomiis extollere heterodoxos, spirantes eximiam in Deum pietatem, in quibusque animi sui sensa de præcipuis Christianæ fidei capitibus, deque pia, & recta vitæ institutione, ita exposuerit, ut ne Evangelicæ Ecclesiæ addictus aliquid amplius possit desiderare. Qui ipse, eum in Dedicatione ad Paulum III. directa, eundem custodem & principem omnis sanctitatis appellas, ab illis exposcit, ut & hoc admittant: quasi vero qui de necessariis fidei Christianæ capitibus recte sentit, etiam hoc credere teneatur, Pontificem Romanum esse custodem & principem omnis sanctitatis.*

Animadversio.

XX. Quorsum pertineat *quasi vero* illud, prorsus non percipio. Ratiocinationem, seu percontationem meam his verbis enuntiat Diatriba p. CX. & seqq. *Quotquot ex Heterodoxis Flaminii Christianam pietatem collaudant, in cælum præsertim extollunt eas in Psalmos* (quos scilicet ille interpretatus est) *lucubrationes, nam in ipsis ajunt ubivis elucere eximiam in Deum pietatem, ardensque Numini Optimo inserviendi, placendique studium, & animum divino spiritu repletum.... Hæc ipsa verba in libello superius pag. LXXXIII. citato de M. Antonii Flaminii religione habet Schelbornius, quibus certe facit, ut optimo jure petere Catholici ab eo valeant, ut, antequam isti iisdem præconiis, absque ullo temperamento subscribere adigantur, ipse, omnesque ejus Contribules, nulla pariter exceptione facta, volentes libentesque amplectantur, quæ in Præfatione ad Explanationes illas Flaminius de Romani Pontificis dignitate, & potestate exaravit. Ea, quæ præfixa visitur Explanationi, de qua hujus loci erat differere,* Pau-

Paulum Pontificem primo collaudat, quod ut cæteris omnibus Ingenuis artibus a puero ſemper ſtuduerat, ita Poetas Græcos, & Latinos maxima diligentia perlegiſſet, deinde ipſum his verbis affatur: „ Quid? quod caſtiſſimus „ ſummi Dei cultus, pleniſſimaque pietatis religio, ſumma „ omnium voluntate fidei tuæ, præſtantiſſimæque virtuti „ credita eſt, atque in terris maximi Numinis locum tenes. „ Ad quem igitur mitterem potius explanationem libri ſan„ ctiſſimi, quam ad cuſtodem, & principem omnis Sancti„ tatis, quem jure omnes ſanctiſſimum & colimus & nomi„ namus? „ Id certe eo juſtius petere poſſe videmur, quod Schelhornius aliam Flaminianarum Explanationum Præfationem, inſcriptam ſcilicet Cardinali Alexandro Farneſio, æque ſanctam putaverit ac Explanationes ipſas, & proinde dignam habuerit, quam integram, paucis primis lineis exceptis, libello illi ſuo inſereret. Quare eodem pariter loco habenda ab ipſo videtur Præfatio, de qua loquimur; nec enim puto iiſdem viſum iri, ſtudium Numini Optimo ſerviendi placendique, quo homo ille, in primis Pſalmorum Explanationi incumbens, flagrabat, ab Operis ejuſdem faſtigio, cujuſmodi Præfatio ad Paulum Pontificem, abfuiſſe, imo vero in fœdæ aſſentationis vitium immigraſſe. Quid ad hæc ergo, *quaſi vero* illud, quod mihi obtrudunt Acta? Nihil prorſus. Id unum igitur ſupereſt, ut Heterodoxi, poſtquam compertam ex me habuerunt Flaminii Præfationem, quæ antea eoſdem latuerat; expuncto ex ſectatorum, ſeu fautorum ſuorum catalogo hominis illius nomine, obliteratiſque ingentibus laudibus, quas hucuſque in eundem contulerunt, ipſum contra piacularis criminis reum peragant, quod adeo plene, atque magnifice ſenſerit de ſuprema in rebus Eccleſiaſticis poteſtate Romani Pontificis, quem potius ex capitali eorundem dogmate odiſſe cane pejus, & angue debuiſſet. Contorqueant itaque, æque ac in Fracaſtorianam, in Flaminianam Præfationem dictum illud pulcherrimum, *Belle admodum, & ad ſervum Italorum ingenium perquam accommodate*!

ACTA LIPSIENSIA.

XXI. *Albertus Pigbius, Purpuratus, unus ex familiaribus* Poli, *nonnullis de justificatione secundum mentem Ecclesiæ Romanæ minus recte sensisse videtur, nec desunt ex ipsis Pontificiæ societatis Theologis, qui ipsi dicam propterea scribant, quod cummaxime fecit Ruardus Tapperus, Lovaniensis Theologus; sed, hunc a sententia de justitia inhærente non discessisse, prolixe disputat Reverendissimus* Antistes, *addens quædam de Ecclesiastica ipsius hierarchia. Commentatur dehinc de Davide Betonio, & Jo: Fischero, in Purpuratorum senatum a Paulo adscitis, quorum uterque doctrinam Ecclesiæ sanguine suo obsignarit, itemque de Henrici VIII. facinoribus & crudelitate in sanctos homines exercita; qua occasione in Thuanum, mitius de Rege sentientem, calamum stringit, crimina hujus silentio prætermittendo. In scenam productis viris nonnullis, qui, quo tempore sacra emendabantur, in Ecclesia Romana doctrina & virtute eminebant, subdit, non habere heterodoxos, quod asseverent, in Catholicis doctoribus ne micam quidem sanctitatis deprehensam fuisse, cum contra Erasmus passim reformationem, a Luthero ac aliis susceptam, irrideat ac execretur, & speciatim in quadam Epistolarum scribat: Nunc Lutherus scribit in se ipsum, videns, rem alio verti, quam putarat, & exoriri populum non Evangelicum, sed diabolicum, cum interitu omnium bonorum studiorum. Erasmum reformationis opus prorsus improbasse, dici nequit, modus agendi in omnibus ipsi minus placuit. Fuit is in sententiis, quæ ad religionem attinent, inconstans, &, uti Pontificii ipsius judicio non semper stare volunt, ita æquitati adversatur, ex hujus sententia dijudicare Protestantes. Dura illa verba procul omni dubio feriunt Anabaptistas, genus hominum sub religionis prætextu inquietum & turbulentum, omnique sapientiæ humanæ & optimis literis infestum, qui, ut ex Lutheri, primorumque Reformatorum Schola non prodierunt, ita illos nunquam pro suis agnoverunt. Paulum Nicæam, Galliæ Narbonensis oppidum, iter instituisse, quo pacem inter Cæsarem, & Galliæ Regem conciliaret, non autem ut privatis suorumque commodis consuleret, contra Sarpium, & Courayerium disputat. Sadoleti librum de ædificatione Ecclesiæ, de quo prolixe commentatur, a Dupinio, pariterque Niceronio, non memorari observat, quem tamen Montfauconius inter Codices MStos Vaticanos annotet in Bibliotheca MStorum. Bernardinum Ochinum, ante ob virtutem & sanctimoniam principibus in Ecclesia Romana viris probatum, post ubi Genevam se contulerit, Refor-*

formatorumque cœtui se addixerit, agni veste deposita, squamosum draconem apparuisse, acerrimumque hæreseos patronum factum fuisse, judicat. Alia, quæ acerbius in Protestantes sunt dicta, passim occurrunt.

Exhibentur jam ab Eminentissimo AUTORE *Monumenta hujus Voluminis præliminaria, numero quatuor, quæ sunt hæc: 1) Epistolæ octo Pauli III. in forma Brevis; 2) Instruzione, overo informazione, sopra le cose d'Inghilterra, data dal Card.* POLO *a Papa Paolo III, quando vi fù destinato Legato; 3) Instructio pro Rev. Card.* POLO, *ad Cæsaream Majestatem proficiscente; 4) Epistolæ quatuor, Italice Toleto scriptæ, Card. Alexandri Farnesii, tres ad Pontificem Paulum III., una ad Card.* POLUM.

His subjectæ sunt ipsæ POLI *Epistolæ, numero LXXXVIII., elegantissime omnes scriptæ, & unde illius temporis res gestæ plurimum lucis accipiunt, sed quas sigillatim persequi, spatii nobis definiti angustia probibemur. Has igitur legendas iis, quorum interest, illius temporis statum in Anglia Ecclesiasticum habere cognitum, vehementer commendamus.*

ANIMADVERSIO.

XXI. Literarum hujus Voluminis tres tantum lucem antea viderunt, scilicet binæ Petri Bembi, & una Jac. Sadoleti. Ex iis omnibus duo loca seligemus, quæ valde facient ad magis, magisque comprobandam Card. POLI sanctimoniæ excellentiam. Epist. XVII. questus de Anglicis Consiliariis, qui Henrico Regi persuaserant, ut a Rege Christianissimo peteret, sibi tradi Legatum Pontificium, qui ad ipsum in ejus fidem venerat, hæc tandem subdit: *Illud autem me maxime confirmat cogitantem, si Deus me ministro uti velit ad res Ecclesiæ in Patria mea ad ejus honorem componendas, nihil prorsus horum conatus efficere posse ad id impediendum, etiam si universus Orbis cum illis conspiraret, & una omnes spiritales nequitiæ in cœlestibus; sin aliter Divinæ providentiæ visum fuerit, necdum completæ sint iniquitates Amorrhæorum, nostrosque homines majoribus adhuc calamitatibus afficere Deus statuerit, & his, qui sanguinem innocentem quærunt, permittere, ut desiderium suorum expleant; modo id ad bo-*

norem ejus redundet, id quidem in meo sanguine fieri, non solum non ægre feram, sed ut quam citissime fiat, maxime ab ejus benignitate precabor, atque hoc summum beneficium Summo Pontifici semper debebo, quod mihi æternum portum jam diu spectanti, compendiosissimam viam eo perveniendi, ex hac Legatione mihi patefecerit. Epist.XIX. *Hic vero scio me Regis, & mihi inimicissimi, & potentissimi (utrumque enim declarant Legationes ejus ad Principes contra me missæ) iram in me, & potentiam lacessere, quemadmodum jam lacessivi, eumque, si ob hanc causam, quam dixi, in his locis me manere intelligat, multo magis tentaturum, atque omnes vias persequuturum, ut me de medio tollat, qui nunc quoque per Oratores suos id se ea ratione facturum minatur, qua Philippus omnia castella, quamvis munita, expugnari posse dicebat, quocumque onustus auro asinus mitti posset. Hic vero multos asinos se contra me oneraturum ostendit; centum enim aureorum Anglicorum millia se profusurum jactant, ut me in sua potestate vel vivum, vel mortuum habeat. Quis ergo me tutum ab hujus infesta potentia præstabit? Idem, Beatissime Pater, qui animam securam facit, & omni terrore, qui per hominem inferri possit, liberat, cui me id munus obire, quod mihi ea persona, quam gero, imponit, reliqua istius providentiæ relinquere jubet, cui nemo unquam frustra est confisus, sub quo omnes, qui ei fidunt, ab omni incommodo, quod vel ab homine, vel ab ulla re proficisci possit, semper tuti sunt.* Epistolæ LVI. LVII. LVIII. LIX. binæ scilicet ad Camillum Ursinum datæ, binæque ad Marcum Monachum, Polum, rerum cœlestium ac divinarum non intelligentem tantum, & studiosum, sed præcellentissimum Magistrum repræsentant.

Tandem adnotabo, Carpentoractensem Poli commorationem, quam memorant plures hujus Voluminis literæ, Cardinali Sadoleto, ejus Urbis Episcopo, opportunitatem præbuisse penitius dignoscendi virtutes ejusdem Poli, ac præsertim admirandam constantiam, qua familiæ suæ acerbissimos casus tulit. *Audire autem* (scribit Sado-

le-

letus ad Contarenum) *ex eodem* (POLO) *acerbos familiæ suæ casus, & nobilissimam immanitate teterrimi tyranni pene extinctam domum* (nondum contigerat POLI matris cædes) *sane usque eo mihi miserum, & crudele visum est, ut, nisi ejusdem* POLI, *cui erat illa calamitas inflicta, virtute & sapientia lenitus essem, modum meo dolori facturus non fuerim. Verum ille, qua suis in rebus omnibus animi constantia & moderatione est, cum, Deo semper se subjiciens, atque illius voluntati obtemperare paratus, de suis acerbissimis rebus, tanquam de alienis loqueretur, suum domesticum quidem incommodum fortiter ferebat, de publico vero Christiani nominis incommodo gravius commovebatur*. Et alibi idem Sadoletus ad eundem Contarenum. *Adventus hic* POLI *amplissimi Collegæ nostri & magnum mihi dolorem attulit, ut tu quoque futurum videras, & non minorem etiam voluptatem. Videre enim hominem amicissimum utrique nostrum, summa ipsum virtute, summa temperantia, modestia, sanctitate vitæ præditum, sane jucundissimum mihi fuit. Eum autem videre tot appetitum injuriis, atque alienæ impietatis, & crudelitatis scelere in tantas, & tam graves conjectum calamitates, certe non mediocriter mihi molestum accidit; cum præsertim non amici solum in eo incommoda, sed Christianæ etiam Reip. vulnera uno & eodem tempore dolere & misereri cogerer. Atque ipse quidem quo animi robore, & qua erga Deum pietate munitus est, ferebat res adversas fortiter atque constanter*. Vere heroicam fuisse animi POLI firmitudinem istam, multo adhuc magis demonstrant ejus verba in literis tertio Editionis meæ Volumine recitandis, nam ibi ita legitur: *Hos* (loquitur de Consanguineis suis per Henricum Regem dirissima morte sublatis) *non mortis imperio subjectos, sed post mortem gustatam magis quam unquam vivere, & cum eo regnare qui mortem destruxit, & nunc mihi magis amore conjunctos, minus separatos, quam cum mecum in carne viverent, certo mihi persuadeo. Quo quæ major consolatio de his, quos tam ardenter amavi, esse potest, quam sci-*

scire eos per mortem in meliorem vitam raptos, *&* *in societatem Regni illius adscitos*, *ubi non est amplius labor*, *&* *dolor*; *eosdem vero meam causam apud omnium Regem*, *in cujus gratiam jam secure vivunt*, *nunc magis quam unquam agere*, *&* *ut particeps tandem tam felicis societatis efficiar*, *votis*, *ac precibus contendere*? Nec alios ab istis sensus induit POLUS, dum majore adhuc scelere ab eodem Rege interfectam fuisse accepit matrem suam, tantam quidem immanitatem deploravit, at statim subdidit: *Quod autem ad me ipsum attinet*, *etiam honore auctus hujus mortis genere videor*, *qui deinceps Martyris me filium* (*quod plus certe est*, *quam ullo Regio genere ortum esse*) *nunquam verebor dicere*.

Atque in hunc modum finis imponitur Animadversionibus meis. Has tamen coronandas duco in medium allata ea provocatione, qua me olim Cl. Schelhornius solemnibus verbis utens lacessivit, meaque ad eandem responsione. En ejusdem verba: *Si me solide*, *&* *ad unguem refutasse videri cupias*, *integra illa* Oratio (ad Cæsarem) *ac ea insuper verba atrocissima*, *quibus in Regem suum*, *subjectum ipsi populum concitare annisus est a me p.* 95. *seqq.* *&* 118. *seq. Amœn. H. E.* *&* *L. recitata*, *aliaque quibus censuram in* POLUM *meam probatam dedi*, *proferenda Tibi atque justis rationibus vindicanda sunt*, *id quod non ita facile fieri posse arbitror*. *Ego enim sic ratiocinor*: *Aut justum est*, *&* *ex divinis literis demonstrabile*, *adversus legitimum Herum*, *&* *Regem suum*, *quem Roma vocat hæreticum*, *jurisjurandi fide violata*, *subjectam ipsi gentem ad arma concurrere*; *unumque ex ejus dominio subditis*, *&* *exteros principes*, *&* *gentem illam ipsam ad bellum ei inferendum sollicitare posse ac debere*: *aut injustum*. *Si prius*, *ego causa cecidi*: *si posterius*, *ego causam vici*. *At prius Tibi*, *Cardinalis Eminentissime*, *qua es eximia prudentia* *&* *animi æquitate*, *ne in mentem quidem venire posse*, *persuasum habeo*. Cui provocationi statim respondens, ego pariter, Schelhorni, sic ratiocinor: Manifestum est, utramque POLI Orationem, sci-

li-

licet ad Angliam, & ad Carolum Cæsarem, ea tantum de causa uni Henrico, non vero Carolo, legendam trasmissam fuisse, ut Henricus opportune intelligeret, & periculum, in quo versabatur, & ex eo evadendi viam, quam ipsi Polus monstrabat, ingrederetur; ergo causam vici, crimen ergo violatæ a Polo jurisjurandi fidei, nil nisi pura calumnia. Culpa autem omnino carere Poli Orationem utramque, quod nihil aliud sint quam rhetoricus schematismus, vel ex se sola evincit clausula a Scriptore ibidem apposita, quæ hujusmodi est: *Sed quid ago, qui orationis quasi æstu ablatus, pene videor oblitus, quocum sermonem habeam? Tanquam enim cum Cæsare, non tecum Princeps agerem, Orationem hic ad Cæsarem inclusi. Ut igitur eo revertar, unde digressus sum, animadvertes, opinor, qua maxime ratione te rebus tuis consulere putabas, si Morum, & Roffensem tanquam graves adversarios sustulisses, multo majores te inimicos justissimis de causis tibi accersivisse, universos quidem Principes Christianos communiter, proprie autem Cæsarem ipsum, quo plures simul conjunctæ causæ eum magis, quam quemquam alium, stimulare debent & eo quidem tempore tute illum tibi hostem reddidisti, quo & inimicis maxime formidabilis evasit propter vires his paucis annis mirum in modum auctas, & amicis præsidio esse potest; qui si nulla privatim injuria a te affectus esset, tamen Reipublicæ nunc causa non posset non tibi infensissimus hostis esse.* Quis non videt, eam Orationem Cæsari fuisse transmittendam, non autem libro ad Regem transmisso inserendam, si ad exitium Regis potius, quam ad salutem ejusdem, spectaret? Quod, ajo, ita perspicuum est, ut nihil magis. Ergo causa cecidit Schelhornius, ergo inficeta prorsus ejus ratiocinatio, qua perversum Poli adversus Henricum animum se confixisse putavit, dum in Rhetoricum dumtaxat schematismum tela conjecit.

VI-

VIRO CLARISSIMO

SAMUELI FORMEJO

REGIÆ SCIENTIARUM, AC LITERARUM ACADEMIÆ BORUSSICÆ SECRETARIO PERPETUO



Nni, quem jam jam ſumus ingreſſuri, dum fauſto omine inchoandi rationem aliquam ſtudioſe perquirens, oculos quaquaverſus circumvolvo, occurrit mihi auguſta Boruſſici Imperii Metropolis, atque in ea primo quidem Templum, quod Catholicorum hominum ſacris peragendis ex Regia indulgentia conſtruitur, deinde vero Scientiarum Academia, in quam decora mihi contigit ante paucos menſes cooptatio. In utramque igitur arcem iſtam, Religionis unam, literarum alteram, attentius animadvertens, valde idoneas eaſdem reputavi, unde fauſtitatis illius indubia argumenta deſumerem; atque una ſimul Te unum, Vir Clariſſime, adeundum cenſui, cui meum hujuſcemodi conſilium concrederem. Poſtquam enim ad Galliam ſuam remigrare valetudinis cauſa adactus eſt Academiæ noſtræ Præſes, inclytus Maupertuiſius, ejus ipſe vices geris, perpetui præterea Secretarii munere inſignitus; Tuque ille es, qui ejuſdem Academiæ nomine teſtatus mihi nuper per Epiſtolam fuiſti ſingularem veſtrorum hominum erga me benevolentiam, quod modicam quandam pecuniæ ſummam ad Templi illius ædificationem erogaſſem, quodque Berolinenſis Athenæi Bibliothecæ exiguam librorum meorum ſupellectilem dono obtuliſſem. Te itaque præ ceteris compellari a me oportuit, Formej præſtantiſſime, quem ſequeſtrum facerem eorum officiorum, quæ præſtando, ſi fieri poſſit, ut eandem benevolentiam magis, magiſque promerear, equidem arbitrabor, proſperis me auſpiciis annum exordiri. Exilia utique ſunt officia, quorum offerendorum mihi copia eſt; at eorundem tenuitatem animus

mus offerentis, uti confido, commendabit. Contribuetur a me quam citius pecuniæ iterum summa, haud certe minor, imo major alia ante sex menses repræsentata, conferenda & ipsa in utilitatem Templi, pro opere tamen aliquo peculiari, cujus scilicet meo tantum sumptu perficiendi authorem mihi fuisse Comitem Algarottum, jam publicis literis edocui. Ad alterum autem officium præstandum in manibus jam habeo tertium Epistolarum Reginaldi Poli Collectionis Tomum, ante paucas dumtaxat hebdomadas in lucem emissum, quo nimirum illatus a me in Bibliothecam vestram librarius census augeatur. Hæc dum egero, mihi cur non sperem, *Auspiciis felix totus ut annus eat?*

Hæc omnia, siquidem benigne a Te excipiantur, utinam efficiant, ut auspicato quoque ingrediar tractationem, ad quam illico suscipiendam exstimulat me aculei genus aliquod, quem in animo meo Epistolæ Tuæ, quam superius memoravi, postrema verba reliquerunt. Collationem, quam ipse adeo urgeo in plerisque meis lucubrationibus, nimirum Poli, Contareni, Sadoleti &c. cum Luthero vestro, castigasse Tibi videris, dum in hunc modum ibidem de ea scribis: *Huic tamen B. Reformatori nostro minime iniqua, qui nempe in Sacrarum linguarum peritia illos longe superaverit, sicque sine dubio divinis eloquiis interpretandis aptior fuerit.* Demonstrandum igitur sumo, ejuscemodi etiam literaturæ perdoctos fuisse Romanæ Ecclesiæ Proceres illos. Auspicatissime autem mihi accidere, ut ad hoc argumentum pertractandum accedam, manu vix sublata ex literis ad celeberrimum, eruditissimumque Feverlinum a me datis, statim intelliges. Inscripsit is mihi *Dissertationem Historico-Literariam de prima Editione partis Novi Testamenti Græci per Aldum Manutium inter Carmina Gregorii Nazianzeni Venetiis A. MDIV. curata*; initiumque ei fecit, Italiæ gratulando ob primas Sacrorum Bibliorum Editiones ibidem impressas, singulariter autem Brixiæ meæ, ob totum Hebraicum Codicem an. 1494. in ea excusum, deinde

Venetiis, quod in hac Urbe doctissimus Typographus, Aldus Manutius, primus partem aliquam Novi Testamenti Græci arte Typographica descriptam eodem an. 1494. ediderit, nempe initium Evangelii Joannis, & decem post annos priora sex capita historiæ ejusdem Evangelii Græce, & Latine publicaverit inter Carmina Gregorii Nazianzeni. Ac demum subjungit Feverlinus; *Sic igitur cum dubio ferme omni careat, Italiam per doctos Judæos prima impressa Biblia Ebraica vel integra, vel ex parte tantum nobis dedisse, quis non in antecessum vero existimet simillimum, ipsos doctos Italos, qui post litteras Græcas e Constantinopoli acceptas & diligentissime cultas, atque cum Latinis, omnibusque bonis litteris in reliqua Europæ regna propagatas eodem Sæculo XV. Typographiam e Germania acceperant, primique integros libros Græcos arte Typographica pulchre descriptos orbi litterato exhibuerant, Græco etiam Novi Testamenti Codici typis imprimendo primas admovisse manus?*

Sacras vero hujusmodi divitias quemadmodum omnium prima, Feverlino judice, per orbem litteratum diffudit Italia, ita iisdem cupidissime usos fuisse præ Italis cunctis Romanos Proceres, de quibus est sermo, facile evincent plura, quæ a me tradita in Diatriba apposita Tomo primo Collectionis Epistolarum Cardinalis Poli operæ pretium puto huc transferre. Inter eosdem Proceres principem ferme dixerim locum tenuisse, etsi Romanæ Purpuræ decus ei defuerit ex causa a me suo loco memorata, Joannem Matthæum Gibertum, Veronæ Antistitem. Statuerat hic ea in Urbe divinarum literarum insignem Academiam, quæ cujusmodi foret, declarant versus, qui sequuntur, M. Antonio Flaminio, & Galeatio Florimontio, ejusdem Academiæ Sodalibus, inscripti ab Hieronymo Fracastorio,

Dum vos fatidicos vates, arcanaque sensa
Volvitis, atque animum cælesti nectare alentes,
Alloquiis, magnoque Dei consuescitis ori,
Felices, duce Giberto, Campense Magistro,

Quid

Quid dicam miserum me agere? &c.
Campensis ille, Gibertinæ Academiæ Magister, quandoquidem nullam ejus notitiam mihi præbuerant, quas habemus, nuperrimæ Editiones, etsi ornatissimæ, Operum Fracastorii, Flaminii, ac ipsius Giberti, noscendum se tandem mihi dedit cum in Epist.706. Erasmi data an. 1524. nam ibidem Professor fuisse dicitur Lovanii Hebraicæ linguæ, tum præterea in Opusculo Venetiis an. 1533. impresso, cui titulus: *Psalmorum omnium juxta Hebraicam veritatem paraphrastica interpretatio, autore Joanne Campensi, publico, cum nasceretur, & absolveretur, Lovanii, Hebraicarum litterarum Professore*; eique Opusculo adjuncta visitur, *Succinctissima, & quantum phrasis Hebraica permittit, ad literam proxime accedens, Paraphrasis in Concionem Salomonis Ecclesiastæ per Joannem Campensem*; & tandem in Monito præfixo Commentariis Jo. Baptistæ Folengii in Psalmos an. 1583. Romæ editis, ubi diserte distinguitur ab Joanne Campano, cujus impius in Trinitatem liber in Romano Indice damnatus comparet.

Campensis Magistri contubernio frui quod in votis magnopere haberet Cardinalis Contarenus, eundem Verona divellere, & Romam ad se pertrahere curavit, nec frustra, uti fidem faciunt binæ Poli ad ipsum Contarenum Epistolæ. Prima ille pollicetur, se, quod sibi Contarenus mandaverat, diligenter per literas acturum cum Campensi, *Quem* (inquit) *non dubito, semper in tua potestate futurum, sic enim mihi sæpe de te loquenti recepit, se quandocumque, & quocumque tu vocaveris, advolaturum*. Altera autem Contareno significat, eundem Campensem jam ad se Verona Patavium accessisse, ut statim recta Romam proficiscatur, ejus hospes in annos futurus, *A quo* (inquit) *miranda audio de eo progressu, quem in libris veteris Testamenti cum Veronensi fecit, qui ægre eum, & tamen libenter, cum ad Te proficisceretur, dimisit*. Romam una cum Campensi profecti sunt Aloysius Priolus, & Petrus Danesius, Latinis, Græcisque literis instructissimi. Sacra Prioli studia pluribus locis collaudan-

di ansam mihi præstiterunt quamplures seu Poli, seu aliorum Epistolæ. Eorundem vero studiorum causa Danesium e Gallia in Italiam iter suscepisse, testantur, præter binas literas inter Epist. Select. Clar. Vir. eæ, quas scripsit Parisiis Julius Camillus ad Bembum, ut doctum illum hominem Bembo commendaret; his enim usus est verbis, *Non mi faticherò di scriver quanto egli sia essercitato nelle lettere Latine, & Greche, & nelle cose di Aristotele, & di altri notabili Autori, massimamente havendo à conversar tal'hor con V. S. tanto dirò anchora, lui sol per voler veder Italia, & usar con i chiarissimi ingegni di quella, sopra i quali sommamente adora quel di V. S. essersene partito, ancorchè la Maestà del Re non ne sia bene contenta. Imperocchè, questo è nel vero il primo Lettor Regio, & allo stipendio regale più anni ha letto in questo studio di Parigi le cose di Cicerone, & di Demostene, insieme con quelle di Aristotele, & ha sì bon giudizio, che per avventura in queste parti non è il migliore*. Julium Camillum, Forojuliensem, Epistolæ hujus Scriptorem, neque humanarum tantum literarum, sed linguarum etiam Orientalium admodum peritum, frequentasse & ipsam Gibertinam Academiam, fidem nobis facit Poli ad Priolum Epistola, in qua ab hoc petens, ut secum Veronam pergeret, aliquot dies *cum optimo illo Episcopo* consumendi causa, subdit, se non videre, cur iter illud foret ipse recusaturus, præsertim cum tantam voluntatem Camilli salutandi ostenderet, *Quem in itinere* (inquit) *salutare possumus, & quamlibet diu ejus consuetudine frui, quem si nulla major res impediet, nullo negotio Veronam perduci posse judico*.

Hæc omnia manifeste demonstrant incredibili studio erga divinas literas Procerum meorum præcordia exarsisse. Ejusdem præterea eximius fuit fœtus Psalmorum interpretatio a Flaminio Veronæ, Giberto hortante, adornata, suadenteque Polo in publicam lucem educta. In Præfatione ejus Operis, quod Paulo III. Pontifici nuncupavit, Flaminius ita loquitur: *Accidit autem nuper, ut Reginaldus*

dus Polus, *Vir literarum*, *& omnium virtutum gloria præstantissimus*, *Veronam veniret ex Gallia revertens*, *quo Tu illum simul cum Giberto maximis de rebus legaveras*. *Is cum forte has meas lucubrationes inchoatas*, *& rudes legisset*, *a me summopere contendit*, *ut illas quam primum emendarem*, *atque in vulgus ederem*, *quod eam rem hominibus piis*, *& religiosis non inutilem fore judicaret*. Polum, dum Patavium, & Venetias incoleret, antequam scilicet Romam a Paulo III. evocaretur, singularem illum divinarum literarum amorem animo suo imbibisse ex intima consuetudine, quæ ipsum devinxit tribus doctissimis Benedictinis Ascetis, nimirum Marco Cremonensi, Gregorio Cortesio, Mutinensi, Isidoro Clario, Brixiano, innotescit ex pluribus illius Epistolis a me suo loco recitatis. Gregorii, & Marci mentionem conjungunt eæ, quas ad Cardinalem Contarenum dedit anno 1536. ex agro Patavino, dum Rovelone (quod prædium ad Monachos Sanctæ Justinæ modo etiam pertinet) versaretur. *Quandiu* (ait) *in hoc loco versabor*, *quem nosti quam amœnus sit*, *sed tamen maxime amœnus*, *quando duobus his comitatus hortos perambularem*, *qui me suo sermone sic pascebant*, *ut cum Enoch prorsus*, *& Helia ambulare mihi visus sim in paradiso Dei*. *Quoties vero te in nostro sermone desideravimus*, *ut felicitatem nostram compleres*! Marcum illum, Virum optimum, perfunctum Patavii fuisse munere Pauli Epistolas enarrandi, frequentissimis auditoribus ad ejus Prælectiones confluentibus ob eximiam dicendi vim, & efficaciam mira cum eruditione conjunctam, edifcimus ex Cremona litterata Franc. Arisii, atque ex Biblioth. Benedict. Casin. Mariani Armellini. Gregorii autem Cortesii in Græcis, Latinisque literis præstantiam commendat inter cæteros Antonius Brucciolus in Dialogis de Philosophia Ethica impressis anno 1537. Venetiis. Eorum unus Venetiis in hortis Monasterii S. Georgii habitus inter Polum, & Theogenum describitur a Bernardo Feliciano, qui his verbis orationi suæ initium ponit: *Questa mattina mi era per tempo partito di casa per ire a visitar il Signore Abate di S.Gior-*

S. Giorgio (Cortesium) *vero honore delle sacre lettere Greche*, *& Latine*. Eundem Cortesium, una cum Gaspare Contareno, censores adhibuerat Flaminius suæ in Psalmos explicationis, nam de hac ad Bembum ita scribit in Epistola inter Italic. ad eundem Bembum recitata, *Quantunque le sententie fossero tolerabili*, *& tali*, *quali mi afferma il Clarissi. M.r Gaspero Contarini*, *e 'l Rever. D. Gregorio Cortese*, *non però son securo che l'elocuzione non sia vile*, *& plebea*. Tandem Isidori Clarii in rem Biblicam labores adeo sunt noti, ut mea commemoratione non indigeant. Ejus vero cum Polo consuetudinem demonstrat ipsius Epistola, qua Polo reditum ex Belgica Legatione in Italiam gratulatur, at una dolet, eundem ad Monasterium Mutinense S. Petri in eo reditu minime divertisse. Æque carus Cardinali Contareno fuit idem Isidorus, eique propterea castigandam, & expoliendam tradidit, & insuper inscripsit Adhortationem ad Concordiam a se compositam adversus eos, qui a communi Ecclesiæ sententia discesserant.

Ascetarum, quos recensui, partim magisterio, partim familiaritate, Biblicis doctrinis imbutus, adeo assidue studia illa Polus excoluit, ut intermittenda a se minime duxerit vel eo tempore, quo gravissima Legationum munera jussu Pontificis obibat. Anno 1537. in Galliam, & Belgium ablegatus, quo transmissionem in Angliam ad succurrendum lapsis Religionis rebus tentaret, per aliquot menses Cameraci primum, deinde Leodii substitit, quumque non transfretandi tantum occasionem omnem sibi deesse, sed insuper parari vitæ suæ ab Henrico Rege certum discrimen, omnino intelligeret, nihilominus qua ratione intrepidum pectus periculis omnibus objiciebat, tranquillam pariter mentem divinis illis studiis applicavit. Christianæ pietatis exempla a Polo in Leodiensi domicilio edita describens Aloysius Priolus, testis oculatus, & quo nemo magis eidem intimus, inter cætera hæc habet in Epistola ad Ludovicum Beccatellum data: *Il Rmo Legato si ha tandem lasciato exorare di leggerci le Epistole di S. Paolo alternis die-*

diebus; ed ha incominciato dalla prima a Timoteo, con somma soddisfazione del Vescovo, e di tutti noi. O quanto desidero e voi, ed il vostro dabbenissimo Vescovo di Fano a questa santissima lezione da questo santissimo uomo con tanta riverenza, ed umiltà, e con tanto giudizio letta, che io non saprei certo desiderar meglio: nè credo che l'amore m'inganni questa volta. Spero dalle micche ch'io ne raccoglierò potervene dar buon saggio, quando al Signor Dio piacerà che ci troviamo insieme. Biennio post, demandatam sibi a Pontifice Hispanicam Legationem Polus administravit, improspere quidem & ipsam, at æque sancte, ac Belgicam illam. Adactus enim morari aliquo tempore Carpentoracti ob maximas difficultates, quibus negotium premebatur, in ea etiam rerum perturbatione cœlestis illius pabuli cupiditate flagravit. Id testatur ipsemet Polus in Epist. ad Contarenum exarata. En ejus verba: *Quanto alli nuovi impedimenti, e vecchi della causa, piacerà a V. S. Reverendissima intender dalle Lettere di Messer Lodovico suo quel pegno d'amore, che ha lasciato appresso di me, nel quale insieme col nostro Priolo ogni dì piglio tanto più consolazione vera e solida, quanto più io ho occasione per la prattica con li altri, di conoscere la grazia di Dio in loro, & natura & costumi di altri. Noi per la nostra consolazione mutua havemo cominciato a conferire insieme li Salmi di quel grande Propheta e Rè, il quale Dio aveva eletto secundum cor suum, ed hoggi eramo arrivati a quel Salmo che comincia: Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Vana via &c.*

Qui inter tanta rei Christianæ sibi commissæ turbamenta placide vacare nunquam destitit divinis Codicibus versandis, explicandisque, annon in eorundem lectionem sese immersisse censendus est, dum tranquillæ eidem stationes obtigerunt? Hujuscemodi nactus est Polus provinciæ Viterbiensis administratione a Paulo III. donatus, postque hujus Pontificis mortem incola, & habitator Benedictini Cœnobii in agro isto Brixiano. Quo pacto utrumque illud otium

otium sacris studiis oblectaverit, suis locis jam tradidi, nec omnino breviter. De Viterbiensi actum a me est in Præfatione Tomi III. Epistolarum ejusdem Poli Collectionis. De Brixiano autem in Epistola nona Decadis tertiæ Latinarum mearum Epistolarum, ibi siquidem veluti turmatim in scenam protuli doctissimos Monachos, Folengium, Ugonium, de Othonibus, Bornatum, Massolum, quos omnes seu patrium ipsorum solum, seu domicilium prope Cœnobium illud (Maguzanum vocatur, non valde dissitum a Cœnobio S. Benedicti Mantuæ, ad cujus jus spectat) idoneos reddidit, qui jucundissima Poli consuetudine fruentes, pietati, & studiis eo duce vacarent. Extat Alexii Ugonii ad eundem Epistola, cujus hujusmodi est initium: *Peroptarem equidem, Præsul Clementissime, ut perpetuo mihi daretur uti, fruique posse in Christo jucundissima tua consuetudine, quippe cum nihil utilius accidere possit, quam interesse divinis istis, atque quotidianis tuis disputationibus*. Theophilum Folengium, qui rara eruditione, & singulari pietate Commentaria in Psalmos Davidicos, & in Epistolas Canonicas conscripsit, habitum fuisse a Polo inter suos, nobis conjiciendi ansam præbet illius ad hunc Epistola Commentariis in I. S. Joannis præfixa, cujus postrema hæc sunt verba: *Lucrum id esto mihi quam optatissimum, si te adeo strictim devincire potero, ut tu mihi perpetuo patronus sis, ego cliens, seu mavis ex servis tuis unus, quod ajunt, emptis de lapide, modo de tuis unus dicar, triumpho*. Paria ferme de reliquis Monachis superius nominatis, imo & de aliquot eorundem Sodalibus in medium afferre possem; ut tamen brevitati studeam, unum dumtaxat extra Sodalitium illud memorabo Jovitam Rapicium, ortu Brixianum, qui Poli seu consuetudine, seu in sacris literis eruditionis fama pertractus, ipsum sibi in Mecœnatem adscivit metricæ suæ Psalmorum interpretationis, quam collaudavi in lib. de Brixiana liter.

Hisce omnibus hucusque a me depromptis ex prædiolis meis, scilicet ex libellis, quos composui, & evulgavi, am-

amplum adjungerem colophonem, si mihi liberet divinarum literarum peritiæ, qua excelluerunt Contarenus, Polus, Sadoletus (his merito addendus præ ceteris Cardin. Hieronymus Aleander, quem vel ipse Lutherus fassus est eximie calluisse tres linguas, Latinam, Græcam, & Hebraicam) ex horum Scriptionibus luculenta proferre specimina. Abunde haurire ista potis forem non ex eorundem tantum Commentariis ad literas illas interpretandas compositis, sed ex aliis etiam lucubrationibus, imo vel ex mutuis ipsorum Epistolis, Poli præsertim; nam suis adeo multa iste ex Biblica loquela aspersit, ut ea de causa tessellati plerumque operis formam exhibeant. At quoniam, quemadmodum eæ Epistolæ in Collectione a me adornata, ita lucubrationes illæ in eorundem Procerum Operibus, facile cuivis obvia esse possunt, a speciminibus illis afferendis abstinebo, ipsorumque loco pro coronide Epistolæ huic imponenda nusquam editas Cardinalis Alexandri Farnesii ad M. Anton. Flaminium literas recitabo, unde innotescet, vel ipsam Pontificiam Pauli III. Aulam, cujus princeps, & arbiter idem Cardinalis, mirifico divinarum literarum amore incaluisse. Flaminium, ut rem gratam faceret Alexandro Farnesio, animum appulisse ad Davidicos Psalmos Latino metro donandos, jam dixi in Commentario de Brixiana Literatura. Eam autem Poesim quum sibi a Flaminio nuncupatam Farnesius perlegisset, hasce ad ipsum literas dedit Romæ IV. Calend. Maji MDXLVI.

Legi Epistolam tuam, mi Flamini, quam mihi Psalmorum tuorum quasi internuntiam misisti: legi Psalmos ipsos latinis versibus mirabiliter expressos. Illa, quod fuit multis & maxime perspicuis tui erga me amoris notis insignis, mihi facile declaravit, me a te non vulgarem in modum diligi; nam qui tantam voluntati meæ obtemperandi præ te cupiditatem tuleris, ut homo tam imbecilla corporis valetudine, quam firma es & vegeta mente, tam multas insomnes noctes egeris, quo mihi e mediis tenebris sempiterna luce dignissimos versus evigilares, planum pro-

fecto fecisti, me tibi omnino cum paucis carissimum esse. De Psalmis vero, Deum ipsum attestor (unde hausto spiritu te eos cecinisse ambigi non potest) nihil me adhuc legisse, quod majorem mihi voluptatem, aut admirationem attulerit. Quo enim ingenio, qua prudentia res tam obscuras illustras? qua dicendi copia, & verius felicitate, quæ menti aditu sunt difficillima, ad sensus ipsos prope deducis? Nam carminis certe suavitate ac varietate, & lectissimorum verborum nitore, vel fastidiosissimum quemquam lectorem & allicere, & vel aliud verborum agere conantem, detinere posse videris. Me certe per hos expiationum anniversariarum dies assidua tui Davidis lectio ita recreavit, ac tantopere ad rerum divinarum contemplationem excitavit, ut quas poetica eloquentia vires habeat, jam multo plenius ex meo ipsius sensu, quam ex veterum testimoniis cognoscam. Ac jam, quæ sacrosanctis literarum monimentis Regem ipsum ac Vatem summum cantu effecisse proditum est, nemini quantumvis incredulo, cum in carminum tuorum exemplar intueatur, falsa aut incredibilia videri debere judico. Solutiore tu quidem oratione cum primum Philosophiam, tum Psalmos ipsos, ut barbare loqui desinerent, fecisti: In quo certe omnem de te omnium magnam & singularem quandam expectationem superasti. Jam reliquum quod est Psalmorum tam gravi & tam polito carmine si perfeceris, quod per secundam, aut certe tolerabilem valetudinem, tibi ut liceat, unicum & sempiternum Deum exoratum cupio, non excellentis ingenii solum & doctrinæ, sed quantam ante te nemo, Religionis & pietatis laudem feres. Ego medius fidius hoc vehementer expeto, cum ut præsentia siquid nonnunquam succisivi suppetit temporis a gravissimis curis, & molestissimis occupationibus, in pulcherrimi operis lectione collocem: tum vero, ut si quando in otii ac tranquillitatis portum me recepero, in tuis tam præclari, ac prope divini ingenii vigiliis, ac tam spectata in me amoris testificatione conquiescam &c.

Ecquisnam erit (fidem tuam, Formei, jam imploro) qui

qui, poſtquam quæcumque a me in hiſce literis digeſta perlegerit, æquo animo ferre poſſit innumera illa acerbiſſima convicia, quæ ſingulis fere Operum ſuorum paginis adverſus Catholicos evomuit Lutherus veſter, quod poſthabitis Sacræ Scripturæ puriſſimis fontibus, ait ille, conſectati unice fuerint inanes fallacias, profanas vocum novitates, inepta, & anilia commenta. Tam iniquæ criminationis dum Lutherum inſimulo, abſit ut eam ipſam invidiam in eos omnes transferam, quos fata rapuerunt ad lævam ejuſdem mentem ſequendam. Inter ipſos novi ego hac tempeſtate nonnullos non ejus tantum labis puros, ſed dignos ea benevolentia, qua doctos quoſdam eorundem Majores proſequuti olim ſunt Contarenus, Sadoletus, Polus, aliique ſanctiſſimi, ſapientiſſimique Romanæ Eccleſiæ Optimates. Profeſſi ſunt iſti haud raro diſertis verbis, ſe non ſtatim odio habere eos, a quorum pravis opinionibus vehementer diſſentirent, imo eorundem ingeniis favere, virtutes colere, ſtudia literarum diligere. Benevolentiam, qua Melancthonem proſequutus eſt Sadoletus, abunde compertam nobis facit hujus ad illum Epiſtola ab Joachimo Camerario recitata in Narratione de ejuſdem Melanchthonis rebus, & ab aliis etiam. De Poli cum Rogerio Aſchamo familiaritate, & de exiſtimatione, qua dignatus ille eſt Joannem Sturmium, teſtatur idem Aſchamus in Epiſt. ad ipſum Sturmium ex Grenovichio data 14. Sept. an. 1555. in qua legitur, *Reverendiſſimus Cardinalis Polus valde humanus eſt, & haud ſcio, an quiſquam Italus eloquentiæ laude cum eo comparari queat. Me utitur valde familiariter. Hac æſtate cum apud eum pranderem, incidens in ſermonem de eruditis Viris hujus ætatis, honorificam tui memoriam fecit*. Tandem exſtat de Contareno in ejus Vita, ab illuſtri Præſule Ludovico Beccatello conſcripta, hujuſmodi teſtimonium: *Jacomo Sturmio, che teneva la Cathedra de' Lutherani in Argentina, & all'hora ſi trovava in Ratisbona, diſſe publicamente, ſe trà Conſeglieri delli Papi foſſero cinque o ſei come coſtui (parlando del Legato) ſenza dubbio alcuno alli Decreti*

loro si potria obedire. Optimatum igitur istorum, quos nemini secundos fuisse constat in studio Catholicæ rei tuendæ, auctoritate munitus, nec ipse committam, ut meæ erga eruditionem vestram comitatis argumenta desideretis; hæcque eo prolixius præstabo, quo justius lucro appono persuasionem, qua recens plerosque vestrum adductos esse comperio ad æquius, & honorificentius, quam antea, existimandum de Catholicorum hominum, singulariterque de Romanorum Antistitum moribus, institutisque.

Hæc autem persuasio vestra, quæ lætum me facit, quanto lætantiorem efficeret, si ea ipsa auctoritas satis apud vos ponderis haberet, ut deformitatem, & dedecus secessionis vestræ tandem agnosceretis? Putabas, Formei, peregrinos, & hospites in divinarum literarum peritia fuisse, quorum consortium despicatui habuit Lutherus, Polum, Contarenum, Sadoletum, aliosque horum Collegas; jam vides, jam sentis, quam valde Te opinio illa deceperit. Equidem, crede mihi, assectarum suorum non *hoc uno responso animum delusit Apollo*, vester scilicet Lutherus. Apage secessionis illius, & authoris sui flagitium. Adsit autem *Lux vera*, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Adsit utinam! Utinam adsit! Vale.

Brixiæ die XXX. *Decembris an.* MDCCXLVIII.



AD-

ADDITAMENTUM.

HOc ipſum argumentum iterum tractandi occaſionem habui in epiſtola ſuperioribus menſibus ad præſtantiſſimum Juriſconſultum Baſileenſem Janum Rudolphum Iſelium data, ex qua placet hoc loco pauca quædam, quæ ſequuntur, depromere.

Quoniam Formejus in controverſia, de qua agitur, extra oleas omnino ſaltaſſe comperitur, non ex iis tantum, quæ ſuperius recitavi, ſed inſuper ex inculcata, quæ tamen nihil ad rem faceret, Eccleſiaſticæ Reformationis neceſſitate, placet hoc loco ſubjungere, næniam illam Heterodoxorum adeo crebro, adeo valide in lucubrationibus meis refutatam, reticendam inpoſterum fore ſaltem a Formejo, reliquiſque una cum ipſo in Berolinenſi Urbe verſantibus, ſiquidem legerint quæ de ea Reformatione traduntur in libello, cui titulus: Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire de Brandebourg de main de maitre. Imprimé pour la ſatiſfaction du Public 1750. *Habentur hæc p.* 21. *ejus libelli:* Si donc on veut reduire les cauſes des progrès de la Reforme à des principes ſimples on verra qu'en Allemagne ce fut l'Ouvrage de l'Interêt, en Angleterre celui de l'Amour, & en France celui de la Nouveauté, ou peut-être d'une Chanſon (O! Moines! O! Moines! il faut vous marier). Il ne faut pras croire qui Jean Hus, Luther, ou Calvin fuſſent des Genies ſuperieurs. Il en eſt de Chefs de Secte comme des Ambaſſadeurs. Souvent les Eſprits mediocres y reuſſiſſent le mieux, pourvû que les conditions qu'ils offrent ſoient avantageuſes. Les Siecles de l'Ignorance etoient le Regne des Fanatiques, & des Reformateurs. Il ſemble que l'eſprit humain ſe ſoit enfin raſſaſié de Diſputes, & de Controverſes. On laiſſe argumenter les Theologiens, & le Metaphyſiciens ſur les bancs de l'Ecole, & depuis que dans les Pais Proteſtans les Eccleſiaſtiques n'ont plus rien a perdre les Chefs des nouvelles Sectes ſont mal venus. *Sapere itaque diſcat tanto magiſterio edoctus Formejus*

cum

cum Berolinensibus civibus, nec alias invectæ apud ipsos per sectarum primipilos Reformationis causas divinent, nisi proditas in eo libello, quem si dixero non magistra tantum, sed Regali etiam manu conscriptum fuisse, id fecero Veterum eorum authoritate, qui, teste M. Tullio, Ut sapere, ita & divinare, regale ducebant.

Dum hæc ipsa scribo, perfertur ad me ex Germania Kieslingii Publ. Profess. Lips. Epistola, prælo vulgata, mihique inscripta De Contareno purioris doctrinæ de Justificatione in Conventu Ratisbonensi teste, & confessore. *De hoc argumento quum multa jam scripserim in Diatriba apposita tertio Volumini Epistolarum Cardinalis Reginaldi Poli, novam forte de eodem scribendi ansam mihi præbebit, ut video, Kieslingius. Hic hic est, quem leges, Iseli, in mea ad Clariss. Menchenium Epistola, partes suscepisse defendendæ Formeji sententiæ, de qua huc usque actum est. Res mira! Idem Scripti illius sui veluti oblitus, Contarenum pag. 74. nuperrimæ suæ Epistolæ disertè nuncupat,* indefessum Scripturæ Sacræ indagatorem. *De Kieslingio alibi scripsi,* Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? *eique aptavi ex celebri Apologo Aviani,* Quid ego audio? Tu ne eodem ex ore pariter & calidum, & frigidum efflas? Valebis, neque enim mihi ratio est cum hujusmodi homine. *Parem cum Contareno laudem, studii scilicet in sacrarum literarum indagationem jugiter impensi, relaturos Collegas etiam Contareni ab eodem homine nullus dubito, siquidem isti occurrat aliquod eorum dictum, in quo videatur sibi posse exultare.*

FINIS HUJUS VOLUMINIS.



IN-

INDEX EPISTOLARUM,

Quæ hocce Volumine continentur.

FINIS INDICIS.





